VII 19.

20

E – 20.

UNUS PRO OMNIBUS,

Hoc est:

CHRISTUS JESUS

DEI FILIUS

PENDENS IN LIGNO PRO HOMINE INDIGNO,

de quo S. Paulus 1. Cor. 1. 23.

Nos prædicamus Christum Crucifixum.

pro Bibliotheca Cathus Augustanorum Ordinis Praedicatorum
Anno 1754.

OPUS

Omnibus Christum Crucifixum amantibus, meditantibus, ac prædicantibus ad salutem animæ maximè proficuum, ac utile.

Accessit

Index concionatorius & Rerum memorabilium uberrimus.

Operâ & studiô

A.R.D. ANTONII GINTHER, SS.

Theol. Licent. Decani & Parochi

ad S. Crucem in Biberbach.

Quibus ad calcem adjicere placuit Epitomen vitæ ipsius Auctoris jam ad beatam, uti sperandum, immortalitatem translati.

EDITIO TERTIA.

Cum gratiosa Facultate & Approbatione Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

Sumptibus MARTINI VEITH, Bibliopolæ.

Anno MDCCXLIII.

S. Paulus Ap. 2. Cor. 5. 15.

Pro omnibus mortuus est Christus, ut, & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.

ILLUSTRISSIMO

AC

GENEROSISSIMO

S. R. I.

COMITI

JOSEPHO

MARIÆ

FUGGER,

Domino in Wellenburg, Wasserburg, Welden, Biberbach, Rettenbach, Gottenau, Gablingen, Reinhartshausen, & Wald.

&c. &c.

Domino suo perquàm Gratioso.

Illustrissime S. R. I. Comes, Domine perquàm Gratiose.

POstquàm Divinus Orbis Redemptor pro mundi nocentis salute in Cruce extinctus est, sacrosanctum Christi Corpus ab hora nona, quæ nobis tertia pomeridiana est, usque ad seram vesperam in infami stipite pependit, à carnificibus laniatum, à Judæis condemnatum, à sacerdotibus blasphematum, à toto mundo derelictum. Indigna res! erant tunc Jerosolymis, prout magnæ auctoritatis scriptores testantur, ultrà quadragies centena millia, seu quatuor milliones hominum, qui ad celebrandum tempus Paschale ex omni orbis parte confluxerant, & in tam immensa hominum multitudine neminem reperire sit, qui Dominici Corporis curam habeat? ubi nunc tot ægri, surdi, claudi, cæci, paralytici à languoribus suis sanati? ubi quinque hominum millia prodigioso pane pasta? ubi Discipuli, & Apostolorum cœtus? abiëre omnes!

Et

Et ecce! in extrema hac derelictione unus unicus erat, qui Divino cadaveri sepulturam parabat, videlicet nobilis Josephus, vir dives ac præpotens de Rama, Decurio, & Senator Jerosolymitanus. Hic, quoniam clandestinus Christi Discipulus, *& ipse erat exspectans regnum DEI*, audacter ingressus ad Pilatum, petiit, impetravit, aromatibus inunxit, syndone involvit, & suis sumptibus sepulchro condidit Dominicum Corpus. Quærere hic juvat, cur Dei Filius, qui ad nutriendum corpus suum elegit Josephum ignobilem, & pauperem opificem, ad sepeliendum corpus elegerit Josephum nobilem & divitem? Respondet Sanctus Hieronymus: Ideò Divina Providentia nobilem, & generis claritate fulgentem elegit, quia pauper non fuisset ausus ad Pilatum Præsidem accedere, & Crucifixi Corpus impetrare. En! quid nobilitas possit!

Illustrissime Domine Comes! dum levidense hoc de Christo Crucifixo opusculum ad teneras tibi manus offero, meminisse te jubeo Christi nostri Crucifixi, quem Thaumaturgum Biberbachii colimus: non meliore sorte usus est, dum ante duo sæcula, videlicet circa annum post reparatam salutem millesimum quingentesimum vigesimum quintum in contiguo Wirtenbergiæ Ducatu à nefaria Iconoclastarum improbitate sede sua pulsus, inter quisquilias abjectus, ad combustionem destinatus, tandem in exilium ejectus, & à loco in locum migrare jussus nullibi locorum receptaculum, nullibi domicilium invenit. In hac derelictione Tu *Illustrissime Domine Comes*, *& Illu-*

strissimi Progenitores Tui verè obsequiosam charitatem Josephi Arimathæi æmulati estis: Cùm enim Sacra Crux à Catholico auriga plaustro imposita adDynastiam vestram Biberbacensem delata fuit, prodigioso prorsùs eventu declaravit, hìc requiem suam fore, hìc suam sibi sedem, & habitaculum elegisse. Mirum dictu! quàm religiosa promptitudine *Illustrissimi Progenitores Tui* sacrum hunc thesaurum in suo territorio receperint, & à ducentis jamjam annis profusa prorsùs liberalitate coluerint. Laudent alii Josephi' Arimathæi syndonem, laudent aromata in sacrum Christi Corpus impensa! laudo ego admirandam DD. Comitum Fuggerorum munificentiam, quibus jam ab aliquot sæculis solenne erat, non solum hìc ad Sanctam Crucem Biberbachii, sed in omni, quà latè patet, patriæ nostræ ambitu, per pias fundationes, donationésque ampliſſimarum opum impendia cum Deo partiri.

Illustrissime Juvenis, non injucundum, spero, tibi erit pristina Familiæ tuæ decora ad beatam æternitatem jam dudum translata paulisper remetiri, & admirari illorum, à quibus sanguinem ducis, religiosam largitatem sacris ubique locis, & Christi Crucifixi gloriæ impensam, reperies certè tantam sumptuum copiam, ut dubitari meritò fas sit, num in Illustri DD. Comitum cœtu alia ullibi reperire sit familia, quæ in DEum, DEique sacra loca fuerit profusior. Adverte animum!

Anno 1510. vitam hanc mortalem cum immortali commutavit Udalricus Fugger, qui ad Sanctam Annam in templo Patrum Carmelitarum Augustæ suis impensis

facel-

ſacellum extruxit, fundavit, dotavit, ſuæ ſepulturæ deſtinatum.

Ejus Frater Jacobus Fugger in eodem ſacello Sacrificium Miſſæ quotidianum, menſtruam ſupplicationem cum Venerabili, anniverſaria circa quatuor anni tempora, aliáque in DEI honorem celebranda inſtituit, qui cultus Divinus funeſto tempore apoſtatantis, & omnia ſusdéque vertentis Lutheri in templum ſancti Dominici ſeu Prædicatorum translatus eſt, ubi adhuc hodie ſtatis temporibûs celebratur. Peninſulam in ſuburbio ſancti Jacobi Auguſtæ, vulgò Fuggariam, ædes centum & ſex conplectentem pro pauperum civium habitaculis deſignavit, & exædificari curavit, moriens donationes munificentiſſimas in cauſas pias fecit.

Anno 1537. ad plures abiit Hieronymus Fugger, qui Patris Udalrici, patruorúmque exempla piè æmulatus teſtamento condito pauperibus quadraginta millia florenorum legavit, & Fuggeriani Hoſpitalis in Waltenhauſen auctor fuit.

Anno 1535. denatus eſt Raymundus Fugger, quem ſepulchralis inſcriptio ad Sanctam Annam Auguſtæ de munificentia incomparabili, ac in pauperes patrocinio dilaudat.

Quid memorem Fratrem illius Antonium grande Familiæ Fuggerianæ decus, & Patrem pauperum? ante mortem cuilibet egeno in publico civitatis Hoſpitali ac tribus Noſocomiis commoranti quatuor aureos donavit. In pauperes patresfamilias, & viduas mille taleros diſtribuit: teſtamentô viginti octo millia florenorum in ſolamen pauperum legavit. In die ſuorum parentalium ſingulis pauperibus ad templum ſanctæ Catharinæ comparentibus, quorum numerus ad quatuor millia excreverat, ſenos crucigeros largiri conſtituit. Non ſolùm in patria noſtra, ſed etiam Allmagri in regno Caſtiliæ ampliſſimas fundationes ad propagandum cultum Divinum fecit. Hoſpitale Waltenhuſanum ad quinquaginta ſubditos ampliavit: pro tribus honeſtis Fuggerorum ſubditorum filiabus dotem, pro eorundem filiis in ſtudioſorum Academiis ſti-

)( )(

pendia

pendia constituit. Augustæ duo nosocomia pro occulto morbo laborantibus erexit: Reipublicæ Augustanæ bellorum vexationibus depauperatæ quinquaginta millia mutua dedit. Admiranda porrò sunt, quæ nosocomiis, urbi, ac pauperibus præstitit, ita, ut potiùs hunc librum, quàm hoc folium æquarent.

Anno 1575. ex hac luce mortali ad æternam transiit Joannes Jacobus Fugger, dictus Musarum, & literatorum unicum asylum, qui in ædibus Patrum Dominicanorum Augustæ sacellum magnis sumptibus excitavit. Quem paulò ante, nempe

Anno 1569. ejus frater Georgius Fugger anteivit, qui in templo SS. Udalrici & Afræ sacellum Sancto Georgio sacrum extruxit, anniversarium perpetuum fundavit, sacellum clathris ferreis communivit, & pro se, suisque ibi effossâ cryptâ sepulturam delegit.

Anno 1579. utriusque frater Christophorus utrumque secutus est, è cujus hæreditate triginta millia florenorum ad pias causas relicta Patribus Societatis JESU ad construendum collegium & scholas assignata sunt.

Anno 1618. mundo ereptus est Philippus Eduardus Fugger, qui unà cum fratribus Octaviano, Raymundo, & Joanne Georgio ædes per hæreditatem acquisitas pretio duodecim millium florenorum Patribus Societatis donavit, ad construendum ibi, ubi nunc extat Collegium. Solus in æde sancti Udalrici sacellum cum sepultura sibi fieri curavit, & anniversaria Sacrificia magnis impensis fundavit.

Anno 1597. luce immortali frui incœpit Marcus Fugger Ecclesiæ SS. Udalrici & Afræ munificus benefactor, ibi sacellum Sancti Andreæ condidit, sumptuoso septo, marmoreis columnis, & ferreis cancellis distinxit, ac anniversarium fundavit. Scholam Babenhusanam à Patre Antonio cœptam redditibus auxit, & Hospitale Waltenhusanum decem millibus florenorum ex propriis mediis locupletavit.

Anno 1598. vivere desiit Joannes Fugger insignis egenorum patronus

tronus in quorum ſubſidium mille florenorum legavit. Quem Anno eodem comitatus eſt ejus frater Jacobus Fugger, qui in ædibus SS. Udalrici & Afræ monumentum, altare & inſigne organum conſtituit, additis ſumptuoſis fundationibus in anniverſaria ſacrificia inſtitutis.

Anno 1614. obiit Marcus Fugger, qui præter plurimas pias fundationes in Monaſterio Sancti Georgii, Sanctæ Crucis, Sanctæ Urſulæ, Beatiſſimæ Virginis ad Stellam ac alibi factas, Patribus Capucinis Auguſtæ Monaſterium & Eccleſiam extruxit, & confraternitatem Corporis Chriſti ad Sanctam Crucem penè extinctam reſuſcitavit.

Anno 1615. ad ſuperum ſedes translatus eſt Chryſoſtomus Fugger, qui præter alias ampliſsimas fundationes Collegio Societatis JEſu quadraginta millia florenorum ad augmentandum Patrum numerum adjecit. Frater ejus Jacobus Epiſcopus Conſtantienſis mortuus anno 1626. ex ſuis facultatibus Monaſterium Patrum Capucinorum Conſtantiæ erexit.

En! *Illuſtriſſime Juvenis*, quanta piæ prodigalitatis prodigia! quàm immodici ſumptus in ſplendorem rei Divinæ conſumpti! profectò per omnem Patriæ noſtræ ambitum vix ullibi locorum reperire eſt regularem, aut ſæcularem Eccleſiam, ubi non in fornicibus ædificiorum, aut in altarium frontiſpiciis, aut in pretioſis picturis; aut in aureis calicibus, aut denique in ſacris veſtium paramentis ſuffixa Fuggerianæ Proſapiæ inſignia coruſcant & Majorum tuorum religionem, ſanctámque liberalitatem deprædicant.

At quid in antiquitatis abdita prolixè recedere juvat? ante oculos tibi ſtatuo Avum Antonium Joſephum, qui munificus ille Arimathæus fuit, qui prodigioſam Crucifixi Imaginem per triginta novem annos ſub templi tecto latitantem è tenebris in lucem protraxit: qui inſignem Crucis Dominicæ Particulam in igne quondam mirabiliter incombuſtam unà cum aurea Monſtrantia, argenteisque candelabris dono reliquit: qui pretioſam aram fieri

curavit, & Sanctorum Martyrum corpora pretioso ornatu vestivit; qui se suáque omnia intimo cordis affectu Christo Crucifixo tradidit.

Denique ante oculos tibi statuo Illustrissimum Parentem p. m. *Maximilianum Ægidium*, qui quàm tenerè amaverit Crucifixum Salvatorem satis comprobat novum Beneficium seu Capellania perpetua Biberbachii magnis sumptibus fundata: quanta animi devotione Thaumaturgicam Crucifixi Imaginem prosecutus sit, satis supérque testantur pretiosa mnemosyna, quibus suam venerationem dilectionémque publicè & æternùm testatam voluit. Nunc post mortem, nobis quidem duram quia præcocem, sed cœlo maturam, quia plenam virtutum exemplis, nunc, inquam, sub umbra salutifera & conspectu SS. Crucis in medio Choro quiescit, ut ab eo, quem vivus toto corde dilexit, etiam mortuus non recederet. An poterat tumulo nobiliore frui?

Sed sciscitari mihi videris, *Illustrissime Domine Comes*, quem in finem hæc tibi majorum exempla prolixo discursu proponam? cape paucis responsum: ut quorum sanguis in te confluxit, etiam virtus in te derivet; *Nobiles*, ait Sanctus Hieronymus *quadam necessitate constringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent.* Ideò, quisquis Paternarum opum hæres est & successor, necessè est, ut & paternarum virtutum sit æmulator. Hunc certe in finem D E U S nobiles animos in eminentiori gloriæ gradu omnium oculis conspicuos fecit, ut ficut subditorum post se trahunt amores generis splendore, ita ut trahant subditorum moros virtutum exemplis.

Verum absit à me, ut sponte currenti stimulos addam: scio, *Illustrissime Juvenis*, & non unius duntaxat anni experimento perspectum habeo, quàm generoso spiritu & capaci ad summa quæque ingenio te natura donârit, ita ut in ipso pueritiæ exordio jam virili sensu ætatem prævertas. Scio, & non unâ solummodò vice admiratus sum maturos & ad omnes modestiæ leges compositos mores, tenerrimos in Divinis pietatis sensus, quos sedula *Illustrissi-*

ma

mæ Parentis, & Illustrissimi Tutoris cura ita tibi instillant, & excolunt, ut ex tam felici aurora nil nisi magna, ac faustissima quæque liceat de te ominari.

Quare age dum paulatim matureſcentibus annis in literariæ palæstræ theatrum progrederis, hunc Crucifixum pro vexillo cape, qui tibi in omnibus sit *unus pro omnibus* scopus & finis. Felicem te reputa, si hunc semper oculis & animo teneas, & sacrosancta ejus vulnera, veluti nobilissimus ille Comes Elzearius inceſſanter inhabites.

Nos interim, quibus ad Thaumaturgi Crucifixi imaginem quotidianis sacrificiis assistere licet, non ceſſabimus Divinam Bonitatem enixè flagitare, ut vegeta semper corporis, ac animæ valetudine quàm diutissimè fruaris, & ad DEI T. O. M. gloriam, ad rei Christianæ incrementum, ad millenorum subditorum emolumentum in seram canitiem felicissimam ætatem protrahas ac conserves. Ita voveo ac intimo corde exopto

Illustrissimæ Dominationis
Tuæ

Servorum infimus

Antonius Ginther, Decanus
& Parochus ad SS. Crucem
in Biberbach.

Ad Christum JESUM & hunc Crucifixum
devotissima Auctoris allocutio & supplicatio.

UNus pro omnibus olim in lege divinâ erat post collectam messem oblatus spicarum manipulus : *Feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ ad Sacerdotem, qui elevabit fasciculum coram Domino, ut acceptabile sit pro vobis.* Per quem spicarum manipulum in lignea pertica à Sacerdote publicè coram omni populo elevatum, Tu ô JESU! Amor Crucifixe! præsignatus es. Ita S. Augustinus & alii : *Ipse Dominus JESUS erat granum mortificandum, & multiplicandum, mortificandum infidelitate Judæorum, multiplicandum fide populorum &c.*

Levit. 23. 10.

S. Aug. Tr. 1. in Joan.

Collegi & ego sacerdos indignus in fertilissimo Sacræ Scripturæ agro de Te ô JESU Crucifixe, aliquot spicas deciduas, quas in unum ligavi manipulum, quem tibi tanquam omnium bonorum Authori & largitori in acceptis refero, & summâ, quâ possum ac debeo, animi demissione offero, humiliter rogans, quatenùs hunc meum qualem qualem laborem benigno misericordiæ oculo digneris respicere, & sub umbra alarum tuarum protegere. Et quia apud me dies vitæ paulatim vergit ad occasum, obsecro te ô mi Redemptor cum duobus illis Discipulis : *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.* In quem finem adrepo ad sacratissimos pedes tuos, & ad antiquissimam ac thaumaturgam imaginem tuam Biberbacensem, in quo loco & templo hactenus indignum pastorem per 45. annos egi, & peccata multorum millium devoravi, impensissimè flagitans, ut

Luc. 24. 29.

non

non derelinquas me in senectute mea, & tandem ne omninò me projicias in finem. Quapropter hoc Canticum devotissimo animo coram te in terra prostratus, non sine piis lacrymis decanto :

1. O mi JEsu, qui subire
Voluisti pro me diræ
Crucis ignominiam.
Qui pro meis te peccatis
In hac ara pietatis
Dederas in hostiam.
2. Coram te en supplex cado
Et me tibi totum trado
Ac in servum consecro.
Scio quidem me peccasse
Et tu ovem aberrasse
Ah! condones, obsecro.
3. Tandem rogo, tot labores
Tantus Sanguis & dolores
Fac, in me non pereant.
Sed quod hactenus peccavi
Tua Crux, cum spinis, clavi
Ac mors tua deleant.

Ita fiat, ô JEsu! Amen.

Servorum tuorum minimus ac peccator miserrimus

Antonius Ginther
Plebanus in Biberbach.

Appro.

Approbatio Censoris.

OPus hoc, cui titulus: UNUS PRO OMNIBUS, tanta pietate & doctrina conscriptum est, ut non immeritò illud ipsum, quod S. Augustinus de Sacris Bibliis, ego de hac elucubratione effari possim: *Sacra Scriptura*, Opus hoc, *sic loquitur, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, veritate magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat.* lib. 5. de Gen. ad lit. dignissimum proinde, ut cum aliis à Clar^mo Authore editis operibus æquali præconio celebretur; legatur & relegatur.

Imprimatur.

Jo. Gotthardus L. B. de Vöhlin Vicarius Generalis.

Ex Vic. 12. Nov. 1725.

Augustæ Vind. 11. Nov. An. 1725.

Franc. Joseph. de Handl, SS. Theol. Licentiatus Sereniss. & Reverendiss. Princip. & Episc. Aug. Consil. Eccles. Maj. Pœnitent. & librorum Censor.

Ad

Ad lectorem benevolum Christi crucifixi cultorem & amatorem.

I.

RECtè Vates Regius: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Quæres hic, Lector prudens, quis sit ille egenus & pauper super quem debemus intelligere? Respondent S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, Bellarminus & alii: Christus & hic crucifixus est ille pauper & egenus, super quem primariò debemus intelligere: pauper in nativitate inter duo jumenta reclinatus, pauper per omnem vitam, pauper, imò pauperrimus in cruce inter duos latrones nudus suspensus, & pro omnium salute mortuus. O verè beatus, qui intelligit super hunc egenum & pauperem: *In die mala*, hoc est, in die mortis & judicii, *liberabit eum Dominus.* Audi Eminentissimum Cardinalem Bellarminum: *Beatus*, inquit *qui intelligit super Christum pauperem, nudum videlicet in cruce pendentem, id est, qui attentè cogitat passionem ejus: infinitus enim thesaurus paratus est Christi passionem, ut par est, intelligentibus, & diligenter meditantibus.*

Ps. 40. v. 2.

Le Blanc hic.

Bellarmin. hic in Psal. 40. v. 1.

II.

Et hic est finis scriptionis meæ, ad quem in hoc quarto opusculo mei collimavi, proponere nimirum omnibus Christum JESUM & hunc crucifixum ad meditandum, prædicandum, amandum, colendum & imitandum; quia inter omnia veræ pietatis exercitia nihil præstantius, nihil DEO gratius, nihil homini utilius, quàm meditari de crucifixo JESU, omnia enim hìc habemus in uno, qui *Unus pro omnibus* mortuus est: *Non judicavi*, ait Gentium Doctor Paulus, *me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum & hunc crucifixum.* Sufficiat ergo nobis hæc scientia: *Si JEsum discis, satis est, si cætera nescis.*

1. Cor. 2. v. 1.

III.

Habet ergo hìc cumprimis Venerandus Sacerdos quam sequatur ideam. Sicut enim Pictor, qui ex alio prototypo imaginem exprimere & imitari satagit, exemplar suum continuò respicit, juxta quod lineas suas format, ducit & componit: Ita Sacerdos tum sæcularis, tum regularis Christum pro nobis passum & crucifixum, tanquam perfectissimam suarum actionum ideam & regulam quotidie intueri debet, juxta quam vitæ suæ normam & vocationem dirigat: *aspicientes* (ait Apostolus) *in auctorem fidei & consummatorem JEsum qui propositio sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.*

Hebr. 12. v. 2.

IV.

Habet & verbi divini Præco, quem prædicet, & populo Christiano annuntiet; qui pro objecto non aliud ab eodem Apostolo quàm Christus JEsus & hic crucifixus præscribitur: *nos prædicamus Christum crucifixum.* In hunc finem majores nostri prudenter ordinârunt, ut in cathedra imago quædam devota crucifixi Redemptoris nostri collocaretur ad admonendum concionatorem, quem populo intimare, ac prædicare debeat, & tanquam efficacissimum omnium virtutum exemplar proponere;

1. Cor. 1. v. 23.

nere: nihil enim obdurata hominum corda magis movere, mentésque efficaciùs ferire solet, quàm sermo devotus de patiente & crucifixo JESU: *vivus enim est hic sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs.* Hebr. 4. v. 12.

V.

Habet insuper & homo sæcularis exemplar, quod ipsi in monte Golgothæo monstratum est, quod in vita & in morte imitetur. Et sicut ille, qui in mari periculoso navigat; ad certum aliquod cœli sidus solet attendere, juxta quod cursum suum dirigit, ne à portu sibi proposito aberret: Si homo Christianus in tot animæ, corporisque constitutus periculis, si in hoc mari magno & spatioso hujus mundi à vero beatitudinis portu aberrare non velit, pro cynosura sua crucifixum JEsum sibi proponat, cujus auxilio protectus, semper tum in vita, tum in morte intrepidus stabit: *Ubi tuta* (subintrat hic S. Bernardus alloquens animam fidelem) *firmáque securitas, nisi in vulneribus Salvatoris? tanto illic securior habitas, quanto ille potentior est ad salvandum. Tremat mundus, premat corpus, diabolus insidietur, ne time, quia in foraminibus petræ secura es.* S. Bernard. ser. 61. in Cant.

VI.

Habent denique mortales omnes, dives & pauper, ac omnes in unum in hoc crucifixo JEsu aliquod speculum, in quod sæpiùs intueantur, & omnes actiones suas ad majorem illius gloriam dirigant. Et sicut olim in tabernaculum ingredientes, priùs vultum suum in æneo ac nitidissimo speculo debebant considerare, ut si quid máculosi in corpore invenirent, illud quantocyùs corrigerent, atque emendarent: Ita, inquam, mortales omnes faciant, & sæpius de die, ac præsertim tempore tentationis aut tribulationis oculos in piam quandam crucifixi Salvatoris imaginem, domi in honorato loco expositam, con- Exod. 38. v. 8.

jiciant, ubi in veritate illud experientur, quod ipse Christus sanguinum Sponsus sanctis Virginibus Gertrudi, Mechtildi, & Catharinæ Senensi multoties revelavit asserendo: *quoties anima fidelis crucifixi Salvatoris imaginem aspicit, ejusque SS. vulnera in memoriam revocat, toties vicissim divinæ misericordiæ oculos in ipsam reflecti, & efficaciter converti.*

Lud. Blos. spirit. c. 12.

VII.

Et hoc est amice Lector, quod in hoc tenui meo opusculo te priùs monere volui, in quo non eleganti verborum apparatu auribus tuis placere, sed potiùs humili, non tamen indigno stylo (prout Christi passio requirit) in amore crucifixi Salvatoris tui cor tuum ferire studui. Tu si sapiens es, supra hanc petram ædificabis. *Petra autem erat Christus.* Talis homo, ait ipsa veritas Christus: *assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum super petram, & descendit pluvia & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram.* Ecce quàm tutum ac securum sit tum in vita tum in morte cum mystica illa columba nidum suum in hac firmissima petra collocasse. De reliquo omnia, quæ in hoc opere continentur, censuræ sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter subjicio. Vale, & hoc elogium Antitheticum languentis, patientis, morientis Christi, quod Ferdinandus III. Augustissimus Imperator inter tot Imperii, Orbisque curas quotidie ad pedes crucifixi meditabatur, tibi familiare redde, & Imperatorem tuum imitare, nunc Carolum VI.

1. Cor. 10. v. 1.

Matth. 7. v. 24.

VIII.

Oratio quotidiana Ferdinandi III. Imper. coram Crucifixo, & nunc Caroli VI.

Tristatur in horto lætitia Angelorum. Affligitur in anima refectio animarum sanctarum. Solatur Angelus solatium afflictorum. Traditur furori luporum mansuetissimus Agnus. Capitur quem cœli & terra capere non possunt. Ligatur qui nostra solvit vincula. Judici præsentatur Judex vivorum & mortuorum.

tuorum. Negatur à Petro petra ipsa Christus. Facies illa velatur, in quam desiderant Angeli prospicere. Falso acusatur veritas æterna. Non respondet verbum, per quod Verbum facta sunt omnia. Indecorè nudatur, qui vestit universa. Tremit, coram quo tremunt Potestates. Dirè flagellatur Dominus in similitudinem servi factus. Ignominiosè coronatur Rex Regum & Dominus dominantium. Stultitiæ insimulatur Sapientia Patris. Nocens dimittitur, Innocentia damnatur. Ponderi crucis succumbit, qui tribus digitis appendit molem terræ. Crucifigitur tanquam latro ipse DEI Filius. Moritur DEUS homo factus, ut te hominem deificaret; & immortalem redderet. Morere & tu concupiscentiis tuis, ut vivas Christo; Morere mundo, ut vivas cœlo. Morere tibi ipsi, & omnibus affectibus pravis, ut vivas DEO pro te mortuo in cruce.

Oratio Ecclesiæ.

REspice, quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum, qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

INDEX CONSIDERATIONUM.

Consideratio I.

MUndus magnus & parvus nobis crucis Dominicæ memoriam ingerunt, & quodammodo inculcant.

Consideratio II.

Crux est arbor vitæ & salutis, ad quam nos oportet in omni tentatione & periculo confugere.

Consideratio III.

Christus Adamus secundus reparat in cruce, quod Adamus primus in paradiso destruxit in arbore.

Consideratio IV.

Christus crucifixus justus Abel, jam ab origine mundi in suis typis occisus, & crucifixus.

Consideratio V.

Noëmus cum arca & vinea sua pulcherrimus typus fuit Christi JEsu crucifixi.

Consideratio VI.

Ramus olivæ, quem columba cessante diluvio ad Noëmum tulit, typus & symbolum SS. crucis.

Consideratio VII.

Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus elegans Christi JEsu crucifixi.

Consideratio VIII.

Agar filium suum sub umbram arboris projiciens, docet nos confugere ad umbram sanctæ crucis.

Consideratio IX.

Consideratur in typo Abrahami & Isaac amor æterni Patris filium suum unigenitum in mortem crucis tradentis.

Consideratio X.

Crux dominica est scala Jacob & secura animæ Christianæ ad cœlum semita.

Consideratio XI.

Terebinthus, sub qua arbore Jacob idola infodit, figura perelegans SS. crucis dominicæ.

Consideratio XII.

Crux dominica baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

Consideratio XIII.

Manipulus Josephi stans erectus in campo, erat typus Christi JESU in cruce exaltati.

Consideratio XIV.

Rubus ardens, & incombustus, quem Moyses vidit, crucem dominicam præsignavit.

Consideratio XV.

Agnus Paschalis, item matutinus & vespertinus typus fuit Christi JESU crucifixi.

Con-

Consideratio XVI.

SS. crux Christi columna nubis & ignis, ducens nos securè ad cælestem patriam.

Consideratio XVII.

Crux Dominica servis Dei omnes indulcorat labores, ærumnas & miserias, ipsamque denique horrendam mortem.

Consideratio XVIII.

Virga sicca & arida Aaronis Sacerdotis de novo reflorescens, typus SS. crucis Dominicæ.

Consideratio XIX.

Botrus à duobus viris in vecte portatus, non obscurè Christum adumbravit crucifixum.

Consideratio XX.

Petra Moysis, ex qua percussa fons vivus aquarum emanavit, typus extitit Christi crucifixi.

Consideratio XXI.

Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi pulcherrimus fuit in cruce exaltati.

Consideratio XXII.

Funiculus coccineus Rahab, typus crucifixi JEsu nos à perditione servantis.

Consideratio XXIII.

Crucifixus Dominus est clypeus Josue, omnibus in se sperantibus ferens opem & salutem.

Consideratio XXIV.

Josue pugnans contra quinque reges, typus Christi in cruce contra quinque sensus pugnantis.

Consideratio XXV.

Jephtias innocens victima, typus humanitatis Christi, in arca crucis pro nobis oblatæ.

Consideratio XXVI.

Samson tum in vita tum in morte suaChristi figuram expressit.

Consideratio XXVII.

David contra Goliam pugnans, & in aliis egregia figura fuit Christi JEsu crucifixi.

Consideratio XXVIII.

Dulcis Jonathas insignis typus dulcissimi JEsu, denutati, crucifixi, & in cruce mortui.

Consideratio XXIX.

Filius Regis Moab super murum pro salute populi sui immolatus, typus Filii Dei, pro nobis in cruce oblati.

Consideratio XXX.

Christus in cruce pendens, velut Job, vir dolorum, & plenus vulneribus consideratur.

Consideratio XXXI.

Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi JEsu, pientissimi Redemptoris nostri.

Consideratio XXXII.

Daniel in lacum leonum missus, pulcherrimus typus crucifixi Salvatoris nostri.

Consideratio XXXIII.

Tres pueri Babylonis in fornace ignis ardentissimi virtutem sanctæ crucis agnoverunt.

Consideratio XXXIV.

Jonas Propheta in mare demersus, insignis typus erat Christi patientis & crucifixi.

Consideratio XXXV.

Cythara Davidica, per quam David cacodæmonem à Saule fugavit, typus SS. crucis Dominicæ.

Consideratio XXXVI.

Crux Dominica per prodigiosam virgam Moy-

Moysaicam sæpiùs præfigurata.

Consideratio XXXVII.

Quomodo meditatio de Christo crucifixo animæ Christianæ summè sit proficua:

Consideratio XXXVIII.

Quomodo cum fructu de Christo crucifixo Salvatore nostro sit meditandum?

Consideratio XXXIX.

De ardenti desiderio Filii DEI in cruce redimendi perditum mundum.

Consideratio XL.

Tota vita Christi JEsu Filii DEI & hominis in hac terra crux fuit & martyrium.

Consideratio XLI.

JEsus Christus & hic crucifixus quomodo in SS. Evchariſtiæ Sacramento sit considerandus?

Consideratio XLII.

Crux in monte Oliveti Christo proposita, torcular fuit, quod ante tempus ei sanguineum expressit sudorem.

Consideratio XLIII.

Crucifigendi olim, & ad mortem crucis destinati priùs acerbè flagellabantur, quod & Christo redemptori nostro accidit.

Consideratio XLIV.

Consideratur JEsus, quare spinis coronari voluerit, & in cruce cum eadem spinea corona mori.

Consideratio XLV.

Veritas à Christo semper defensa, & prædicata, eum tandem ad necem crucis promovit, ac condemnavit.

Consideratio XLVI.

Christus DEI Filius per summam injustitiam postulatur, & condemnatur ad crucis mortem.

Consideratio XLVII.

Christus ferens crucem omnes Christianos ad sui sequelam invitat, & animat.

Consideratio XLVIII.

Christus crucem ferens cur dixerit piis mulieribus, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete?

Consideratio XLIX.

Cur Christus Dominus crucem bajulans, cruentam suam faciem in sudario S. Veronicæ impressam reliquerit?

Considerario L.

Christus sub ponderosa cruce corruens pedibus impiorum, conculcatur, & stimulis agitatur.

Consideratio LI.

Christus præferens crucrem, omnes fideles animat, ut & ipsi ferendo crucem, suam sequantur.

Consideratio LII.

Christus in cruce exaltatus, comparatur aquilæ provocantis nos ad volandum.

Consideratio LIII.

Peccator, quantùm in se est, de novo Christum Filium DEI in crucem agit.

Consideratio LIV.

Cur Christus Dominus ad redimendum ôrbem non aliud remedium, quàm mortem crucis elegerit?

Consideratio LV.

De modo, quo pientissimus orbis Redemptor in crucem actus fuit.

Consideratio LVI.

Quare Domino JEsu, ubi cruci affixus est, facies atro velo tecta, & velata fuerit?

Consideratio LVII.

Cur Christus Dominus in erecta cruce, cor-

cœlum inter & terram medius pendere, & mori voluerit?

Consideratio LVIII.

Cur Salvator mundi nudus in cruce affigi, & pro nobis nudus mortem subire voluerit?

Consideratio LIX.

Cur Christus Dominus in medio terræ, & in monte Calvario salutem nostram voluerit operari?

Consideratio LX.

Christus per omnem vitam pauper, sed in cruce pauperrimus fuit, unde summum est pauperum ac miserorum solatium.

Consideratio LXI.

Christus extentis in cruce manibus orans, exemplum nobis præbet, quod salubriter imitemur.

Consideratio LXII.

Avaritia & proprium interesse Filium Dei ad mortem crucis magna ex causa promoverunt.

Consideratio LXIII.

Christus Dominus tot laceratus calumniis, docet nos, quomodo possimus & nos retundere, & superare calumnias.

Consideratio LXIV.

Per crucifixum JEsum latro salvatus, ne desperes: sed unus est, ne præsumas, quia gratia non est trahenda in consequentiam.

Consideratio LXV.

Christus in cruce pendens, peccatores recipit, sed in judicio rejicit; attende hic tibi Lector prudens.

Consideratio LXVI.

Christus in cruce pendens, suam demonstrat misericordiam, sed & justitiam.

Consideratio LXVII.

Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

Consideratio LXVIII.

Milites inter sese vestimenta Christi partiuntur, & de iisdem sortes mittunt. Argumentum pro lusoribus.

Consideratio LXIX.

Cur Christus Dominus inter duos latrones in cruce medius pendere, & mori voluerit?

Consideratio LXX.

In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur justitiæ illius.

Consideratio LXXI.

Moriens JEsus, sanctissimam matrem suam juxta crucem stantem, omnibus fidelibus commendat.

Consideratio LXXII.

Christus in Cruce à Patre, & ab omnibus derelictus, non solet suos derelinquere fideles.

Consideratio LXXIII.

JEsus in cruce sitiens, ardentissimum suum expressit desiderium, quo ergo nostram ferebatur salutem.

Consideratio LXXIV.

Quare Christus in cruce, fugiente jam anima, exclamaverit: consummatum est? O utinam considerent hoc omnes!

Consideratio LXXV.

Meritò confundi debent omnes superbi, dum Christum crucifixum intuentur, & vel per transennam considerant.

Consideratio LXXVI.
Christus in cruce patiens amaris lacrymis nostram deplorat jacturam animarum. Et nos quid?

Consideratio LXXVII.
Aspectus & consideratio crucifixi JEsu optimus est iræ & iracundiæ sedandæ Medicus.

Consideratio LXXVIII.
Christus in cruce despectus docet nos omnia terrena despicere, & solum Deum pura mente sectari.

Consideratio LXXIX.
Sanguis Christi patientis & crucifixi ab impiis proculcatus, & sicut aqua effusus, quod nobis insinuet?

Consideratio LXXX.
Christus in cruce verè Pastor bonus, pro ovibus suis dedit animam suam. An major charitas?

Consideratio LXXXI.
Invidia & immane odium Christum Dominum ad mortem crucis adegerunt, & occiderunt?

Consideratio LXXXII.
Lingua detractrix potissimùm Christum Dominum ad ignominiosam crucis mortem promovit.

Consideratio LXXXIII.
Disce à crucifixo JEsu ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Consideratio LXXXIV.
Juxta exemplum Christi crucifixi oratio pro inimicis facta Deo est gratissima.

Consideratio LXXXV.
Crucifixo JEsu super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ, & adhuc addunt.

Consideratio LXXXVI.
De irrisionibus, contumeliis & convitiis in Christum in cruce pendentem à malevolis jactatis.

Consideratio LXXXVII.
Christus, licèt multùm à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

Consideratio LXXXVIII.
Christus in cruce pronior est ad nos exaudiendum, quàm in sinu Patris.

Consideratio LXXXIX.
Redemptio generis humani quàm carò steterit Servatori nostro crucifixo JEsu?

Consideratio LXXXX.
Christus crucifixus typus summæ mansuetudinis, quem intueri debent, & imitari omnes veri Christiani.

Consideratio LXXXXI.
Consideratur labor & dolor crucifixi JEsu, quem pro salute nostra usque ad finem fortiter sustinuit.

Consideratio LXXXXII.
Christus crucifixus Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Consideratio LXXXXIII.
Christus Dominus, si attenta mente ipsum consideremus, salutarem nobis debet incutere timorem in cruce.

Consideratio LXXXXIV.
Christus crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum lepram curaret, ipse leprosus factus est.

Con-

Consideratio LXXXXV.

Ex consideratione Christi JEsu crucifixi omnia adversa æquo animo nobis sunt perferenda.

Consideratio LXXXXVI.

Crucifixus JEsus rebus in afflictis solamen nostrum & auxilium in tempore opportuno.

Consideratio LXXXXVII.

Christus crucifixus nos animat, ut crucem nostram alacriter feramus, si volumus gloriæ ejus esse participes.

Consideratio LXXXXVIII.

Ad Christum crucifixum sanguinum sponsum invitantur omnes sacræ Virgines, ac piæ animæ.

Consideratio LXXXXIX.

Christus patiens, & moriens in cruce Sacerdotes omnes monet, qualem animarum zelum habere debeant.

Consideratio C.

Moritur JEsus, vita nostra in cruce, & in Patris manus commendat spiritum.

Consideratio CI.

De prodigiis, quæ Christo pendente, & moriente in cruce, in cœlo & in terra facta sunt.

Consideratio CII.

De triumphali titulo supra caput JEsu crucifixi in trunco affixo, quid nobis insinuet?

Consideratio CIII.

Cur crucifixus Dominus latus suum per crudelem militis lanceam voluerit adaperiri.

Consideratio CIV.

De clavis & lancea, quibus sacratissimum corpus JEsu crucifixi perforatum fuit.

Consideratio CV.

Christus per crucem & passionem suam nobis Christicolis clausas cœli portas aperuit.

Consideratio CVI.

Christus in cruce mortuus, & tot vulneribus transfixus piis lacrymis à nobis est deplorandus.

Consideratio CVII.

Christus de cruce deponitur, & in horto in monumento novo, in petra excilo, sepelitur.

Consideratio CVIII.

Cur Christus per viros nobiles, Josephum & Nicodemum de cruce deponi, ac sepeliri voluerit.

Consideratio CIX.

Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quàm fuga ad crucifixum JEsum.

Consideratio CX.

In honorem Christi patientis & crucifixi ab Ecclesia septem Horæ Canonicæ sunt institutæ.

Consideratio CXI.

Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suos nos vivificavit.

Consideratio CXII.

Perpetuum altaris sacrificium idem est cum sacrificio aræ crucis, non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo.

Consideratio CXIII.

Cur crucifixus Salvator noster per quinque SS. vulnera sua mundum deperditum volierit redimere?

Consideratio CXIV.

Devotus aspectus & contẽplatio SS. quinque vulnerum crucifixi Domini quemli-

bet peccatorem ad frugem debet reducere.

Consideratio CXV.

Christus crucifixus thesaurus est inexhaustus bonorum omnium, gratiarum ac benedictionum.

Consideratio CXVI.

Excitatur homo Christianus ad spem & fiduciam in DEO collocandam ex contemplatione Christi crucifixi.

Consideratio CXVII.

Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum JEsum.

Consideratio CXVIII.

Crux Domini nostri JEsu Christi miseris & afflictis spes unica rebus.

Consideratio CXIX.

Christus crucifixus vitis vera, fructu suo lætificans, & confortans cor hominis.

Consideratio CXX.

Christus à Judæis reprobatus & crucifixus, factus est totius Ecclesiæ lapis angularis in Resurrectione

Consideratio CXXI.

Cervus veneno infectus ex vulnere, ad fontes aquarum currit: typus animæ ad crucifixum anhelantis.

Consideratio CXXII.

De immensa Christi charitate, quâ dilexit nos, dum in ara crucis pro salute nostra voluntariè se voluit offerre.

Consideratio CXXIII.

Grata memoria crucifixi JEsu Redemptoris nostri est prædestinationis nostræ insigne indicium ac signum.

Consideratio CXXIV.

Signum SS. Crucis fortissimum amuletum est contra dæmones infestantes, & præstigias eorum.

Consideratio CXXV.

De affectu admirationis, quem unicus & pius crucifixi JEsu aspectus in nobis debet causare.

Consideratio CXXVI.

Christus & hic crucifixus sit nostrum quotidianum horologium, ac perpetuum mobile.

Consideratio CXXVII.

Etiam bruta animantia Deum suum hominem crucifixum JEsum agnoscunt esse honorandum.

Consideratio CXXVIII.

Crucifixus Dominus typus summæ humilitatis, quam pro posse sequi debemus, & imitari.

Consideratio CXXIX.

Christus crucifixus typus perfectissimus patientiæ, quem in omnibus adversis nos opertet intueri.

Consideratio CXXX.

Christus in ligno crucis suspensus, perfectissimus obedientiæ typus, & exemplar omnibus.

Consideratio CXXXI.

Animæ pretium ex passione & sanguine Christi Crucifixi debet pensari & commensurari.

Consideratio CXXXII.

Quàm gravia sint peccata nostra, apparet ex aspectu & contemplatione crucifixi JEsu Redemptoris nostri.

Consideratio CXXXIII.

Peccata etiam venialia, deliberatè commissa SS. cor JEsu crucifixi vehementer affligunt.

Con-

Consideratio CXXXIV.

Qui ex animo ad Deum T. O. M. vult converti, ad pedes crucifixi JEsu sæpius suam contritionem excitet.

Consideratio CXXXV.

De immenso pretio sanguinis Christi, in passione & in cruce ad redemptionem animarum nostrarum effusi.

Consideratio CXXXVI.

Invitantur omnes Christiani, ut in vita, & in morte recurrant ad SS. vulnera Christi crucifixi.

Consideratio CXXXVII.

De gratitudine, quam debemus Christo JEsu, pro nostra, omniumque salute in crucem suffixo.

Consideratio CXXXVIII.

De ingraditudine illorum, qui vix, vel parùm recogitant de summo Benefactore suo crucifixo JEsu.

Consideratio CXXXXIX.

In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamus, etiam pro adversis.

Consideratio CXL.

Ad crucis contractum resurgunt mortui, & magnalia Dei referantur.

Consideratio CXLI.

Devotio erga SS. vulnera Christi JEsu crucifixi suadetur omnibus Christianis, præsertim discolis.

Consideratio CXLII.

De efficacia quinque SS. vulnerum Christi crucifixi ad impetrandam gratiam divinam, & tandem æternam salutem.

Consideratio CXLIII.

Christus crucifixus est vera idea, exemplar & fortitudo sanctorum Martyrum.

Consideratio CXLIV.

Felix sors, beata mors, obdormire in gratiosa umbra crucifixi JEsu Salvatoris nostri.

Consideratio CXLV.

Cur Christus Dominus etiam post gloriosam suam Resurrectionem quinque SS. vulnera voluerit conservare?

Consideratio CXLVI.

Crux ignominiosa Christo Salvatori nostro summam causavit, & peperit gloriam.

Consideratio CXLVII.

In cruce Domini nostri JEsu Christi omnis Christianorum gloria & victoria consistit.

Consideratio CXLVIII.

Mala sors, pessima mors illorum, qui Christum & hunc crucifixum non amarunt, non honorarunt in vita sua.

Consideratio CXLIX.

Quare signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus universorum venerit ad judicium?

Consideratio CL.

Crux Domini nostri JESU Christi causa omnium gratiarum, beneficiorum, donorum, ac benedictionum.

Consideratio CLI.

Rigidam Patris justitiam Filius DEI pro nobis crucifixus in summam misericordiam mutavit.

Consideratio CLII.

Quomodo homo Christianus Ducem ac Dominum suum crucifixum JEsum imitari possit, ac debeat?

Consideratio CLIII.

Christus passus, & crucifixus docet nos, quomodo prudenter debeamus servare salutare silentium.

Consideratio CLIV.

Christus Crucifixus, prodigium amoris, requirit à nobis etiam nostrum reciprocum amorem.

Consideratio CLV.

In omni tentatione ac miseria nostra inveniemus atylum in sacratissimis vulneribus Christi JEsu crucifixi.

Consideratio CLVI.

Sacrificium aræ crucis idem est cum sacrificio altaris, non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo.

Consideratio CLVII.

Optimus animarum, imò & corporum Medicus est Christus Dominus, & hic crucifixus.

Consideratio CLVIII.

Christus crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intùs & foris ab omnibus legendus.

Consideratio CLIX.

De summa & ultima fiducia, quam possumus collocare in meritis & Passione Christi JEsu crucifixi.

Consideratio CLX.

De pretioso sanguina Domin nostri JEsu Christi crucifixi optimo pro liberandis animabus purgantibus remedio.

Consideratio CLXI.

De cultu & veneratione SS. Crucis & imaginum SS. Crucifixi.

Consideratio CLXII.

De encomiis, quibus SS. Patres crucem Dominicam exornant, quæ servire possunt pro pluribus conceptibus.

Consideratio CLXIII. & Finalis.

Invocatur SS. Crux pro gratia finali, & totum opus concluditur.



IN-

INDEX CONCIONATORIUS
Per Dominicas & Festa per Annum.

Dominica I. Adventûs.

Respicite, & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Luc. cap. 21. v. 28.

CUr adventante extremo Judicii die erunt signa in sole, luna, & stellis: *Respicite, & levate capita vestra?* R. Ecce appropinquat redemptio vestra. Redemptio nostra crux est Dominica: *tunc parebit signum filii hominis.* Quod signum præ cæteris Passionis instrumentis præcedet Regem demonstrans eum, qui priùs fuerat crucifixus, ad cujus adventum *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Disce ex hoc amare sanctam crucem. Vide Considerationem CXLIX. Quare signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit? Matth. 24. v. 29. Matth. 24. v. 30.

Dominica II. Adventûs.

Et beatus, qui non fuerit scandalizatus in me. Matth. 21.

ISaias Prophetas de Christo venturo vaticinium tulit: *erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali.* De quo pariter S. Simeon tanquam de tenello puero: *ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Quando Christus positus est in signum, cui contradictum fuit? R. In cruce, huic signo contradicunt, ait Didacus Stella, superbi, iracundi, avari & invidi, denique omnes peccatores. Vide considerationem XXXI. Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi JEsu, pientissimi Redemptoris nostri. Isa. 8. v. 14. Luc. 2. v. 34. Didacus Stella in Luc. 2.

Do-

Dominica III. Adventûs.

Medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis. Joan. 1. v. 26.

OBservat Euthymius, quòd Christus se velut personam popularem ac vilem medias inter turbas miscuerit, ut prædicationem S. Joannis Baptistæ in deserto audiret. Ecce medius DEI & hominum mediator medium in nativitate, in vita, & in morte sua elegit. Vide Considerationem LIX. Cur Christus in medio terræ salutem nostram voluerit operari?

Dominica IV. Adventûs.

Omnis mons, & collis humiliabitur. Luc. 1.

Ven. Beda apud Manss. hac Dom.

VEnerabilis Beda per illos montes, qui in altum eriguntur, superbos intelligit, qui in adventu Redemptoris nostri humiliati sunt, quia juxta ejus vocem *Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Vide Considerationem LXXV. Merito confundi debent omnes superbi, dum Christum crucifixum intuentur, & considerant.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël. Luc. 2. v. 34.

Didacus Stella in Luc. c. 2.

HAnc veritatem Didacus Stella per similitudinem pereleganter mundo demonstravit: *Lapis*, inquit, *positus est in itinere, & ostendit iter, tu si impingis in illum, tibi imputabitur, quia ex malitia tua, vel negligentia provenit.* Hoc Propheta Evangelicus hodie nobis insinuat, dum de Christo vaticinatus est: *Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël*; nam peccatores plurimi videntes DEI misericordiam, & quomodo indulget peccatoribus, resurgunt à peccatis, sed aliis est in ruinam, quia videntes, quòd Christus misericors est, abutentes misericordiâ, fiunt deteriores, & bonitate DEI quâ convertendi erant, abutuntur, ac pejores fiunt. Hæc Didacus Stella. Vide Considerationem LXVI. Christus in cruce pendens suam demonstrat misericordiam, sed & justitiam.

Domi-

Dominica I. post Epiphaniam.

Et factum est, post triduum invenerunt eum in templo. Luc. 2.

HOc triduum, in quo Christus perditus fuit, & Hierosolymis permansit, juxta mentem S. Ambrosii præludium fuit illius tridui, in quo Dominus post 21. annos in ara crucis pro salute mundi esset immolandus. In hoc triduo disputabat cum Legis Doctoribus de adventu Messiæ, conditione, & natura, quem magnis rationibus, sacris Scripturarum testimoniis imminere jam, atque instare probabat. In hoc triduo erat JEsus in solennitate, ait S. Eucherius, qui totus erat causa solennitatis; ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificiis offerebatur. Considera hic grande desiderium, quo Salvator tuus adhuc duodennis ad passionem suam, & crucem anhelavit. Vide Considerationem XXXIX. De ardenti desiderio Filii DEI in cruce redimendi mundum deperditum. S. Ambros. l. 2. in Luc. c. 2. v. 46.

Dominica II. post Epiphaniam.

Nondum venit hora mea. Joan. 2.

DEficiente vino dicit Mater JEsu ad Dominum. *Vinum non habent.* Et quid benignissimus Dominus? *Quid mihi & tibi est mulier. Nondum venit hora mea.* Quando ergo venit illa hora? R. S. Augustinus, quando JEsus pependit in cruce, & mater ejus sub cruce stabat; hæc erat illa hora, quando Longinus latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua, non mixtim, sed separatim; en vinum rubrum, & album. Esuris? Hinc manna collige. Sitis? Bibe è paradisi fonte, quia Cherubini gladius in lanceam versus est, quæ nobis viam cœli aperuit. Ite nunc charissimi & haurite ex hoc divinissimo fonte in vitam æternam. Vide Considerationem CXI. Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit. S. August. apud Cornel. à Lap. hic.

Dominica III. post Epiphaniam.

Domine si vis, potes me mundare, Matth. 8.

DUos hodie curavit divinus ille Medicus ab infirmitate sua: cumque descendisset de monte, *Ecce leprosus veniens adorabat eum*, quem sine mora verbo vitæ à contagiosa lepra sanavit. *Et extendens JEsus manum tetigit eum dicens: volo mundare, & confestim mundata est lepra ejus.*

Paulus de Pal. in Matth.

Supra quod egregiè Paulus de Palatio: *In hoc verbo: volo*, inquit, *commendat Christus charitatem suam, quia leprosis mortuus est transferens in se lepram nostram; unde nos reputavimus eum quasi leprosum.* Secundum, quem à paralysi curavit, erat servus centurionis, qui venit ad Christum: *Jacet in domo paralyticus, & malè torquetur*, ad quem mox benignissimus JEsus: *Ego veniam, & curabo eum.* Ecce in domum Reguli venire noluit, ut sanaret filium ejus, quia dives, & potens erat, ad pauperculum autem ultrò venit. Ex quo patet, quòd omnibus, præsertim miseris cupiat esse saluti. Vide Considerationem CXVIII. Crux Domini nostri JEsu Christi miseris, & afflictis spes unica rebus.

Dominica IV. post Epiphaniam.

Et ecce! motus magnus factus est, ita ut navicula operiretur. Matth. 8

Ven. Beda l. 3. in Luc.

RECtè Venerabilis Beda: *Navis crux Christi, quam cùm Dominus ascendit, in ea dormivit, requies enim Domini crux, passio pulvinar.* Considera Jonam in navi dormientem, hic magnam Sacramenti Dominici imaginem præseferebat; etenim navis materia significavit crucem, somnus verò passionem. Ita S. Zeno. Et nunquid *exiguo ligno*, ait Sapiens, *credunt homines animas suas, ac transeuntes mare per ratem liberati sunt?* Quod idem in præsenti proposito dicere possumus, videlicet, quòd, si quis in ligno S. Crucis mare præsentis vitæ enaviget, animam suam securissimè salvabit. Vide Considerationem XXXIV. Jonas Propheta in mare demersus insignis typus erat Christi patientis & crucifixi.

S. Zeno ser. de Jona

Sap. 14. v. 5.

Dominica V. post Epiphaniam.

Servi autem dixerunt: vis imus & colligimus ea? Et ait: non, ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. Matth. 11.

QUemadmodum aliquis in sua arte expertus Medicus, vel Chyrurgus ægrè se resolvit, si membrum aliquod à corpore humano debeat resecare, nisi illud membrum omninò sit corruptum, & reliquo corpori ac sanitati nocivum: ita summus Medicus, qui de se ipso ait: *non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*, ad resecandam impiis vitam se non præcipitanter resolvit, sed ad tempus aliquod eandem tolerat: *expectat Dominus*, ut

misereatur. Et nunquid legistis illorum duorum discipulorum Jacobi & Joannis indiscretum zelum, qui videntes Samaritanorum insultum ad ignem de cœlo evocandum se promptos offerebant, quibus autem Dominus: *nescitis cujus spiritûs estis.* Luc. 9. v. 55. Sic & hodierni famuli apud Patremfamilias de eradicandis zizaniis solicitarunt: *vis imus, & colligimus ea?* Respondit: *non, ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum.* Observat hic rectè S. Thomas, *quòd sæpe numero dissimulare expedit, ne major ignis accendatur*; & Hugo Cardinalis: *pro pace Ecclesiæ aliquando tolerandi sunt mali.* Vide Considerationem CXVI. Excitatur homo Christianus ad spem, & fiduciam in DEO collocandam ex contemplatione Christi crucifixi. S. Thom. in Matth. Hugo Card. apud Mansi. hic.

Dominica VI. post Epiphaniam.

Quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creverit, majus est omnibus oleribus. Matth. 13.

RECtè mellifluus: *Verbum facilè volat, sed non leviter vulnerat*: non ignorabis credo, undenam Monarchia Ottomannica, quæ est inter barbaras gentes floridissima, exorta sit? &. ex variis Auctoribus, quòd ab unico verbo contumelioso à Ministro Catholici Imperatoris Heracliti inconsideratè prolato ortum suum duxerit; cum enim militibus Constantinopoli sua distribuerentur stipendia, thesaurarius Imperatoris Saracenis ex Arabia ad bellum adventantibus durè respondit: *se non habere panem pro canibus istis distribuendum.* Quod contumelioſum verbum omnium Saracenorum corda transfixit, ut subditò conspirantes in Arabiam reversi sint, & sibi ducem Machometem elegerint. Hinc illæ lacrymæ, strages, & perditio. *Ecce quàm modicus ignis, quàm magnam sylvam accendit.* Jac. 3. v. 5. Ecce! quàm parvus lapillus ingentem statuam Nabuchodonosoris confregit, ac contrivit. Ecce effectum peccati venialis neglecti, vel contempti quæ quidem gravia vulnera non sunt, sed vulnuscula, quæ plura etiam mortem tandem conferre possunt. Quid levius punctura acûs? Et tamen S. Cassianum Martyrem ejusmodi punctura peremerunt. Brev. Rom. 13. Aug. Vide Considerationem CXXXIII. Peccata etiam venialia deliberatè commissa, SS. cor JEsu crucifixi vehementer affligunt.

(O)

Dominica Septuageſimæ.

Simile eſt regnum cœlorum homini Patriſamilias, qui exivit primo manè conducere operarios in vineam ſuam. Matth. 20.

Gloſſ. Ord. hìc. OMnes hodie ad vineam Domini invitantur. Pater iſte familias, ait Gloſſa, Conditor noſter eſt, qui habet vineam univerſalem Eccleſiam, quæ ab Abel usque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quotquot ſanctos protulit, tot palmites miſit; hinc exiit manè (exire DEI eſt operari ad extra) prima hora, hoc eſt ab Adam uſque ad Noë. Circa horam tertiam à Noë uſque ad Abraham. Circa ſextam ab Abraham uſque ad Moyſen. Circa horam nonam à Moyſe uſque ad Adventum Domini. Obſerva hìc cum Paulo de Palatio, in variis illis cœleſtis Patrisfamilias egreſſibus ingentem illius zelum, ac curam, qua vineæ ſuæ culturæ, & operariorum ſuorum laboribus ac induſtriæ promovendæ intentus erat; *varii enim à Chriſto patiente in amariſſima ejus paſſione egreſſus facti ſunt: exiit Chriſtus manè in prætorium; hora tertia ad Herodis Palatium; hora ſexta ad montem Calvarium; hora nona exiit ſpiritus ejus è vita ad limbum; hora undecima corpus ejus in ſepulchrum.* Vide Conſiderationem CXXVI. Chriſtus & hic crucifixus ſit noſtrum quotidianum horologium ac perpetuum mobile.

Paul. de Pal. hìc.

Dominica Sexageſimæ.

Aliud cecidit ſecùs viam, & conculcatum eſt. Luc. 8.

Salmeron hìc. QUemadmodum DEI Filius, ùt notat doctiſſimus Salmeron, ſimul Redemptor, ac Redemptio, ſimul lex & legislator, ſimul ſacerdos & hoſtia dicitur: ita quoque *Sator* ſimul ac *ſemen* appellatur. Exiit divinus hìc ſator non locò, ait Theophylactus; *nam ubique eſt, ſed ſecundùm illud, quod propior nobis factus eſt per carnem.* Exiit è ſinu Patris, & venit in mundum, ut agrum Eccleſiæ cœleſti ſemente fœcundaret; ipſe erat granum frumenti cadens in terram & mortuum, ipſe ſuo ſudore, ac ſanguine agrum irrigavit. Sed quid audio? Horreo, & obſtupeſco! quid ais ſacer Evangeliſta? *Cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt?* Ubi? Quando? Apud quos tanta impietas? R. Paulus de Palatio: *Cùm audit, & videt, tunc verè ſementem conculcat; quia Verbum* (Incarnatum & crucifixum) *quod ſuper caput ſtatui debuerat, ſub pedibus collocatur.* Vide Conſideratio-

Theophyl. hìc.

nem

tem LXXIX. Sanguis Christi patientis & crucifixi ab impiis proculcatus, & sicut aqua effusus, quid nobis insinuet?

Dominica Quinquagesimæ.

Tradetur gentibus & illudetur, & flagellabitur & conspuetur: & postquàm flagellaverint, occident eum. Luc. 18.

MYsteriosa locutio est S. Pauli Apostoli de Christo Domino orbis Redemptore ita scribentis: *Quem proposuit DEus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Quid ais magne Gentium Doctor? an Christi copiosa redemptio solùm prodest *in remissionem præcedentium dilectorum*, & non etiam in remissionem subsequentium? Nonne fide certi sumus, quòd si mille mundi forent, & quilibet millies sceleratior istô, divini Filii sanguis in passione effusus, imò unica illius guttula sufficiens esset & superabundans ad extinguendum hunc omnem peccatorum reatum? Ita omninò est. Cur ergo Apostolus de præcedentibus tantùm, & non æquè de subsequentibus peccatis mentionem facit? Percipite AA. responsionem zelosissimi Josephi de Barzia: ideò Apostolus de præcedentibus solùm delictis loqnitur, quia impossibile judicavit unicum adhuc peccatum in orbe commissum iri, postquàm mundus oculis vidit cruentum spectaculum Filii DEI propter peccata nostra in crucem suspensi. O mi sancte Gentium Apostole, quid obsecro nunc diceres, si videres hoc bacchanaliorum tempore omnis generis vitia plenis furiis bacchari? Non frustrà hodie Ecclesia Evangelium legit de passione Dominica, quia hæc passio nunquam magis, quàm his diebus contemnitur, & renovatur. Vide Considerationem LIII. Peccator, quantùm in se est, de novo Christum Filium DEI in crucem agit. Ad Rom. 5. Joſ. de Barz. ſer. 4. n. 28.

Dominica I. Quadragesimæ.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4.

BEnignissimus mundi Salvator, cùm in ultima cœna unà cum suis discipulis recumberet, Judam Iscariotem proditorem suum nomine *diaboli* denotavit: *unus ex vobis diabolus est.* Et ecce! rem miram! finita cœna præcingit se linteo, coram Juda incarnato hoc diabolo in genua prolabitur, eique pedes lavat. Hic subsisto, & quæro admirabundus: cur ergo DEI Filius in hodierno Evangelio recusat dæmoni tentatori genua flectere, qui in præmium hujus adgeniculationis ei omnia regna mundi appromisit? Cur Joan. 6.

Judæ diabolico impostori, & non æquè diabolo hoc honoris genus exhibet?

S. Petrus Chrysol. R. S. Petrus Chrysologus: *contemplare Divinitatem genuflexam ante damonem, ut animam Judæ lucrificaret.* In hodierna tentatione agitur de omnibus regnis mundi, in ultima cœna autem agitur de anima Judæ: unica verò anima plùs valet, quàm omnia regna mundi. Mundum universum DEus sex dierum spatio condidit; sed pro anima triginta tribus annis laboravit. Vide Considerationem LXXXXIX. Christus patiens, & moriens in cruce Sacerdotes omnes monet, qualem animarum zelum habere debeant.

Dominica II. Quadragesimæ.

Domine bonum est nos hìc esse. Matth. 17.

SAncti PP. ac interpretes varias assignant rationes, cur Christus Dominus, qui ignominiam crucis, ùt ait Theophylactus, toti mundo ostendit, gloriam transfigurationis tantùm tribus, & quidem his tribus in individuo, nempe Petro, Joanni, & Jacobo exhibere voluerit? Præcipuè invenio geminam hujus rei rationem. Primam assignat devotissimus Didacus Stella: *quia hi tres erant visuri Christum tremebundum in horto, & ne tunc scandalizarentur in eo per carnis infirmitatem, ostendit modò gloriam suam, ut non diffidant.* Alteram rationem adducit doctissimus Lyranus; *ut sic animarentur ad sequendum Christum in acerbitate passionis.* Ecce! particeps nemo est gloriæ Dominicæ, nisi particeps & sit passionis. O anima Christiana! ad te loquor, quæ in persecutionibus, & adversitatibus amaritudinem passionis degustas! Ignosce, non possum te adducere ad montem Thaboræum, sed adducam te ad montem Golgothæum, ubi ex ignominia Christi non minùs quàm ex gloria Christi sat virium hauriri potes ad adversa generosè perferenda. Ita animat te S. Franciscus Salesius: *Statuamus æquè tam in monte Calvariæ, quàm in Thabor dicere: Bonum est me tecum esse Domine; sive in cruce moriaris, sive gloriâ refulgeas.* Vide Considerationem LXXXXII. Christus crucifixus DEus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Didacus Stella in Luc. c. 9. Lyran. in Matth.

S. Franc. Salef. Phil. P. 4. c. 13.

Dominica III. Quadragesimæ.

Si in digito DEI ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum DEI. Luc. 11.

SIsara Princeps regis Jabin, cùm è prælio profugus ad Jahelem uxorem Haber Cinæi in domo diverteret, & somno indulgeret; ecce! illa clavo & mal-

malleo armata, *ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram.* Siſara, ait Cornelius, diabolum repræſentat, ille olim tam magnus, tam potens princeps tenebrarum, nunc infirmus & quaſi clavo confixus jacet. Audiamus S. Auguſtinum: *quæ eſt iſta mulier plena fiducia hoſtis tempora ligno transfigens, niſi fides Eccleſiæ cruce Chriſti regna diaboli perimens?* Hæc crux Chriſti eſt ille digitus DEI ejiciens dæmonia, exaltans regnum DEI, & interficiens dæmonem illo ipſo clavô, quo manus Chriſti Domini cruci affixæ ſunt. Ita loquitur S. Leo: *Clavi illi, qui manus Domini, pedéſque transfoderunt, perpetuis diabolum fixêre vulneribus, & ſanctorum pœna membrorum inimicarum fuit interfectio poteſtatum.* Vide Conſiderationem CXXIV. Signum SS. Crucis fortiſſimum amuletum eſt contra dæmones infeſtantes & præſtigias eorum.

Jud. 4. v. 21.

Cornel. à Lap. hic.

S. Aug. l. 12 contr. Faust c. 33.

S. Leo ſerm. 10. de Paſſ.

Dominica IV. Quadrageſimæ.

Diſtribuit diſcumbentibus. Joan. 6.

CUm in Capitulo Generali Ordinis Minorum aliquando nihil eſſet edulii, fratres pleni fide dixerunt: *Eamus, & omnipotentem deprecemur DEUM, qui 5000. hominum in deſerto ſatiavit: neque enim nunc minoris eſt potentiæ, aut miſericordiæ, ut de ejus deſperemus bonitate.* Perſtiterunt ita in oratione, & ecce horâ prandii juſſit S. Franciſcus fratres in Refectorio diſcumbere. Quod dum faciunt, viderunt ingredi in triclinium viginti adoleſcentes egregios, ſuccinctos, & expeditos ad ſerviendum, qui & miniſtrârunt panem, vinum, & omne genus obſonii neceſſarium recumbentibus numerô quingentis. Finito verò prandio, inclinato capite, & ſalutatis fratribus bini ſuo ordine exierunt è refectorio admirantibus fratribus, & laudantibus DEum pro tanta in ſe providentia. Simile quid legitur etiam in vita S. Dominici, qui, cùm aliquando domi nihil eſſet cibi, juſſit fratres menſæ accumbere, illíque benedixit: & ecce! ingreſſi duo angeli ſpecie elegantium juvenum ſingulis fratribus numerô centenis ſingulos candidiſſimos panes appoſuerunt, unus à dexteris, & alter à ſiniſtris, & ſubmiſſis capitibus diſparuerunt. Quid dicam de S. Joanne Eleemoſynario, de Sanctulo Presbytero, de Hadriano II. Pontifice, de S. Ludwina Hollanda, aliísque quibus tum panes tum peculium tantò largiùs à DEO fuit multiplicatum, quantò illi in pauperes fuerunt profuſiores. Ex quibus omnibus luculenter apparet illud Davidicum: *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*; nam turba hæc numeroſa, quam mirabiliter auctis panibus hodie Dominus pavit, in men-

Annales Minorum Lucæ Wadingi Anno 1219. n. 11.

Vita S. Dominici l. 3. c. 4.

Leont. in vit. S. Joan. Eleemoſ.

S. Greg. dial. 37.

Surius in vit. S. Lydvv in Aprili.

Pſ. 10. v. 5.

Dionyſ. Carthuſ. in Joan.

te Dionyſii Carthuſiani ùt plurimum pauperes & egeni fuerunt. Vide Conſiderationem LX. Chriſtus per omnem vitam pauper, ſed in cruce pauperrimus fuit, unde ſummum eſt pauperum ac miſerorum ſolatium.

Dominica Paſſionis.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum, JEſus autem abſcondit ſe. Joan. 8.

DEfendunt communiter Theologi cum Suario, Vaſquio, ac aliis, quòd Chriſtus DEI Filius ab æterno Patre præceptum, & quidem rigoroſum habuerit ad ſubeundam mortem: hoc non obſtante erat adhuc liber ad eligendum qualecunque mortis genus; quia per quamcunque mortem verificari poteſt illud Apoſtoli: *Factus eſt obediens usque ad mortem.* Dum igitur hodierna die Judæorum durities templo fecit crudelitatis theatrum, id eſt, dum JEſum, *quem intelligere non poterant*, lapidibus *obruere quærebant*, prout loquitur S. Gregorius; oportuna ſe obtulit occaſio ſub lapidum ictibus moriendi, & præcepto divini Patris ſatisfaciendi. Sed ecce! *JEſus abſcondit ſe.* Quare? An fortè timore mortis? R. Albertus Magnus: *Non timore mortis, quia crucifixoribus occurrit.* An fortè ex impotentia reſiſtendi? Reſpondet idem: *Neque impotentia reſiſtendi, quia uno verbo in infernum omnes præcipitare potuit.* Quæ ergo cauſa ſubeſt, quòd orbis Redemptor lapidationis mortem ſubterfugiat? Audiamus Angelicum Doctorem: *Quia non elegerat hoc genus mortis, ſed potiùs in ara crucis voluit immolari*: non lapides, ſed lignum voluit ſuæ mortis eſſe inſtrumentum. Vide Conſiderationem LIV. Cur Chriſtus Dominus ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm mortem crucis elegerit?

S. Gregor. hom. 18.

S. Albert. M. apud Manſi hac Dom.

S. Thom. in Joan.

Dominica Palmarum.

Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Hoſanna Filio David: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Matth. 21.

JOſephus Prorex Ægyptius é carcere ad regale Solium promotus eſt. Et ecce! amantiſſimo parenti Jacobo de hac promotionis felicitate nullum nuntium miſit: ita expreſsè ſentiunt S. Auguſtinus, & doctiſſimus Pererius. Eccur optimum Patriarcham tantâ lætitiâ privavit? Superſedio hic proferre diverſiſſimas rationes SS. Patrum ac interpretum. & ſolum illam in me-

Gen. 42. S. Auguſt. ſer. 82. de temp. Perer. in Gen. c. 42.

medium adducò, quam zelosissimus de Barzia insinuat. Prudentissimus Joseph satis noverat stylum, & instabilitatem mundi hodie applaudentis, cras persequentis: ideò meritò metuebat, ne antequam nuntius per trecenta milliaria ad Patrem (tanto enim spatio aberat) pertingeret, ipse de throno in carcerem descendere juberetur, veluti antea de carcere ad thronum ascenderat. Joſ. de Barz. ſer. 14. n. 19.

O munde proditor, exclamat S. Augustinus - - *promittis florem, & citò evanescit!* hanc scenam hodie luculenter videmus exhibitam in Christo Domino: audire juvat S. Bernardum. *Nunc quidem processionis gloria, & divinis est laudibus honestatus; postmodùm verò interrogatus, contumeliis, & tormento, & cum sceleratis est deputatus. O quàm dissimile fuit: tolle, tolle, crucifige: & Benedictus qui venit in nomine Domini. Quàm dissimile! Rex Israël: & non habemus Regem nisi Cæsarem.* Felix igitur qui contemptis mundi blanditiis suam felicitatem tali fundamento inædificat, quod fallere non potest. Vide Considerationem LXXVIII. Christus in cruce despectus docet nos omnia terrena despicere, & solum DEum pura mente sectari. S. Aug. ſer. 31. ad fratr. S. Bern. ſer. 1. de ramis palm.

Feria V. Cœnæ Domini.

Hoc facite in meam commemorationem.

CHristus Dominus tam à coronato Psalte, quàm ab Apostolo vocatur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: igitur non tantùm cruento Sacrificio in cruce sed modo etiam incruento sacrificaverit necesse est; quia Melchisedech nunquam cruentam sed solùm incruentam oblationem in pane & vino fecit. Quæris ubi Christus incruente sacrificaverit? R. Cornelius à Lapide, in ultima cœna, cùm scilicet Evchariſtiam sub specie panis & vini obtulit. Vide Considerationem CXII. Perpetuum altaris sacrificium idem est cum sacrificio aræ crucis, non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo. Cornel. à Lap. in Gen. c. 14. v. 18.

Feria VI. Parascevęs.

O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Thren. 1.

SI Passio Domini nostri JEsu Christi nova esset historia heri facta, nunc totus mundus admiratione plenus esset: sed quoniam tritum quid est, ac sæpiùs auditum, ideò dici de illa potest, quod S. Augustinus de beneficiis DEI loquitur: *assiduitate viluerunt.* Hinc tam innumera peccata, quia pauci S. Aug. tr. 14. in Joan.

pauci sunt: qui recogitant corde, quid DEI Filius passus sit ad abolenda peccata: sanctior esset mundus, *nisi populus meus oblitus est mei diebus innumeris.* Quamobrem clamabo hodie illud Prophetæ: *attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus*, id est, pro viribus explicabo enormia tormenta Filii DEI, quæ passus est in quinque præcipuis passionis mysteriis. Vide Considerationes, primò XLII. Crux in monte Oliveti Christo proposita, torcular fuit, quod ante tempus ei sanguineum expressit sudorem. Secundò XLIII. Crucifigendi olim priùs acerbè flagellabantur, quod & Christo Redemptori nostro accidit. Tertiò XLIV. Consideratur JEsus, quare spinis coronari voluerit, & in cruce cum eadem spinea corona mori. Quartò L. Christus sub ponderosa cruce corruens, pedibus impiorum conculcatur, & stimulis agitatur. Quintò denique LV. De modo, quo pientissimus orbis Redemptor in crucem actus fuit.

Dominica Resurrectionis.

Pascha nostrum immolatus est Christus. 1. Cor. 5.

AD celebrandam solennitatem Paschalem inter alias cæremonias olim Dominus DEus Israëlitis præcepit, ut agnum anniculum integrum, & maculæ expertem quatuor diebus ante immolationem secernerent, & constanter ante oculos haberent, idque ex duplici præsertim ratione, prout instituit Cornelius, tum ut ad exitum ex Ægypto se pararent, tum ut ex aspectu agni haberent occasionem frequenter de sua redemptione sermocinandi. En Christiana anima! quarta abhinc dies est, qua Christus velut ovis ad occisionem ductus, excoriatus, & in cruce mactatus fuit, de quo S. Apostolus *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Tu intuere frequenter, & duplex emolumentum ex illius aspectu cape: primò exi de Ægypto, *Pascha* enim *transitus dicitur*, ait S. Ambrosius, *quia per hoc mysterium de pejoribus ad meliora transitur.* Quæris ad quæ meliora? Audi S. Bernardum: *Pascha nostrum immolatus est Christus; amplectamur commendatas nobis in cruce virtutes, humilitatem, patientiam, obedientiam, & charitatem.* Secundò utere frequenter occasione de hoc agno immolato, & de tua redemptione sermocinandi: imò ego hodie utar, tu sedulò ascultа. Vide Considerationem XV. Agnus Paschalis, item matutinus & vespertinus typus fuit Christi JEsu crucifixi.

Exod. c. 12. v. 3.

Cornel. à Lap. hìc.

1. Cor. 5.

S. Ambr. hom. l. 2.

S. Bern. ser. 1. in die Paschæ.

)o(

Fe-

Feria II. Paſchatis.

Nonne hæc oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Luc. 24.

SAnctus Auguſtinus Chriſtum Dominum nobis propònit ſub ſchemate mercatoris ita loquentis: Regnum cœlorum venale habeo. Quid ais Domine? Regnum cœlorum venale habes? Ita eſt! quo emitur? Reſpondet, pauperitate regnum, dolore gaudium, labore requies, vilitate gloria, morte vita. *O ſtulti* igitur, *& tardi corde ad credendum*, quicunque cupitis aliâ moneta cœlum emere, quàm meris crucigeris, ſeu crucibûs, quibus ipſe Chriſtus DEI Filius ſuam ſibi gloriam comparavit. *Nonne hæc oportuit Chriſtum pati & ſic intrare in gloriam ſuam?* Vide Conſiderationem LXXXXVII. Chriſtus crucifixus nos animat, ut crucem noſtram alacriter feramus, ſi volumus gloriæ ejus eſſe participes. S. Aug. in Pſalm. 93. Luc. 24.

Feria III. Paſchatis.

Oſtendit eis manus & pedes. Luc. 24.

ANtipater Herodis Aſcalonitæ frater, Cæſarianarum copiarum Dux, cùm apud Cæſarem perduellionis accuſatus in jus vocaretur, nihil in ſui purgationem attulit, ſed diruptis veſtibus pectus multis cicatricibus, & vulnerum veſtigiis deturpatum oſtendit: quo viſo ſpectaculo Cæſar exclamâſſe dicitur; *hæc non ſunt ſigna proditionis, ſed fidelitatis.* Hodie benigniſſimus Redemptor oſtendit diſcipulis perforatas manus, ac pedes, oſtendit ſacratiſſimum pectus immani vulnere ſaucium: Quid nos cum diſcipulis Domini viſo hoc ſpectaculo exclamemus? An perduellionem noſtram hæc nobis ſtigmata objiciunt, aut fidelitatem ac amorem DEI Redemptoris loquuntur? Vide Conſiderationem CXLV. Cur Chriſtus Dominus etiam poſt glorioſam ſuam Reſurrectionem quinque SS. vulnera voluerit conſervare? Michaël à Calvo conc. 44. aſſumpt. 3.

Dominica I. poſt Paſcha.

Affer manum tuam, & mitte in latus meum. Joan. 20.

QUemadmodùm cera ad ignem, nives ad ſolis ardorem reſolvuntur: ita cor Apoſtoli Thomæ, quod obſtinacia incredulitatis obduruit, tactu SS. vulnerum colliquefactum eſt. Rectè exclamat devotiſſimus Joannes Buſæus. *O quomodo arſit cor Thomæ, cùm mitteret manus in eam ardentem* Joan. Buſ. in chirid.

piar. med. in Oct. Pasch. S. Bonav. de Stigm. c. 4.

tem fornacem & ideò in genua mox lapsus eum adoravit! & S. Bonaventura: *O vulnera corda vulnerantia, & mentes congelatas inflammantia, & pectora adamantina liquefacientia!* Vide Considerationem CXIV. Devotus aspectus & contemplatio SS. quinque vulnerum crucifixi Domini quemlibet peccatorem ad frugem debet reducere.

Dominica II. post Pascha.

Animam meam pono pro ovibus meis. Joan. 10.

Ezech. 34. Cornel. à Lap. in Joan. c. 10. v. 11. Jansen. ap. Mansi hic.

DE Christo Domino intelligendum est illud Ezechielis vaticinium: *suscitabo super eas* (oves meas) *pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David* (puta Christum Davidis filium) *ipse pascit eas, & ipse erit eis in pastorem.* Hinc olim pingebatur, ut pastor humeris suis ovem bajulans, uti adhuc videre est in picturis antiquissimis, quæ extant in Basilica Lateranensi in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani, in cœmiteriis S. Priscillæ, S. Laurentii, S. Sebastiani &c. Et verò Christus solus gaudet titulo pastoris optimi, & præstantissimi; *quia solus Christus*, ait Jansenius, *potuit ponere, id est, deponere animam suam, sicut enim è manibus persequentium se liberare potuisset, si voluisset, ita spiritum suum emisit potestatem habens illum vel emittendi priùs, vel retinendi diutiùs.* Verè bonus Pastor! Vide Considerationem LXXX. Christus in cruce verè Pastor bonus, pro ovibus suis dedit animam suam.

Dominica III. post Pascha.

Sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Joan. 16.

NEmo invideat mundo suum gaudium, quod paulò pòst vertetur in tristitiam: præstat enim jam *modicum* tristari, & demum cum Christo æterno gaudiô frui. Hinc divinus Magister hodie præmonet discipulos: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis.* Quæso, de quo ploratu & fletu loquitur? R. S. Chrysostomus: *mortem, & crucem significabat.* O felices Apostoli! macti animis estote, pellite omnem tristitiam! quia servis DEI crux blanda, crux dulcis, crux suavis & delitiosa, crux non crucians sed oblectans est, ait sanctus Thomas de Villanova: experiemini hanc veritatem, quando suo tempore *ibitis gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti estis pro nomine JEsu contumeliam pati.* Vide Considerationem LXXXV. Ex consideratione Christi JEsu crucifixi omnia adversa æquo animo nobis sunt perferenda.

S. Chrysost. hom. 78. in Joan. S. Thom. Villanov. ap. Speran. punct. 26. de pas. Dom. Actor. 5.

Do-

Dominica IV. post Pascha.

Vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis? Joan. 16.

ÆTerna veritas Christus dilectos suos discipulos in ultima cœna inter alia commonuit: *ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum.* Ubi singulariter considerandа venit illa particula comparativa *sicut*: quærit enim hic doctissimus Oleaster: dic nobis bone JEsu, quomodò tibi Pater disposuit regnum tuum? Et mox respondens ait: per calicem passionis & crucem. Hæc scala est, qua DEI Filius ascendit in regnum Patris sui. Tu Christiane *quò vadis?* Respondes quidem, ad cœlum vado, finem meum ultimum ad quem creatus sum: & rectè ais? sed ne præsumas, aliâ viâ te illuc ascensurum, nisi scalâ crucis. Vide Considerationem X. Crux dominica est scala Jacob, & secura animæ Christianæ ad cœlum semita. Luc. 22. v. 20.

Dominica V. post Pascha.

Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Joan. 16.

DE Mollossitis barbaro aliàs populo memoriæ proditur, quòd si à Rege suo gratiam quandam impetrare voluerint, regium principem in ulnis gestare, & sic sub conspectum regis venire assueverint: Rex intuitu dilecti filii vix quidquam supplicabundis denegare poterat. Christianæ animæ! en illuxit nobis denuò septimana, ut vocamus precatoria: Christus ipse nos animat: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Qnid agimus, ut nostræ preces suo effectu non frustrentur? DEI Filium non licet quidem manibus gestare, sed licet manibus imitari: agite, ego vos efficacem hodie orandi methodum edocebo. Vide Considerationem LXI. Christus extentis in cruce manibus orans, exemplum nobis præbet, quod salubriter imitemur. Joan. 16.

Dominica infra Octavam Ascensionis Domini nostri JEsu Christi.

Ille testimonium perhibebit de me, & vos perhibebitis. Joan 15.

QUando amantissimus parens ex hac vita migrat, certè orphanis & derelictis filiis hoc unicum solatium supereſt, si fidelem tutorem, & bona paterna vi testamenti adipiscantur. Christianæ animæ! migravit à nobis Christus amantissimus Pater, in cœlum abiit; & ecce pro sua paterna solicitudine assignat nobis fidelissimum tutorem *Spiritum Veritatis.* Assignat nobis bona sua per ultimum testimonium seu testamentum: ego explicabo, quid Christus Dominus nobis testamento reliquerit. Vide Considerationem XXVIII. Dulcis Jonathas insignis typus dulcissimi JEsu, denudati, crucifixi & in cruce mortui.

Dominica Pentecostes.

Paraclitus autem Spiritus sanctus, ille vos docebit omnia. Joan. 14.

2. Cor. 2. SAnctus Apostolus Paulus de se ipso fatetur: *non judicavi me aliquid scire nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.* Mira dictio! an ergo gentium Doctor non habuit pro Magistro Spiritum sanctum, qui eum docuit *omnia*? Omninò habuit: cur ergo dicit se nihil scire, nisi JEsum crucifixum? R. Quia qui JEsum crucifixum scit, *omnia* scit: hinc instruxit suos Corinthios *in una cruce esse gloriandum*, ait Cornelius. Inhient alii scientiis, arti eloquentiæ, Philosophiæ, Medicinæ, Matheſi, Theologiæ: sed Apostolo Christus crucifixus est liber *Unus pro omnibus* sufficiens, in quo didicit *omnia*. Vide Considerationem CLVIII. Christus crucifixus est Bibliotheca nostra, & liber scriptus intùs & foris ab omnibus legendus.

Cornel. à Lap. hic.

Feria II. Pentecostes.

Sic DEus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan 3.

Cornel. à Lap. in Joan. c. 3. NOtat hic singulariter Cornelius à Lapide, quòd singula Christi verba hic habeant magnam emphasin, & emphaticè exaggerent amorem DEi; pri-

primò enim ait, *sic*, id est, tantâ amoris vehementia, conatu, excessu. Secundò, non Rex, non Cæsar, non Angelus, sed *DEus*. Tertiò *dilexit*, scilicet prior, & gratis, sine merito, imò sine desiderio nostro. Quartò *mundum* sibi contrarium, hostem & reum damnationis. Quintò, ut non hominem, non Angelum, non mundum alterum sed *Filium*; non alienum, non adoptivum, sed *suum* proprium, ac naturalem, eúmque non unum è multis, sed *unigenitum*, & unicum. Sextò non venderet pretio, non mutuaret, sed gratis *daret*, non ad regnum, & triumphos, sed ad mortem, & crucem. Septimò id fecit non sibi, non Christo fructum aliquem quærens, sed ut ipse nos, id est, creator creaturas suas sua morte vivificaret, suâ humilitate exaltaret, sua exinanitione, æternâ gloria, opibus & bonis immensis cumularet. Hæc Cornelius. Vide Considerationem IX. Consideratur in typo Abrahami & Isaac amor æterni Patris filium suum unigenitum in mortem crucistradentis.

Feria III. Pentecostes.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur. Joan. 10.

POstquàm divinus orbis Redemptor in cruce expiravit', ecce! *unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Hic oritur quæstio; cùm Christus Dominus insatiabile desiderium plura ac plura patiendi ostenderit, ita ut in cruce exclamârit: *Sitio*, non tam desiderio bibendi, quàm desiderio plura adhuc patiendi, eccur immane pectoris vulnus non vivô, sed primùm mortuo corpore recepit? Quæstioni huic satisfacit S. Augustinus aliâ quæstione: interrogat, quale discrimen sit inter vulnus, quod vivo corpore recipitur, & inter illud, quod mortuo corpore? Sibique respondet, hoc esse discriminis, quòd vivo corpore receptum vulnus sanari adhuc possit, non verò vulnus in mortuo corpore receptum: hoc insanabile est. Cùm igitur vulnus lateris in Christo ostium esse debuit, quo peccatores in amantissimum cor suum admitteret, mortuo corpore hoc vulnus accepit, ut esset insanabile, semper patens, & apertum. Audiamus doctissimum Sylveiram: *Christus voluit lateris vulnus semper patens & apertum, ut in illo nosmetipsos reciperemus, ut ibi subsidium & subterfugium in cunctis haberemus.* Hoc vulnus ostium est, per quod si quis introierit, salvabitur. O felix introiens! Vide Considerationem CXLI. Devotio erga SS. vulnera Christi JEsu crucifixi suadetur omnibus Christianis, præsertim discolis.

Joan. 19.

S. Aug. tr. 100. in Joan.

Silveira ap. Barz. serm. 10. n. 11.

Do-

Dominica I. post Pentecosten.

Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est. Luc. 6.

SI vetus, & novum testamentum confero, scenam prorsus inversam video: olim Pater cœlestis austerus erat & terribilis: ubicunque peccatum sese erexit, statim omnia elementa in vindictam vocabantur: ignis incineravit Sodomam, & Gomorrham, aqua suffocavit totum orbem terrarum: terra deglutivit Dathan, & Abiron: aër pestifera lue intoxicavit 70000. homines. Uno verbô, olim peccare, & puniri unum erat; hinc DEus etiam affectavit titulos terrificos: *DEus exercituum*, *DEus ultionum.* Quid ergo causæ subest, quod nunc in novo testamento DEus longanimis sit, & præstabilis super malitia? Ita quidem ut moneamur, erga proximos nostros misericodes esse, sicut Pater noster cœlestis erga nos misericors est. Auscultate AA. hodie rationem dabo. Vide Considerationem CLI. Rigidam Patris justitiam Filius DEI pro nobis crucifixus in summam misericordiam mutavit.

Gen. 19. Gen. 7. Num. 16. 2. Reg. 24. 2. Reg. 5. Psalm. 78.

Dominica infra Octavam Corporis Christi.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Luc. 14.

IN arca fœderis quondam manna, & virga Aaronis asservabantur: *in qua urna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat.* Per manna secundùm omnes ferè SS. PP. Sacramentum Evchariſtiæ subintelligitur, quod in hodierno Evangelio per *cœnam magnam* proponitur. Per virgam Aaronis autem sacra Crux intelligitur, de qua S. Chrysostomus: *non aberraveris, si crucem Domini vocas virgam virtutis.* Quæres, quare manna, & hæc virga Aaronica in arca conjuncta fuerint? Ego tibi hanc doctrinam moralem eruo; quia non est devotior præparatio ad Evchariſticum epulum, quàm per considerationem crucis: hinc Christus ipse admonuit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Vide Considerationem XLI. JEsus Christus & hic crucifixus quomodo in SS. Evchariſtiæ Sacramento sit considerandus?

Hebr. 9. v. 4. S. Chrysost. orat. de Cruce. Luc. 22. v. 19.

Do-

Dominica III. post Pentecosten.

Hic peccatores recipit. Luc. 15.

ÆTerna Patris sapientia de se ipsa affirmat: *Delicia mea esse cum filiis hominum.* Et quare non cum Angelis? an ideò, quia non Angelorum, sed hominum naturam assumpturus erat? Respondet doctissimus Hugo nomine Christi: *Non reputo me aliquid habere in cœlo habendo Angelicos spiritus, qui sunt quasi novem oves in deserto, nisi habeam ovem errabundam in exilio*, id est peccatricem animam, hanc triginta tribus annis quæsivit, hanc gaudens in humeros suscepit, sed ubi? S. Bonaventura ait: *Humeri isti sunt brachia crucis, in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* Vide Considerationem LXV. Christus in cruce pendens, peccatores recipit, sed in judicio rejicit; attende hic tibi Lector prudens. Prov. 8. v. 31. S. Bonav. in Luc. c. 15.

Dominica IV. post Pentecosten.

Relictis omnibus secuti sunt eum. Luc. 5.

SPonsa in Canticis instanter clamat ad sponsum: *trahe me post te.* Verùm quid trahi opus est, & quasi vi rapi? Si seriò affectat sequi sponsum, currat per se, viam habet expeditam, & vires. Nempe respondet S. Bernardus: *Quàm pauci post te, Domine JEsu ire volunt, cùm ad te pervenire nemo sit qui nolit &c. conregnare cupiunt, sed non compati.* Hodie piscantes Apostoli hanc laudem meruerunt, quòd *relictis omnibus* secuti sint eum: & quò secuti sunt? Per cruces, adversitates, & martyria: tota enim vita Christi, ait S. Bonaventura, nil nisi mera crux fuit. Cupis & tu Christiane Christum sequi? Auscultа, instruam te. Vide Considerationem CLII. Quomodo homo Christianus Ducem ac Dominum suum crucifixum JEsum imitari possit, ac debeat. Cant. 1. S. Bern. ser. 71. in Cant. S. Bonav. ser. 3. de pass.

Dominica V. post Pentecosten.

Vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Matth. 5.

IN vita S. Joannis Eleemosynarii Patriarchæ Alexandrini refertur, quòd dum hic servus Dei in procinctu Missam celebrandi constitutus recordaretur, Clericum quemdam pravâ erga se voluntate inclinatum esse, ipse, tametsi Leont. in vit. S. Joan. Eleemos.

metsi illum non læserat, sed potiùs ab illo graviter offensus fuisset, ab altari discedens, eundem studiosè quæsierit, eúmque inventum, sibique perfectè reconciliatum secum ad altare perduxerit, ac læto animo recitarit verba illa: *Pater noster: dimitte nobis debita nostra: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quæris, quæ causa sanctum Præsulem commoverit ad tam insignem sui victoriam? Dicam quod sentio: forsan sanctus hic vir in accessu ad aram vidit crucifixum in altari stantem, qui utut innocentissimè ad mortem crucis damnatus, Patrem pro persecutoribus exoravit, quique hodie nobis diserte præcipit, ut antequam munus ad altare feramus, priùs fratri id est proximo reconciliemur. Ipse est exemplar mansuetudinis. Vide Considerationem LXXVII. Aspectus & consideratio crucifixi JEsu optimus est iræ & iracundiæ sedandæ Medicus.

Dominica VI. post Pentecosten.

Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me.
Marc. 8.

Cæsar. Arelat. hom. 25. S. Chrys. ad Hebr. hom. 24. S. Greg. l. 22. mor. c. 6. S. Hieron. ap. Speranz. punct. 35. de Pass. Dom. S. Bonav. ser. in hac Dom.

QUid prodest, si verno tempore segetes vireant, sed ante messem exarescant? Ait Cæsarius Arelatensis. Quid prodest, si nauta feliciter velat, sed ante portum naufragetur? Ait S. Chrysostomus. Quid prodest, si viator multùm spatii conficiat, sed à patria aberret? Ait S. Gregorius. Labor omnis perditus est, quia finis deest. Hinc bene S. Hieronymus: *Non quæruntur in Christianis initia, sed fines.* Quæ causa hodie benignissimum Salvatorem commovit ad miraculum? R. Perseverantia; quia triduo in siti & inedia, in lassitudine & vigiliis sustinent Dominum: dicit enim S. Bonaventura: *Illi impetrant beneficium à Deo, qui longanimiter, & perseveranter sustinent eum.* Vide Considerationem LXXXVII. Christus, licèt multùm à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

Dominica VII. post Pentecosten.

Omnis arbor bona bonus fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit.
Matth. 7.

MAla erat illa arbor, quæ adeò malos fructus peperit, ut immensa malorum congeries exinde in mundo excreverit. De illa arbore loquor, qua nostri proroparentes & se, & totum humanum genus pessumiverunt. Sed ecce! immensam Dei bonitatem! huic malæ arbori per bonam arborem remedium

dium dedit, intelligo SS. crucem, de qua S. Auguſtinus: *Contempſit Adam praeceptum, accipiens ex arbore pomum, ſed quidquid Adam perdidit, Chriſtus in cruce invenit.* Per lignum periit genus humanum, per lignum revixit, *ut unde mors oriebatur inde vita reſurgeret.* Vide Conſiderationem III. Chriſtus Adamus ſecundus reparat in cruce, quod Adamus primus in paradyſo deſtruxit in arbore. S. Aug. ſer. de Paſſ. Eccleſ. in Præfat.

Dominica VIII. poſt Pentecoſten.

Hic diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipâſſet bona ipſius. Luc. 16.

REgius Pſalmiſta David, ſi unquam aliàs, certe in Pſalmo quinquageſimo ſeptimo vehementer excandeſcit ſuper malitiam hominum: *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis.* Et paulò pòſt loquens de ſupplicio, ac pœna ait: *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum molas leonum confringet.* Quæſo quod peccatorum genus tangit hæc indignatio? R. Cardinalis Hugo: *Moraliter dicitur de malis, maximè de detractoribus.* O detractio peſſimum malum! quis hodiernum villicum ad deſperationem, & ad injuſtitias adegit niſi diffamatio, & detractio? Audite igitur, quantum hoc malum ſit? Vide Conſiderationem LXXXII. Lingua detractrix potiſſimùm Chriſtum Dominum ad ignominioſam crucis mortem promovit. Pſal. 57. Card. Hug. hic.

Dominica IX. poſt Pentecoſten.

Videns civitatem flevit ſuper illam. Luc. 19.

NOtat S. Bonaventura, quòd Chriſtus Dominus ex ſacræ Scripturæ teſtimonio ter fleviſſe legatur: primò quidem quando Lazarum à mortuis ſuſcitavit. Dein hodie, cùm urbem Jeruſalem intuitus eſt: & demum tertiâ vice in cruce. Quando excitavit Lazarum fudit lacrymas amoris: *Ecce quomodo amabat eum.* Quando aſpexit urbem Jeruſalem, fudit lacrymas compaſſionis, quia ùt obſervat Lucas Burgenſis: *Romani eodem in loco in montem Oliveti caſtra ponere, & eodem ferè die proximo ante Paſcha civitatem obſidere cœperunt, quo JEſus prædixit, ac deflevit viſa excidium.* Sed quæris fortaſſe quales lacrymas in cruce fuderit? Hoc impræſentiarum explicabo. Vide Conſiderationem LXXVI. Chriſtus in cruce patiens amaris lacrymis noſtram deplorat jacturam animarum. Et nos quid? Joan. 11. Luc. Burg. ap. Manſi. hac Dom.

Dominica X. post Pentecosten.

Omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Luc. 18.

QUemadmodum in trutina elevata una lance altera deprimitur, aut hac depressa altera elevatur: ita, ait Lyranus, in statera justitiæ divinæ decretum est, ut, qui se exaltant, humilientur, & qui se humiliant exaltentur. Cupis hujus stateræ divinæ habere exemplum? Audi Apostolum de Christo crucifixo: *Humiliavit semet ipsum factus obediens usque ad mortem*: & ecce! humiliationis præmium: *propter quod & Deus exaltavit illum.* Tu sequere Christum humiliantem se, ut cum exaltato quondam in gloria exalteris. Vide Considerationem CXXVIII. Crucifixus Dominus typus summæ humilitatis, quam pro posse sequi debemus, & imitari.

Lyranus ap. Mansi hac Dom.

Ad Phil. 2.

Dominica XI. post Pentecosten.

Misit digitos suos in auriculas ejus, & exspuens tetigit linguam ejus, & suspiciens in cœlum ingemuit. Marc. 7.

QUid est, quòd Christus Dominus in hodierno surdo & muto difficultatem quandam ostendit sanationis? Socrum Simonis febricitantem sola manûs apprehensione: leprosum adorantem solo verbo, *volo*: Paralyticum unica hac voce *surge & ambula*: habenti manum aridam sola extensione manûs: Hæmorrhoissam solo attactu fimbriæ: filiam Archisynagogi modico clamore à morte & ab infirmitatibus suis liberavit. Dum vero hodiernum surdum & mutum ad sanitatem revocat, aures tangit, exspuens linguam tangit, cœlum suspicit, ingemiscit &c. Quid mysterii subest, quòd orbis Redemptor difficultatem curationis ostendat? R. Per surdum & mutum hodiernum subintelligi peccatorem inveteratum, habituatum, & consuetudinarium: ita Dionysius Carthusianus: *Præcipuè consuetudo prava efficit mentem mutam & surdam.* Ejusdem homines difficulter sanantur præsertim in vitiis carnis: divina virtute opus est, ut ad melius revocentur. Sed macte animo esto, quisquis hac ægritudine decumbis, hodie remedium dabo &c. Vide Considerationem CIX. Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quàm fuga ad crucifixum JEsum.

Marc. 1. Matth. 9. Luc. 6. Luc. 8. Matth. 9.

Dionysius Carth. ser. in hac Dom.

Do-

Dominica XII. post Pentecosten.

Samaritanus autem quidam iter faciens venit secùs eum, & videns eum misericordiâ motus est. Luc. 10. v. 33.

DIvus Albertus Magnus totus occupatus in deprecandis encomiis hujus misericordis Samaritani. Jacuit in via nonnemo vulneratus, à latronibus spoliatus, sanguinis effusione languidus, à toto orbe derelictus, & quod ad malorum cumulum fecit, à Sacerdote, & Levita despectus. Et ecce! bonus hic Samaritanus Sacerdotem & Levitam in ruborem dedit, vulneratum benignè curavit, suis sumptibus ei de medicina prospexit. Quæris, quisnam sit iste Samaritanus? S. Bonaventura non quidem in sensu litterali, sed allegorico respondet: *Persona subveniens ex misericordia rectè intelligitur Christus quia Samaritanus interpretatur custos, ipse autem est, de quo in Psalmo: nisi Dominus custodierit civitatem. Et Isaias: custos quid de nocte. Hic venit secùs vulneratum, quia in similitudinem hominum factus & in similitudinem carnis, adhibuit medicinam.* Vide Considerationem LXVII. Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

Albert. M. ser. 67. hic.

S. Bonav. hic.

Psal. 126. v. 1.

Isa. 21. v. 11.

Dominica XIII. post Pentecosten.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17.

INter alias ceremonias, quas Deus in veteri testamento ad emundationem leprosi exigebat, duo passeres offerri debebant: unus immolabatur, alter immolati sanguine tingebatur, ait Lauretus: *Alium autem vivum tinget sanguine passeris immolati, & dimittet passerem vivum, ut in campum avolet.* En typum nostræ redemptionis! Christus Dei Filius in cruce mortem obiit, ut nobis vitam daret, suo sanguine nos aspersit, ut nobis libertatem filiorum Dei tribueret. *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, ipse tanquam passer immolatus est ad emundationem leprosi humani generis. Quæ cùm ita sint, non miror, cur Christus Dominus occurrentibus hodie leprosis confestim sanitatem contulerit; suam enim in illis figuram aspexit. Vide Considerationem LXXXXIV. Christus crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum lepram curaret, ipse leprosus factus est.

Levit. 14.

Lauret. verbo Passer.

S. Ant. Pad. in Levit. c. 14.

Isa. 53. v. 4.

Dominica XIV. post Pentecosten.

Non potestis Deo servire, & Mammonæ. Matth. 6.

Libel. Exercit. S. Ignat.

SAnctus Ignatius Loyola in aureo suo exercitiorum spiritualium libello inter alias meditationem proponit de duobus vexillis. In bipatenti campô ex una parte exhibet Luciferum nigricanti solio insidentem, & circum circa sequacium multitudine stipatum: ex altera parte Christum Dominum ad sui sequelam mansuetè invitantem. Ille voluptuosa mundi delectamenta, iste æterna cœli præmia sequacibus appromittit, uterque animas sub sua signa conducere satagit. Dic Christiana anima, cujus castra sequeris? An viam hanc rosis stratam, aut aliam spinis & crucibus obsitam eligis? Utrumque sequi haud potes: *Nemo* enim *potest duobus dominis servire.* Age, quid moras nectis? Ejura Luciferum, Christum sequere: en! viam tibi monstrabo. Vide Considerationem LI. Christus præferens crucem, omnes fideles animat, ut & ipsi ferendo crucem suam sequantur.

Matth. 6.

Dominica XV. post Pentecosten.

Misericordiâ motus super eam dixit illi: noli flere. Luc. 7.

S. Amb. l. 5. comment. in Luc. c. 7. post init.

NE miramini Auditores grande beneficium resuscitationis huic juveni collatum, ait enim S. Ambrosius: utut ad tumulum jamiam ferebatur, tamen *spem resurgendi habebat.* Quare? *Quia ferebatur in ligno*: feretrum figura erat vivificæ crucis: Christus tetigit feretrum manu, tetigit crucem suo sanctissimo corpore, quæ *etsi nobis antè non proderat, tamen postquam Christus tetigit, proficere cœpit ad vitam.* Quæ cùm ita sint, cur Dominus matri lacrymas interdicit? *Noli flere*? R. Quia sibi reservare voluit has lacrymas amoris, quasi diceret: has lacrymas, O mulier, non juveni debes jacenti in feretro, sed mihi pendenti in ligno, non figuræ, sed figurato. Vide Considerationem CVI. Christus in cruce mortuus, & tot vulneribus transfixus piis lacrymis à nobis est deplorandus.

Dominica XVI. post Pentecosten.

Qui se humiliat exaltabitur. Luc. 14.

S. Aug. ser. 10. de verb. Dom.

RECTÈ S. Augustinus: *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis.* Hinc Christus Dominus magnam fabricam constructurus nostræ redemptionis per omnem vitam humillimus fuit. In stabulo nascitur, & quidem noctu, ac à paupere matre: triginta an-

nis

nis deliteſcit: in regem eligendus in montem aufugit, gloriam ſuam in Thaboræo colle nube tegit, proditori pedes lavat: ab Herode pro ſtulto habetur: Barrabæ poſtponitur: & tandem inter latrones medius in cruce moritur. Eheu! abyſſum humilitatis *Deus in patibulo.* Unde Apoſtolus: *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Sed ecce! humiliationis præmium! *propter quod & Deus exaltavit illum.* Vide Conſiderationem CXLVI. Crux ignominioſa Chriſto Salvatori noſtro ſummam cauſavit, & peperit gloriam. Ad Philip. 2. v. 9.

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
Matth. 22.

ETiamſi præceptum dilectionis nullum extaret, nemo tamen hominum eſſe deberet, qui Deum non toto corde diligat: cùm enim ex una parte *ipſe prior dilexit nos*, ex altera parte teſte S. Auguſtino, *nulla eſt major ad amandum imitatio, quàm prævenire amando*, quis eſt, qui Deum diligere nolit? Quod ſi quæras, qua charitate nos dilexerit, audi Sanctum Thomam de Villanova hodierna Dominica ita differentem: *Quodſi de hac charitate dubitas, & qua te Deus dilectione proſequatur ignoras, teſtimonia ejus credibilia facta ſunt nimis. Teſtis crux, teſtes clavi, teſtes dolores, teſtes ſanguinis inundantes fluvii, teſtis amara mors, & acerbiſſima, quam pro te ſuſtinuit: & cùm hæc omnia patiatur, videntur ei omnia pauca præ amoris magnitudine, adhuc enim majores & abundantiores, ſi poſſibile eſſet, expedit pro te dolores: graviores, longioréſque ſitit pro te anguſtias.* Vide Conſiderationem CLIV. Chriſtus crucifixus, prodigium amoris, requirit à nobis etiam noſtrum reciprocum amorem. 1. Joan. 4. S. Aug. l. 4. de cathechizandis. S. Thom. de Villanov. conc. 3. Dom. 7. poſt Pent.

Dominica XVIII. poſt Pentecoſten.

Quidam de ſcribis dixerunt intra ſe, hic blaſphemat,
Matth. 9.

CHriſtus Dominus per totam amariſſimam Paſſionem de nullo dolore acerbiùs conqueſtus eſt, quàm de alapa ſibi inflicta. Quæris quare? Sanctus Vincentius Ferrerius putat propter crudelitatem miniſtri infringentis; tanto enim furore, ac rabie divinam faciem percuſſit, ut Chriſtum dentes Joan. 18. v. 22. S. Vinc. Fer. ap. Speranz.

de Pass. Dom. punct. 2. S. Chrys. hom. 2. de incompr. Dei natura. Ven. Beda in Cant.

tes ferè omnes unà cum sanguine exspuere, & in terram retrò cadere compulerit. Sanctus Chrysostomus arbitratur propter indignitatem alapæ secundùm se, utpote, quam etiam viliſſima mancipia aversantur. Sed Venerabilis Beda huc aptiùs ad rem facit, dum per alapam blasphemias Christianorum subintelligens, ita ad Deum orat: da mihi, & omnibus, ut qui olim cæsus es colaphis Judæorum, non cædaris & modò blasphemiis falsorum Christianorum. Ex quo ponum est conjicere, quantam hodie injuriam Christo intulerint nequissimi scribæ, dum eum blasphemiæ arguebant: & hodiedum inferant blasphemantes Christiani. Vide Considerationem LXXXV. Crucifixo JEsu super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ, & adhuc addunt.

Dominica XIX. post Pentecosten.

Ligatis manibus & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, **Matth. 22.**

Ezech. 9. Hugo Card. Theodoret. Cornel. hìc S. Greg. l. 22. mor. c. 13.

MIrabilis simul, ac terrifica erat visio Prophetæ Ezechielis: levavit oculos, *& ecce veniebant sex viri de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonem, & uniuscujusque vas interitûs in manu ejus. Vir quoque unus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus* (*quasi notarius* ait Divus Gregorius) portò scriptor iste ubi accessit ad altare æneum præceptum accepit à Domino: *Transi per mediam civitatem in medio Jerusalem, & signa Tau super frontes gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ejus.* Paruit ille præcepto, & lex Angeli exterminatores secuti scriptorem, ubicunque in domibus aut plateis reperiebant hominem quemquam non notatum signo Tau absque commiseratione interfecerunt: *egressi sunt, & percutiebant eos.* Qui verò signati erant, misericordiam vitámque consecuti sunt. O felix signum Tau, O crux tessera salutis! notâsset se hoc salutifero signaculo hodiernus conviva, certè in tenebras exteriores expulsus non fuisset. Vide Considerationem CXVII. Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum JEsum.

De-

Dominica XX. post Pentecosten.

Abiit ad eum, & rogabat eum, ut descenderet, & sanaret filium ejus.
Joan. 4.

QUàm diversa sunt hominum, & Dei judicia! luget hic Regulus infirmitatem filii, & illius sanitatem instanter sollicitat, cùm tamen hæc ipsa infirmitas & Regulo, & filio grande sit Dei amantis beneficium: Regulo quidem, quia si prosperè sibi omnia succederent, nunquam certè ad Christum venturus fuisset: venit enim ad JEsum *infirmitate filii, qui felicitate non venerat*, ait doctissimus Speranza. Filio autem, quia lectus ægrotantium est officina virtutum, & vitiorum repagulum, uti docet S. Augustinus: *quàm multi scelerati sunt, qui innocenter ægrotarent? vitia reciduntur agritudine.* Quanta demum bona exorta sunt ex hac infirmitate? *credidit ipse, & domus ejus tota.* Quare age, Christiana anima, hanc conclusionem fac cum Regio Psalte: *Benedicam Dominum in omni tempore*, sive in prosperis, sive in adversis, quia tam prospera, quàm adversa Dei beneficium sunt. Vide Considerationem CXXXIX. In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamus, etiam pro adversis.

Speranza scrip. select. punct. 43. S. Aug. tr. in Joan.

Dominica XXI. post Pentecosten.

Tradidit illum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.
Matth. 18.

POstquàm populus Israel turpissimo idololatriæ flagitio deliquit, ajebat Dominus ad Moysen in monte: *vade, descende, peccavit populus tuus.* Et ecce confestim Moyses in genua prostratus advocatum agere, veniam precari, & Dei indignantis iracundiam pro viribus placare cœpit. *Dele me de libro quem scripsisti.* Postliminio de monte descendens primò idolum combussit, ac cineres populo epotandos dedit, deinde vocata ad se tribu Levi absque ulla commiseratione viginti tria millia gladio interfecit. Quid est quòd Moyses anteà mansuetissimus, nunc ferocissimus, anteà intercessoris, nunc lictoris munus exerceat? En typum illius, quod in hodierno Evangelio contigit! Christus Dominus, qui per hominem regem repræsentatur, priùs *misertus est servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei*, postea verò in gratum nebulonem *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum*, Dominus verè misericors, & justus. Vide Considerationem LXX. In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur justitiæ illius. Exod. 32.

Dominica XXII. post Penteceſten.

Magiſter ſcimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces. Matth. 22. v. 16.

NObilis quædam, ac ingenua mater peperit crudelem filiam: crudelis hæc furia jam innocentem matrem toto orbe perſequitur, & eliminat. Quæris, quænam hæc mater ſit? *Veritas odium parit.* Infelix veritas abeſſe jubetur à Principum aulis, ejicitur è politicorum palatiis, corrupitur in Judicum curiis, propulſatur è mercatorum tabernis, illibenter auditur è ſacris pulpitis, ubique vapulat, ubique odio habetur. Hodie blandiuntur Phariſæi Chriſto Domino, quòd verax ſit, & viam Dei in veritate doceat. Verùm fallaciſſimi nebulones! hæc ipſa veritas Chriſti vobis ſtomachum movet! Vide Conſiderationem XLV. Veritas à Chriſto ſemper defenſa, & prædicata, eum tandem ad necem crucis promovit, ac condemnavit.

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten.

Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero. Matth. 9.

ASa gravi infirmitate lecto affixus aromata, unguenta meretricia, & pigmentariorum artes in opem vocavit: nullis ſumptibus pharmacorum pepercit, & tamen mortuus eſt: quare? Quia *in Medicorum arte confiſus eſt.* Quod infelix iſte Aſa deliquit, adhuc hodiedum multi delinquunt, in ægritudinibus ſuis ad unctiones, ad quintas eſſentias, ad arcana medica, aut ſæpè omninò ad Ariolos, ad Pythoniſſas, ad Deum Accaron confugiunt. O quot ægrotis poſſet objici illud, quod olim S. Hilarion cæcutienti fœminæ objecit: venit illa cum lacrymis conqueſta, quòd ſubſtantiam ſuam omnem in medicos expenderit, & tamen viſum non receperit. Cui ſanctus Vir: ſi dimidiam tantùm partem expendiſſes in pauperes, *curáſſet te verus Medicus JEſus.* Benè igitur Hæmorrhoiſſa pro ſanitate corporis, benè princeps ille pro vita filiæ Chriſto ſupplices fiunt. Vide Conſiderationem CLVII. Optimus animarum, imò & corporum Medicus eſt Chriſtus Dominus, & hic crucifixus.

2. Paral. 16.

Speranza ſcript. ſelect. punct. 29.

S. Hieron. in vita S. Hilar.

Dominica XXIV. & ultima poſt Pentecoſten.

Erit tunc tribulatio magna. Matth. 24.

PEr hanc tribulationem magnam non ineptè intelligo horam peccatricis animæ ultimam, & ut hanc tribulationis ac deſolationis magnitudinem graphicè tibi ante oculos ponam, utar deſcriptione Sancti Petri Damiani, qua

qua de morte peccatricis animæ ita disserit: pensandum est, cùm jam peccatrix anima vinculis incipit carnis absolvi, quàm amaro terrore concutitur, quantis mordacis conscientiæ stimulis laceratur. Recolit vetita, quæ commisit, videt mandata, quæ negligenter implere contempsit, dolet indulta pœnitentiæ tempora sese inaniter percepisse, plorat immobilem distinctæ ultionis articulum sibi inevitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur. Recuperare vult perdita & non auditur. O si residuum pœnitentiæ tempus mereri posset, quàm duræ conversationis iter arriperet; quantis se devotionum vinculis innodaret! interea dum hebescentes oculi contabescunt, dum pectus palpitat, dum raucum guttur anhelat, dentes paulatim nigrescunt, & quamdam velut rubiginem contrahunt, pallescunt ora, & membra cuncta rigescunt. O peccatrix anima quanta hæc erit desolatio, quanta tribulatio, præsertim si amicum in illo articulo unicum, quem manibus tenebis, Crucifixum tibi ob perpetrata scelera infensum recorderis? Vide Considerationem CXLVIII. Mala sors, pessima mors illorum, qui Christum & hunc crucifixum non amarunt, non honorarunt in vita sua. S. Pet. Dam. apud Specranza script. sel. punct. 131.

INDEX CONCIONATORIUS
AD FESTA TOTIUS ANNI.
Pro Festo S. Andreæ Apostoli.

O *bona crux! jam diu desiderata, & concupiscenti animo præparata.*

Ex vita.

PHocion illustri genere prognatus, unà cum Thudippo plebeio homine morti innocentes adjudicati sunt. Primus ille intrepido ac lætabundo vultu venenum ori admovit: alter verò expallescere, trepidare, & in gemitus effundi. Ad quem conversus Phocion: *Non satis tibi est*, inquit, *cum Phocione mori?* Quasi diceret mortem servi solatur mors eadem Domini. Ne miramini igitur Auditores, quòd S. Andreas crucem exultabundus salutarit, *O bona crux! jam diu desiderata, & concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te.* Quippe summo sibi solatio ac honori duxit, eandem cum Christo posse mortem oppetere. Vide Considerationem CXLIV. Felix sors, beata mors obdormire in gratiosa umbra crucifixi JEsu Salvatoris nostri. Pet. Bessæus hoc festo.

Pro Festo S. Nicolai Episcopi.

Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum Matth. 24.

S. Greg. hom. 9. in Evang.

PEr quinque talenta huic servo concredita S. Gregorius in sensu morali *donum quinque sensuum intelligit.* Superlucratur autem alia quinque talenta, quisque quinque sensibus rationabiliter uti, aut eos per mortificationis studium compescere, & debellare sategit. Qualiter fecit S. Nicolaus, qui oculis ad commiserationem pauperum, auribus ad exaudiendos gemitus pupillorum, linguâ ad ædificationem proximi, manibus ad elargiendas egenis eleemosynas &c. usus est. Sciebat etenim quanto labore constiterit Christo bellum adversùs hos quinque animæ hostes. Vide Considerationem XXIV. Josue pugnans contra quinque reges, typus Christi in cruce contra quinque sensus pugnantis.

Pro Festo S. Thomæ Apostoli.

Affer manum tuam, & mitte in latus meum, Joan. 20.

QUemadmodùm columba accipitris insidias passa in formaminibus petræ refugium, ac securitatem quærit: ita fidelis anima infernalis milvi fraudibus exagitata ad divini pectoris vulnus tanquam asylum tutissimum recurrat. Hinc cœlestis sponsus invitat dilectam: *Veni columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Supra quæ verba mellifluus Doctor: *Ubi tuta, securáque securitas, & requies, nisi in vulneribus Salvatoris? In his se columba tutatur, & circùm volitantem intrepida intuetur accipitrem.* Huc confugium quæsivit S. Thomas, dum infidelitatis tentatione turbaretur. Vide Considerationem CXXXVI. Invitantur omnes Christiani, ut in vita, & in morte recurrant ad SS. vulnera Christi crucifixi.

Cant. 2. S. Bern. ser. 61. in Cant.

Pro Festo Nativitatis Domini nostri JEsu Christi.

Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Luc. 22.

SI post pluviosam ac diu turbidam tempestatem pulcherrima iris in aëre resplendeat, meritò lætatur orbis, quia ex hoc cœlesti arcu conjicit tandem post nubilosa tempora optatam serenitatem reductam iri, ita lætatus est Noë, postquam elapsis centum quinquaginta diebus aquas diluvii decrescere, & arcum versicolorem in *signum fœderis* in nubibus relucere conspexit. Chri-

Gen. 9. v. 13.

Christianæ animæ! universus orbis ad quadraginta circiter sæcula sub hæreditariæ labis cataclysmo ingemuit: nubilosum ac turbidum erat cœlum, & mille pessulis obseratum. Et ecce! hodie annuntiatur *pax hominibus bonæ voluntatis.* Apparet in signum fœderis arcus cœlestis nempe Dei Filius incarnatus in stabulo Bethlehemitico. Vide Considerationem VII. Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus elegans Christi JEsu crucifixi.

Pro Festo S. Stephani Protomartyris.

Clamavit voce magna: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Act. 7.

CUriosam quæstionem movet S. Chrysostomus: cur videlicet Christus Dominus sub lapidantium Judæorum manibus mori noluerit? *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum.* Et quæstionem ita resolvit. Reservavit sibi orbis Redemptor gravissimas quasdam doctrinas inter ultimos mortis singultus orbi proponendas, quæ doctrinæ inter crepitantium lapidum fragores haud facilè potuissent exaudiri. Quapropter crucem tanquam cathedram elegit, è qua tantò significantiùs quantò pacatiùs perorare poterat: audiamus verba aurei oratoris. *Tumultuarium genus necis est lapidatio, & inter lapidum fragorem non poterant exaudiri ultima Christi mandata.* Quænam ergo mandata moriens Redemptor proposuit? Ea nimirum, quæ sunt de dilectione inimicorum. O! quàm solide, ac profundè hæc verba Christi ultima cordi impressit, & ipse imitatus est S. Protomartyr Stephanus, dum moriens ad Deum oravit: *Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Et quidem oravit *clamans voce magna*, ut etiam inter saxorum strepitus potuerit audiri. Vide Considerationem LXXXIII. Disce à crucifixo JEsu ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Joan. 8.

S. Chrys. ap. Silveir. T. 4. in Evang. l. 6. c. 18. q. 12.

Pro Festo S. Joannis Apostoli, & Evangelistæ.

Et facies aquilæ desuper ipsorum quatuor. Ezech. 1.

NOn immeritò sancta mater Ecclesia quaterna Ezechielis animalia quaternis sancti Evangelii scriptoribus attribuit. Sancto Matthæo faciem hominis, sancto Marco faciem leonis, sancto Lucæ faciem bovis appingit, idque cum analogia ad suum Evangelium, quod scripserunt, quia videlicet de humanitate, de prædicatione, de laboribus Christi orsi sunt? At cur sancto Joanni Evangelistæ facies aquilæ attribuitur? Quia longè altiori volatu super cæteros ad ipsius Divinitatis descriptionem statim initiò sese evexit: *In principio*

Joan. 1.

cipio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Quæris, à quo sublimem hunc volatum didicerit? A Christo Domino Magistro suo, cui præ cæteris charus erat. Vide Considerationem LII. Christus in cruce exaltatus, comparatur aquilæ provocantis nos ad volandum.

Pro Festo Circumcisionis Domini nostri JEsu Christi.

Vocatum est nomen ejus JEsus. Luc. 2.

EX Ægyptiaca servitute ultrà quater centena hominum millia exierunt, & ex tam innumerabili hominum multitudine ultrà duos non fuerunt, qui terram promissionis ingressi sunt, inter quos erat Josue egregius ille & invictus Bellidux. In deserto mortuus est Moyses, mortuus est Aaron, mortui Principes tribuum. Quæso quæ sors ergo servavit Josuen, ut incolumis ingressus sit terram promissam? Audiamus responsionem S. Ambrosii: *Quicunque exierunt de Ægpto, perierunt in deserto: mortuus est Aaron, mortuus est Moyses: solum JEsum Nave nominis sacri similitudo servavit.* En Christiana anima; nomen Josue per anagrama sonat O JEsu, hoc salutiferum nomen servavit Josuen, hoc nomen invehere debet animas nostras in terram promissam æternæ felicitatis. Vide Considerationem CII. De triumphali titulo supra caput JEsu crucifixi in trunco affixo, quid nobis insinuet?

S. Ambr. in Psal. 118.

Pro Festo Epiphaniæ D. N. JEsu Christi.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2.

QUisquis cum tribus Magis adoratoribus Christum invenire desiderat, id sibi præprimis dictum, suasúmque habeat, ut per aliam viam deinceps gradiatur. Num scire cupis per qualem viam? Audi moralizantem sanctum Gregorium: *Regio nostra paradysus est, ad quam JEsu cognito redire per viam, qua venimus, prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando discessimus; sed ad eam necesse est, ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refranando redeamus. Per aliam ergo viam ad regionem nostram regredimur, quoniam qui à paradysi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revocamur.* Si ducem in hac via desideras. Crux tibi dux esto. Vide Considerationem XVI. SS. crux Christi columna nubis & ignis, ducens nos securè ad cœlestem patriam.

S. Gregor. hom. 10. in Evang.

Pro

Pro Festo S. Sebastiani Martyris.

Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die. Psal. 90.

MIles quidam, cùm fluvium impermeabilem pedibus trajicere non posset, scutô quo hostium tela retundere solebat pro cymba usus est, indéque clypeum exosculatus: *Hic*, inquit, *verus & solus amicus mihi fuit, cùm premerérque solo, cùm premerérque salo.* S. Sebastianus solo & salo, id est, tam in prosperis, quàm adversis invincibilis erat, non poterat expugnari à *timore nocturno*, id est à fallacibus blandimentis Imperatoris, nec *à sagitta volante in die*, id est, ab apertis tormentis sui Martyrii. Quæris quo clypeo se tuitus sit contra utrumque potentissimum hostem? Legitur in ipsius vita, quod SS. crucis signum semper intrepidè & apertè in thorace tulerit, hæc sanctissima crux ipsi clypeus fuit. Vide Considerationem XXIII. Crucifixus Dominus est clypeus Josue, omnibus in se sperantibus ferens opem & salutem. Apud Alciadum in Embl.

Pro Festo S. Mathiæ Apostoli.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11.

PAtriarcha Moyses, postquam peragrato mari rubro cum universo Israële perambulavit desertum Sur, venerunt tandem in Marath: erant ibi aquæ amatissimæ nec ad bibendum idoneæ, & *murmuravit populus contra Moysen, dicens: quid bibemus?* At ecce! Dominus Deus ostendit ei lignum, quo amaras aquas in dulcedinem convertit. In sensu allegorico SS. Patres cum Ambrosio & Cyrillo intelligunt sanctam Christi crucem, cujus virtute, memoriâ, & meditatione Sanctis omnibus labor & dolor dulcescit, ita ut de hac sacrosancta Cruce non ineptè intelligas hodiernam invitationem Evangelii. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Vide Considerationem LXXXXVI. Crucifixus JEsus rebus in afflictis solamen nostrum & auxilium in tempore opportuno. Exod. 15. S. Ambr. l. de iis, qui myster. initiantur c. 3. S. Cyril. in Joan. l. 8. c. 17.

Pro Festo S. Josephi Nutritii Christi.

Cùm esset desponsata mater JEsu Maria Joseph. Matth. 1.

NOtatu digna est quæstio, cur Dei Filius ex omnibus Nutritiis non Regem, non Principem, non Illustrem quemdam: aut siquidem constituerat ex infima plebe, cur non alium opificem, quam fabrum lignarium elegerit, sanctum Josephum? Ad hanc quæstionem eleganter respondet Divus Chrysostomus:

S. Chryſ. in cat. D. Thom. in Matth. Pſal. 37.

mus: *Ideò fabro lignario Maria deſponſata erat, quoniam Chriſtus Eccleſiæ ſponſus omnium ſalutem hominum operaturus erat per lignum Crucis.* Adeóque Chriſtus Dominus per triginta annos in officina ſancti Joſephi ſemper præ oculis habuit lignum, & inſtrumenta paſſionis, ut verificaretur illud Pſalmi: *Dolor meus in conſpectu meo ſemper.* O quoties tunc fortè duo ligna cancellata aſpexit, aut ipſe in modum crucis poſuit, ut ſuum patiendi deſiderium hoc aſpectu paſceret. Vide Conſiderationem XXXIX. De ardenti deſiderio Filii Dei in cruce redimendi perditum mundum.

Pro Feſto Septem dolorum B. V. Mariæ.

Ecce mater tua! Joan. 19.

S. Ambr. ſer. de Paſſ. Dom.

ADeſte Chriſtiani omnes, peccatores & juſti, noſtra res agitur: en Chriſtus in cruce moriens teſtamentum condit, ait S. Ambroſius: peccatoribus remiſſionem, latroni paradyſum, Nicodemo coronam ſpineam cum clavis, Joſepho corpus, Patri ſpiritum, & demum Joanni Mariam legat. Quid? Joanni Mariam? O dilecte Chriſti Apoſtole, proteſtor & excipio nomine omnium Chriſtianorum contra hoc ultimum punctum, Non tua ſolius eſt, ſed noſtrum omnium mater Maria. Appello cum Bernardo ad divinum tribunal, dicente: *Quod Eva deſtruxit, Maria reparavit*: ergo ſicut Eva fuit mater omnium viventium, ita Maria omnium fidelium. Hic mediatorem ſe interponit devotiſſimus Dionyſius Carthuſianus, inquiens: *Diſcipulus ille dilectus deſignat unumquemque fidelem: quemadmodum ergo Chriſtus dixit Joanni: ecce mater tua! ſic unicuique Chriſtiano dedit matrem ſuam in matrem.* Nunc acquieſco & totus contentus ſum. Vide Conſiderationem LXXI. Moriens JEſus, ſanctiſſimam matrem ſuam juxta crucem ſtantem, omnibus fidelibus commendat.

S. Bern. ſer. de 12. ſtellis Dionyſ. Carth. in Joan. ſup. hæc verb. Ecce mater tua.

Pro Feſto S. Georgii Martyris.

Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in te, hic fert fructum multum. Joan. 15.

Cornel. à Lap. hic.

SI quis cauſam nôſſe cupit, cur Chriſtus Dominus ſe viti, nos palmitibus comparet, audiat doctiſſimum Cornelium à Lapide: *Cauſa eſt, quod Chriſtus jam ibat ad Paſſionem, crucem & mortem, quam optimè repræſentat vitis per ſuas uvas: ſicut enim è calcata uva exprimitur vinum præſtans, & ſapidum, ſic è calcato Chriſto in torculari crucis expreſſus eſt ſanguis, quo redemptus eſt mundus.* Vidiſtis vitem, videte palmitem, quem nobis in ſancto Georgio Martyre Eccleſia proponit: nec igne, nec ferro poterat à vite avelli, quid mirum ſi tantos heroicæ fortitudinis fructus protulit, quia in vi-

vite Christo inseparabiliter permansit. Vide Considerationem CXIX. Christus crucifixus vitis vera, fructu suo lætificans, & confortans cor hominis.

Pro Festo SS. Apostolorum Philippi & Jacobi.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Joan. 14.

CRedo equidem, Divine orbis Redemptor, quòd in immensis illis cœlorum spatiis mansiones multæ sint; sed hoc sollicitos tenet animos nostros, an & nobis inter illas mansiones aliqua sit præparata? Hæc dum anxiè eloquor, Auditores, experior, quòd sancti Philippus & Jacobus tesseram, ac pignus salutis infallibile acceperint: ille quidem per crucem, cui in Scythia anno ætatis suæ 54. fuit affixus: iste per crudelem præcipitationem, qua Jerosolymis è pinnaculo templi anno ætatis 63. fuit dejectus, & terræ illisus: nam cruces & martyria pignus sunt æternæ salutis. Vide Considerationem CXXIII. Grata memoria crucifixi JEsu Redemptoris nostri est prædestinationis nostræ insigne indicium ac signum.

Pro Festo Inventionis SS. Crucis.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Joan. 3.

POst cruentam Christi Salvatoris necem sanctissima crux à carnificibus in subjectam vallem fuit præcipitata, & superingesta humo, ac ruinis obruta, ubi Divinus hic thesaurus per annos circiter 296. delituit. Elapso hoc tempore S. Helena Imperatrix in somnis admonita Jerosolymam petiit, eo fine, ut triumphale lignum investigaret. Tertiò igitur Maii Anno post reparatam salutem 329. tres cruces invenit, & quoniam dubium supererat, quænam esset vera illa Christi corpore sanctificata crux, miraculum dubitationem resolvit: cuidam morituri enti fœminæ cruces impositæ sunt, cùm duæ primæ nil profuissent, tertia, & vera Domini crux miseræ vitam & sanitatem dedit. Igitur prodigiosum lignum summo, ut par est honoris fastigio habitum, idem hactenùs toti Christianitati profuit, quod serpens exaltatus in deserto, nempe in mille millenis periculis, ac necessitatibus refugium & asylum est. Vide Considerationem XXI. Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi pulcherrimus fuit in cruce exaltati. Alphons. Ciaconius de signis SS. Crucis cap. 32.

Pro Festo Ascensionis D. N. JEsu Christi.

Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cœlum. Luc. 24.

SIste Divine, & in cœlum abiture Redemptor! si unquam aliàs certè hodie tibi acclamo illud sponsæ: *trahe me post te.* Quid nos orphanos deseris? Cant. 1.

da ut mundo abrepti te in beatam patriam ſequamur! macti animis eſtote! Auditores, dabitur ſequi Dominum: ſed quomodò? Qua via? Non aliâ reſpondet Bernardus, niſi viâ crucis. Hinc ultimo adhuc momento, *elevatis manibus benedixit* diſcipulis, ut ſignificaret benedictionem cœleſtem non niſi per crucem obtineri. Vide Conſiderationem CL. Crux Domini noſtri JEſu Chriſti cauſa omnium gratiarum, beneficiorum, donorum, ac benedictionum.

S. Bern. ſer. 71. in Cant.

Pro Feſto SS. Trinitatis.

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

QUod inauguratio militum eſt ſub ſigna ducis, hoc nobis baptiſmus eſt, nempe conſcriptio Chriſtiani ſub vexillum crucis. Hinc unà cum pronuntiatione SS. Trinitatis in baptiſmo nobis Crux ultra decies confertur. Crux noſtrum robur eſt, gladius & ſcutum contra hoſtes viſibiles & inviſibiles. Vide Conſiderationem CXLVII. In cruce Domini noſtri JEſu Chriſti omnis Chriſtianorum gloria, & victoria conſiſtit.

Pro Feſto Corporis Chriſti.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus. Pſal. 110.

REgina illa Mauſolum virum ſuum ſupra omnes amorum fabulas, ultráque affectionis humanæ fidem amâſſe fertur. Hæc in violenti amoris indicium ipſamet Mauſoli vivum & ſpirans ſepulchrum fieri concupiſcens extincti oſſa in cineres redacta, potione commixta bibiſſe narratur. Verùm cedant humana divinis: longè ardentiori affectu ſuum nobis amorem comprobabit Dei Filius, cui non ſatisfuit in cruce cruentâ morte immolari, ſed inſuper incruento quoque modo per manus Sacerdotum offerri voluit. *Ut non ſolùm per dilectionem, ſed re ipſa in illam miſceamur carnem, per cibum id efficitur, quem nobis largitus eſt*, ait S. Chryſoſtomus. Vide Conſiderationem CLVI. Sacrificium aræ crucis idem eſt cum ſacrificio altaris, non tantùm in repræſentando, ſed etiam in eſſendo.

Valer. Max. l. 4. c. c.

S. Chryſ. hom. 45. in Joan.

Pro Feſto S. Joannis Baptiſtæ.

Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. Luc. 1. v. 76.

QUando Rex, aut magnus Princeps in urbem venturus eſt, præmittuntur curſores, & nuntii: quo fine? Ut viæ præparentur, ut auferantur impedimenta, ſaxa, ſordes & ligna. Ita Chriſto cœleſti Regi præmiſſus eſt Joannes:

Cornel. à Lap. in Luc. c. 1.

nes: conatus est saxa, ac lapides è via amoliri, quia venit prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Verùm ligna, & cruces è via non amovit, quia via, quam Christus trivit, plena fuit lignis, & crucibus obsita. Vide Considerationem XL. Tota vita Christi JEsu Filii Dei & hominis in hac terra crux fuit & martyrium.

Pro Festo SS. Apostolorum Petri & Pauli.

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Matth. 16.

VIdit Nabuchodonosor in somnis prægrandem statuam portendentem quatuor mundi Monarchias: & ecce lapis de monte abruptus & ad pedes statuæ illisus machinam omnem confregit, lapis autem in immensum montem subitò excrevit. *Regnum Christi comparatur lapidi duro*, subintrat hic Cornelius, *quia Christus est petra, supra quam fundata est Ecclesia*: pro lapide autem, quo confringeretur immanis statuta gentilissimi, usus est Apostolis & præcipuè Apostolorum principe Petro, hic petra est, supra quam Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam. Vide Considerationem XX. Petra Moysis, ex qua percussa fons vivus aquarum emanavit, typus extitit Christi crucifixi. Dan. 2. Cornel. à Lap. hic.

Pro Festo S. Mariæ Magdalenæ.

Lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Luc. 7.

POst mortem Christi Domini Beata Magdalena unà cum tota familia sua laceræ, & verminosæ navi imposita, & ab invidis Judæis in altum mare sine velo, sine remige protrusa est. Tandem Deo duce ad portum Massilienſem in Gallia appulit, ubi in contigui montis spelunca residuæ vitæ habitaculum elegit quidem, sed ab infernali veteratore multas luctas, ac vexationes diu perpessa est. At ecce Archangelus Michaël ei in auxilium venit, qui dispulsis orci insidiis ante fores cavernæ Crucifixi imaginem collocavit. Hic Magdalena tota in gemitus effundi, hìc anteactæ vitæ noxas coram crucifixo amore suo deplorare, hìc de novo *lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Tu peccator quisquis es, si secutus es Magdalenam peccantem, sequere pœnitentem, & ad pedes crucifixi JEsu tua delicta deplora. Vide Considerationem CXXXIV. Qui ex animo ad Deum T. O. M. vult converti, ad pedes crucifixi JEsu sæpiùs suam contritionem excitet. Ex vita.

Pro Festo S. Jacobi Apostoli.

In baculo meo transivi Jordanem. Gen. 32.

S. Greg. hom. 11. in Evang. Gen. 47. v. 9. S. Hieron. in Ezech 47. S. Greg. hom. 16. in Ezech. S. Aug. Ser. 79. de temp.

SAnctus Apostolus Jacobus specie peregrini pingi solet: figura omnium nostrûm refert, quia *in hac vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus.* Hinc bonus illa Patriarcha quæsitus de annis ætatis suæ respondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum.* An vivere idem est ac peregrinari! consummato hoc vitæ cursu Jordanes nobis transeundus est, id est judicium, Jordanes enim, teste Hieronymo, & Gregorio judicium interpretatur. Feliciter peregrinationem suam confecit, quisquis feliciter judicium transiit. Sed cùm peregrinus præcipuè baculo indigeat, quo baculo utemur, ut feliciter transeamus? Baculo crucis, ait S. Augustinus. Vide Considerationem XII. Crux dominica baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

Pro Festo S. Annæ Matris B. V.

Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito. Matth. 11.

Matth. 20. S. Chrys. hic.

CUm quadam vice Christus Dominus discipulis, aliisque permultis sequacibus stipatus iter ageret, Apostolos suos à turba paulò avocavit. *Assumpsit duodecim suos secreto & ait illis.* Quid hoc est Divine Redemptor, tu semper palam locutus es, ut quid nunc secretò loqueris? Apostolis tuis revelas mysterium crucis & passionis, dicens, filius hominis tradetur ad crucifigendum. Cur hoc secretò? respondet S. Chrysostomus: *quia pretiosior thesaurus reponitur in melioribus locis secretò: ideò thesaurum suæ crucis committit discipulorum cordibus secretò.* O sancta Crux! tu thesaurus es divitiarum immensarum, qui te reperit, thesaurum absconditum reperit. Vide Considerationem CXV. Christus crucifixus thesaurus est inexhaustus bonorum omnium, gratiarum ac benedictionum.

Pro Festo S. Laurentii Martyris.

Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur. Luc. 12.

CRedideram hactenùs, unum unicum fuisse ignem, quo beatus Laurentius arsit: sed hodie aliter me edocet sanctus Pontifex Leo inquiens, fortiorem fuisse flammam, qua sanctus Martyr intùs, quàm extrà arserat: externam accendit tyrannus, internam amor crucis & passionis; hinc in mediis flammis flammas & tormenta contempsit. Vide Considerationem XXXIII. Tres pueri Babylonis in fornace ignis ardentissimi virtutem sanctæ crucis agnoverunt.

Pro

Pro Festo S Bartholomæi Apostoli.

Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Job. 2.

ÆTerna Veritas Christus in monte Oliveti dormientibus discipulis vigilabat; in navicula verò exortâ tempestate periculosè jactata vigilantibus discipulis dormiebat. Hic quærit S. Ambrosius: *Cur Christus, qui pernoctabat in oratione, nunc dormit in tempestate?* nónne utrinque grande periculum imminet, in horto quidem à Judæis insidiantibus, in mari autem à procellis intumescentibus? Ita est: respondet sanctus Hilarius: utrinque grande periculum imminet; sed cum hoc discrimine, quòd in mari tantùm corpus periclitetur, hinc Christus dormivit: in horto autem periclitantur animæ discipulorum, quia in fide tentabantur: hinc Christus vigilavit: significans, longè majori solicitudine curandam esse animam, quàm corpus: pereat corpus, modò servetur anima. Ideò sanctus Bartholomæus pellem dedit, cultrorum lanienam pertulit, corporalem mortem sustinuit, ut anima salva sit. Sed quid explico, quid passus sit S. Apostolus pro anima, potiùs explicare pergo, quid Christus pro anima pertulerit. Vide Considerationem LXXXXI. Consideratur labor & dolor crucifixi JEsu, quem pro salute nostra usque ad finem fortiter sustinuit.

S. Ambr. l. 6. in Luc. c. 2.

S. Hilar. conv. 31. in Matth.

Pro Festo Exaltationis SS. Crucis.

Ego si exaltatus fero à terra, omnia traham ad me ipsum. Joan. 12.

SIcut ovicula viridi ramo, magnes ferro, solsequium luce meridiana trahitur; ita humanus animus trahitur beneficiis: *Ego si exaltatus fuero*, ait hodie Christus, *omnia traham ad meipsum.* En Domine exaltatus jam es in SS. Cruce tua, postquàm Heraclius Imperator eam ab impio Chosroa in Persidem allatam denuò in monte Calvariæ collocavit, nunc trahes ad te animos cœlestium, terrestrium & infernorum; cœlestium, ut adorent, infernorum, ut metuant, terrestrium, ut sperent in SS. Cruce tua, quia refugium, salus, & spes est totius Christianitatis, ita ut cum S. Leone exclamare fas sit: *O admirabilis potentia crucis, O ineffabilis gloria passionis! traxisti enim Domine omnia ad te &c.* Vide Considerationem CXL. Ad crucis contactum resurgunt mortui, & magnalia Dei referantur.

Ex Brev. Rom. hoc Fest.

S. Leo. ser. 8. de pass.

Pro Festo S. Matthæi Apostoli.

Vidit JEsus hominem sedentem in telonio. Matth. 9.

NOtatu digna quæstio est, cur S. Apostolus Matthæus post suam vocationem nec momento ampliùs ad telonium redierit, cùm tamen S. Petrus,

postquam relictis omnibus secutus est Dominum, nihilominùs postliminiò ad piscationem rediisse legatur? Huic quæstioni satisfacit S. Gregorius do-
S. Greg. hom. 24. in Evang. cens: *Aliud est victum per piscationem quærere, aliud autem telonii lucris pecunias augere; sunt enim pleraque negotia, quæ sine peccatis exhiberi aut vix, aut nullatenùs possunt.* Fugit itaque S. Matthæus periculum usuræ, fugit avaritiam grande malum. Vide Considerationem LXII. Avaritia & proprium Interesse Filium Dei ad mortem crucis magna ex causa promoverunt.

Pro Festo S. Michaëlis Archangeli.

Tunc parebit signum Filii hominis. Matth. 25.

Eckius hom. 4. de S. Mich. NOn frustra hodie hoc themate utor de signo Filii hominis, quia, ut opinatur doctissimus Eckius, sanctus Archangelus Michaël in judicio crucem præferet, coram toto orbe instar Solis fulsuram; hinc ab Ecclesia dicitur *Signifer sanctus Michaël.* O quàm dispari vultu glorioſum hoc vexillum intuebuntur justi, & impii: illi cum amore & exultatione, isti cum aversione & tremore. Tu Christiana anima, si bonus tibi consul sim, nunc timere Christum incipe, ut in illa die viso crucis vexillo exultes. Vide Considerationem LXXXXIII. Christus Dominus, si attentâ mente ipsum consideramus, salutarem nobis debet incutere timorem.

Pro Festo SS. Apostol. Simonis & Judæ.

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. Joan. 15.

QUisquis amat servitium Dei ex toto corde amplecti, præparet cor suum ad tentationes, & mille adversitates: consule sanctos Apostolos, audies cum stupore, quàm laboriosas peregrinationes, frigora & ardores, fa-
Act. 5. mem & sitim perpessi sint, & tamen honori sibi duxerint *pro nomine JEsu contumeliam pati.* Consule sanctos Martyres, audies cum horrore, qua ratione
Hebr. 11. *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt.* Consule sanctos Confessores, audies cum tremore, quanta austeritate, ciliciis, jejuniis, diurnis, nocturnisque afflictationibus corpus extenuârint. Consule demum sanctas Virgines, audies cum admiratione, quàm decumana certamina ac luctas pro conservatione sui candoris exantlârint. Deus bone! quis volet accedere ad servitutem Dei tot prævisis tribulationibus, & incommodis? R. Ille volet accedere, qui exemplum Christi præeuntis ante oculos habet: ideò animavit suos discipulos, & sequaces: *Non est servus major Domino suo: si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Vide Considerationem CXLIII. Christus crucifixus est vera idea, exemplar, & fortitudo Martyrum.

Pro

Pro Festo Omnium Sanctorum.

Hi omnes qui sunt, & unde venerunt? Apoc. 7.

ABimelech dum quadam vice in montem Selmon ascendit, ubi arreptâ securi ramum arboris præcidens, & humeris asportans, militibus suis alta voce succlamavit: *Quod me vidistis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem.* Judic. 9. v. 49. Christus Dominus noster dux est, prætulit ille crucem, & innumerabilem sanctorum populum post se traxit. Intuere omnes sanctorum cælitum ordines, interroga de omnibus: *Hi qui sunt, & unde venerunt?* Et responsum recipies de singulis: Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, videlicet exemplô Christi animati. Vide Considerationem XVII. Crux Dominica servis Dei omnes indulcorat labores, ærumnas & miserias, ipsámque denique horrendam mortem.

Pro Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

In sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu. Zach. 9. v. 11.

QUando incendium est, nemo non accurrit opem & aquam laturus. O Christiana pectora, incendium est! non Trojæ, non Romæ: sed in lacu ignito cremantur animæ, Parentes, fratres, ac familiares vestri. Nisi in saxa obduruistis, accurrite, opem ferte. Non quidem anhelant aquas, sed sanguinem: scitis qualem? In Chronica Minorum legitur, quòd B. Joannes de Alvernia in hac memoria pro animabus orans, viderit multitudinem scintillarum è magna & ardente fornace prodeuntium quasi infinitas animas è purgatorio in cœlum evolare. Qua oratione usus est? Invocavit SS. Redemptoris vulnera. Tu Christiane ex his vulneribus sacrosanctum sanguinem piè elice, & miseris animabus in refrigerium effunde. Vide Considerationem CLX. De pretioso sanguine D. N. JEsu Christi crucifixi optimo pro liberandis animabus purgantibus remedio.

Pro Festo S. Martini Episcopi.

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut qui ingrediuntur lumen videant. Luc. 11.

GEdeon generosus Bellidux trecentis militibus tubam in manus dedit, vas testaceum, & ignem. Dein ipse Antesignanus viam præivit, & cùm ad destinatum locum pervenerant, lagena confringi debebat, in qua absconditum lumen latuit. Lagena confracta, ait S. Gregorius Magnus, humanita- Judic. 7. v. 20.

ta-

tatem Christi designat innumeris vulneribus laceratam : lumen absconditum immensam illius charitatem portendit. Voluit divinus hic Antesignanus, ut lucernæ ardentes in manibus nostris sint, & eum generosè sequamur. Talis Christi Domini pedissequus miles fuit S. Martinus. Vide Considerationem XLVII. Christus ferens crucem omnes Christianos ad sui sequelam invitat, & animat.

Pro Festo S. Catharinæ V. & Martyris.

Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias. Matth. 25.

Ex vita S. Cath.

GLoriosa hæc Virgo Alexandrina blandientis tyranni thalamum generoso contemptu aversata est. Proinde meruit Deo animarum Sponso desponsari. Quadam enim vice Beatissima cœlorum Regina cum aliquot Sanctis Virginibus ei spectabilis facta est: & ecce! divinus Pusio in gremio matris residens per annuli subarrhationem Catharinam sibi in sponsam delegit. Gratulor ô felix Virgo! at an scis, quid donorum antenuptialium locò tibi expectandum sit? Nil, nisi cruces & passiones. Expertæ sunt omnes Virgines Christi Sponsæ, quæ à sanguinum sponso nil aliud dotis nomine acceperunt, nisi participationem Dominicæ passionis. Vide Considerationem LXXXVIII. Ad Christum crucifixum sanguinum sponsum invitantur omnes sacræ Virgines, ac piæ animæ.

Pro Festo Dedicationis Ecclesiæ.

Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. Luc. 19.

CUm Christus Dominus ingenti hominum multitudine stipatus perambularet Jericho, Zachæus, vir tam vitiis grandis, quàm staturâ pusillus præcurrens ascendit in arborem. Ubi eum vidit benignissimus Dominus, confestim jussit descendere: *Zachæe festinans descende.* At verò quærere juvat, cur descendere jussus sit? Subintrat hic doctissimus juxta ac pientissimus Dionysius Carthusianus docens, quòd per arborem repræsentetur sanctissima crux Christi. Voluit itaque mitissimus Dominus dicere: Zachæe non tibi competit hæc gloria, quòd ante me in crucem ascendas, ego ego hanc arborem crucis elegi ad redimendum genus humanum, & salvandos peccatores, quorum gratiâ in mundum veni. Vide Considerationem LXXXVIII. Christus in cruce pronior est ad nos exaudiendum, quàm in sinu Patris.

Luc. 19.

Dionys. Carth. hic.

CON.

CONSIDERATIO I.

Mundus magnus & parvus nobis Crucis Dominicæ memoriam ingerunt, & quodamodo inculcant.

Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gal. 6. 14.

1.

SAnctus Paulus illuminatissimus Gentium Doctor in nulla alia re gloriari voluit, quàm in Cruce Domini; non in sapientia sua humana, quâ super alios excellebat: *Proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos &c.* Gal. 1. 14. non in honoribus, quia Lystris, ubi claudum ex utero matris suæ verbo sanabat, ipsum Iconii ut DEUM sacrificiis volebant colere: *Dii similes facti hominibus, descenderunt ad nos.* Act. 14. 10. non in divitiis hujus sæculi, quibus facilè, ut homo nobilis & civis Romanus, abundare poterat, quas tamen *arbitratus est ut stercora &c.* Philipp. 3. 8. Sed unicè gloriari voluit in cruce Domini; quia sciebat per illam se esse redemptum, & in libertatem filiorum DEI assertum; unde ad Galatas scripsit, & auream hanc sententiam posteritati humanæ reliquit: *Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri JESU Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Gal. 6. 14. Subintrat hìc S. Augustinus: *Poterat*, inquit, *Apostolus gloriari in sapientia Christi, & verum diceret; poterat in majestate, poterat in potestate, & verum diceret: Sed dixit in cruce. Ubi mundi Philosophus erubuit, ibi Apostolus thesaurum reperit, ut qui gloriatur, in Domino gloS. Aug. Serm. 20. de Verb. Apost.*

vietur: Quo Domino? Christo Crucifixo: ubi humilitas, ibi majestas: ubi infirmitas, ibi potestas; ubi mors, ibi vita: Si vis ad illam venire, nolis ista contemnere, noli erubescere: ideò in fronte, tanquam in sede pudoris signum crucis accepisti.

2. Soletautem Mundus magnus & parvus nobis quotidie Dominicæ Crucis ingerere, & refricare memoriam. Consideremus singula: Crucem in terra jacentem contemplare, quæ sine mora, velut lingua Magnetica suum Polum, sic Crux jacens quatuor mundi plagas, hoc est, Asiam, Africam, Americam & Europam tibi ostendet: *Crux jacens,* ait S. Augustinus, *quatuor mundi partes appetit, quia Christus per passionem omnes gentes ad se trahit*; unde & David: *Oculi ejus super gentes respiciunt*

S Aug Serm. 181 de Temp.

Psal. 65 7

Erigamus modò jacentem Crucem in altum, in qua pars suprema *cœlum*, ima *infernum* respicit, duo verò Crucis cornua, seu *longum* & *latum* Orientem & Occidentem spectent; Pars, inquam, suprema cœlum respicit, quia Christus per Crucem suam ruinam Angelorum reparavit, & cœlum Empyreum innumeris Sanctis & Electis replevit. Et hoc est, ad quod alludit Vates regius: *Implebit ruinas* &c. Pars Crucis inferior limbum & purgatorium spectat, quas inferiores terræ partes Christus per crucem & passionem suam ad se attraxit, & *in altum captivam duxit captivitatem.* Longum & latum, seu lignum transversum in cruce erecta Orientem & Occidentem intuetur, quas orbis plagas pientissimus Redemptor pari modo per crucem suam ab interitu redemit, & Judæos cum Gentilibus in unam coadunavit Ecclesiam, & ideò S. Gregorius Nyssenus S. Crucem appellat *Universitatis vinculum*

Psal. 109. 8.

Ephes. 4 8.

S. Gregor. Nyss. orat. 1. de Resurrect.

3. Si Mundum parvum, seu hominem placet considerare, dicit de eo Scriptura: *Creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*: Et quomodo, dices, ad imaginem & DEI similitudinem? Respondet S. Athanasius: *Homo*, inquit, *ad formam crucis figuratam habet imaginem, ut qui sit ad imaginem Crucifixi.* Extende brachia, & Crucifixum repræsentabis.

cen. 1. 27.

S. Athanas. l 1. ana. contempl. in gen.

Considera Solem astrorum principem, crucem tibi repræsentat, dum in latissimo cœli firmamento radios suos in altum & profundum, in longum & latum effundit; sed hoc est, crucem & quidem quàm maximam formare. Sta hîc, lector prudens, oculos tuos leva nunc ad Orientem, mox in Occidentem, exinde ad Meridiem, & tandem ad Septemtrionem, ecce crucem formásti. Constantinus Magnus Imperator Romanorum, cùm adhuc esset gentilis, & nunc contra Maxentium tyrannum moveret exercitum, in ipsis radiis solaribus manifestè SS. Crucis signum conspicatus est, legítque sub sole à meridie paululum deflectente, hanc consignatam inscriptionem: *In hoc signo vinces.*

Alphons Ciacon. de signis S. Crucis.

Quid

Quid dico de Luna? An non pariter Crucis figuram repræsentat, dum cornua sua per modum Crucis expandit? Ita anno 1567. die 28. Januar. horâ 4. noctis observatum fuit, quòd Crux splendidissima supra lunam cavam apparuerit, quæ ad auroram usque perdurans radios suos longè latéque in orbe diffudit. Hæc alma Crux supra cavam lunam (qualem Turcæ pro suo Insigni tenent) mirè tunc refulgens felix nuntia fuit illius insignis victoriæ, quam Christiani fœdere juncti sub S. Pio V. P. M. & Joanne Archiduce Austriaco ad sinum Corinthiacum propè Actiatum Promontorium de classe Turcica reportarunt. Idem apud me f. 185.

4. A sole & luna ad stellas transeamus: *Suspice cœlum, & numera stellas si potes.* & videbis, quòd omnia hæc cœli sidera in immenso illo & cæruleo campo discurrentia ne quidem micare velint, nisi pariter radiis suis exprimant crucem. Refert Mancinus S. J. quòd versus Polum Antarcticum Crux quædam ex stellis splendidissimis composita à navigantibus soleat observari, quæ navibus in vastissimo æquore errantibus securam ad portum monstrat viam. Unde quamprimùm nautæ in linea æquinoctiali ad conspectum hujus stelliferæ Crucis perveniunt, illam tanquam fidissimam viarum ducem magno animi cum jubilo salutant. Gen. 15. 5. Mancin. l. 16 diss. 1. p. 2.

De S. Joanne Silentiario olim Ecclesiæ Colonienſis Episcopo refert Baronius, quòd illi stella quædam, quæ crucis figuram præsetulit, diu in obscuro itinere præluxerit, eique viam securissimam usque ad S. Sabam monstraverit, qui ex eadem stellifera cruce hanc vocem audivit: *Vis esse salvus, sequere hanc lucem.* O anima Christiana! sequere & tu hanc tutissimam crucis stellam, cunctis astris longè splendidiorem, quæ haud dubiè tibi rectissimam ad cœlum viam ex hoc turbido & periclitanti mundi pelago monstrabit, non enim à salutis tramite aberrare potest, qui crucem tanquam ducem sequitur: *Crux* inquit Hesychius, *lumen Christi est, quod orbem illuminavit.* Consequenter & te illuminabit, si majorem imposterùm ad eam habebis venerationem. Baron ad ann. Christi 491. Hesych. in catena.

5. Transeo ad quatuor Elementa, inter quæ principatum sibi vendicat ignis: *Ponderа mihi pondus ignis*, an non ob suam levitatem semper movetur sursum, & ex parte per successionem novi ignis priorem propellentis in transversum? Sed sursum & in transversum moveri facit & exhibet crucem; accedit, quòd ligna ardere vix soleant, nisi per modum crucis disponantur. Eccl. 4. 5.

Aër nobis exhibet crucem; considera quatuor ventos, qui perflant orbem: Eurus ab Oriente, Zephyrus ab Occidente, Auster à Meridie, Aquilo à Septemtrione insurgit. Sic vidit quondam Eze-

chiel resurrectionem generalem hominum per istos quatuor ventos in
Ezech. 37. 9. unum conflantes, esse futuram: *Hæc dicit Dominus DEUS: à quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Nota hîc prudens Lector, quatuor isti venti in unum centrum à quatuor orbis partibus conflantes, quid aliud faciunt quàm latissimam crucem? Cui veritaMatth. 24. 30. ti assentit ipse DEI, hominisque Filius, qui *congregabit electos à quatuor ventis à summo cœlorum usque ad terminos eorum.*

Leva ulteriùs oculos tuos, & perpende omnia volatilia secundùm genus suum, an non alis suis expansis, dum per aërem volant, cruS. Hieron in cem formant & exprimunt? Ita S. Hieronymus: *Aves*, inquit *quando* c. 15 Marci. *volant ad æthera, formam crucis assumunt.* Et tu anime mi, sine cruce vis venire in cœlum? Absit.

Gen. 1. 9. 6. Ad elementum aquæ descendamus: *Dixit verò DEus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida, & factum est ita.* Hæc congregatio, seu collectio aquarum ex quatuor mundi plagis ad unum centrum & maris abyssum coëuntium, an non formavit cruGen. 2. 10. cem? Sic & fluvius ille, qui *egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita*, quid aliud expressit, quàm crucem? Attende insuper in hoc elemento aquæ omnes pisces, nunquid natando, & pinnulas suas extendendo formam crucis repræsentant? Imò lupus piscis non crucem solùm, sed & cætera passionis Dominicæ instrumenta in capite tenet. Quid dico de navibus immensum æquor
S. Ambros. sulcantibus? Audi S. Ambrosium: *Crux*, inquit, *est in navi*: Ubi? Serm. 56. Resp. in omnibus lignis in transversum compactis, ac præsertim in malo, quæ tanquam crux in medio navis erecta inter cæteras machinas ac structuras mirandum in modum eminere assolet, quâ destructâ & ventorum furiis dissipatâ, navis certo naufragio est exposita, hinc lemma: *Malè sine malo;* Sic malè sine cruce.

7. Denique ad elementum infimum, quod terra est, accediS. Justin. M. mus: *Terra*, ait S. Justinus, *sine crucis vestigio non aratur.* Inspice arbores Apologetico 2. omnes, an non expansis brachiis suis figuram crucis præseferunt? Imò & fructus earum cruce carere non volunt; aperi corticem nucis, & in medio illius subtile lignum invenies, quatuor nucleos per medium in
Cant 6. 10 modum crucis dividens: *Descendam in hortum nucum*, dicebat quondam sponsus; per quem hortum nucum S. Augustinus amarissimam Christi
Quaresm. to passionem & lignum crucis intelligit. Refert Quaresmius, quòd
1. c. 3. sect. 1. nobilis quidam miles in Belgio oriundus, ubi loca sacra in Palestina visitavit, ad sepulchrum Christi nucem invenerit, quam in patriam suam rediens in horto suo implantavit, ex qua perfectissima crux &

in

in ea imago Crucifixi Salvatoris nostri excrevit, quæ effigies etiamnum in monasterio sanctæ Mariæ Magdalenæ ad oppidum Trajectense supra ripam Mosæ in Diœcesi Leodiensi piè asservatur & honoratur.

Bosius recenset de vite, quòd in Hispania in valle Soletana in monasterio S. Benedicti in hodiernum usque diem prodigiosa quædam Crucifixi imago asservetur, quæ ex radice cujusdam vitis mirabiliter excrevit, & nunc quàmplurimis beneficiis ac prodigiis coruscat. En quàm bene Christus seipsum viti comparaverit: *Ego sum vitis vera.* Bosius de c. acc. triumph. Joann. 15. 1.

Scinde pyra & poma, & in medio illorum reperies crucem. Pomum Paradisiacum non crucem tantùm sed etiam Crucifixi imaginem in medio exhibet; Granadilla crucem & cætera passionis Dominicæ instrumenta clarissimè & ad oculum monstrat: Malum punicum seu Granatum meris crucibus internis est refertum; tale Christus Dominus dono dedit B. Joanni à DEO hospitalitatis Fundatori, dicens: *Granada sarà la tua croce.* Sed in quem finem hæc omnia? Nunquid DEUS & natura aliquid frustra faciunt; Minimè; discè ergo amare crucem, & in ea pendentem orbis Redemptorem. Verè mi Domine, qui te non amat, anatehema sit. Hadr. Lyræus lib. 6. c. 1. de Chr. pat.

CONSIDERATIO II.

Crux est arbor vitæ & salutis, ad quam nos oportet in omni tentatione & periculo confugere.

Ecce arbor in medio terræ, & altitudo ejus nimia.
Dan. 4. 7.

I.

TRia quondam lingua DEus in horto Paradisi plantavit, lignum vitæ, lignum scientiæ boni & mali, & cæteras arbores tum frugiferas, tum infrugiferas; unam sibi reservavit, arborem videlicet scientiæ boni & mali, de qua protoplastis præcepit: *De ligno scientiæ boni & mali ne comedatis.* Comederunt miseri, & Gen. 2. 17.

& facti sunt in desolationem. Quid consilii in re tanti momenti, ex
Gen. 3. 8. qua pendebat orbis salus? Audi Scripturam: *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni paradisi.* Supra quod antiquissimus Ori-
Origen. hom 1. in Gen. genes: *Impulsu quodam primi parentes ad arborem se contulerunt, ut significaretur, jam tunc unicum perfugium in arbore crucis esse constitutum* Ecce quàm bonum, quàm tutum sit animæ peccatrici, & nunc ad frugem revertenti maturè, & dum adhuc tempus gratiarum affulget, ad arborem vitæ & verum vitæ lignum, hoc est, ad SS. Crucem confugere: *Arbor vitæ,*
Cornel. hic in Gen. inquit Cornelius, *est Crux Christi quæ in medio paradisi, id est, Ecclesiæ erecta, vitam dat mundo;* Et Ecclesia Catholica in Officio de S. Cruce: *Hæc est arbor dignissima; in medio paradisi situata, in qua salutis Author propria morte mortem omnium superavit.* O Christiani, quid agitis? En certum ac securum salutis vestræ perfugium; fugite, fugite, sed ad crucem Domini.

Dan. 4. 7. 2. Mirabilem quondam visionem habuit Persarum Rex Nabuchodonosor. *Videbam*, inquiebat ad Danielem Prophetam, *& ecce arbor in medio terræ & altitudo ejus nimia: Magna arbor & fortis, & proceritas ejus contingens cœlum: Aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ: folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius, & esca universorum in ea. Subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli, & ex ea vescebatur omnis caro.*

Per hanc arborem Daniel Propheta ipsum Persarum Regem Nabuchodonosorem, alii hominem utpote arborem inversam, alii prosperitatem humanam intelligunt. Verùm proposito nostro peraptè
Anton de Rampelogis f. 565. inservit Antonius de Rampelogis clarissimus Scripturæ interpres, qui per prædictam arborem crucem subaudit Dominicam. Audiamus inter utramque arborem & Danielis, & Crucis non inelegantem analogiam.

Arbor illa magna & prodigiosa Danielis in medio terræ videbatur
Psal 73. 12. plantata: Crux arbor una nobilis in medio terræ stetit: *Operatus est salutem in medio terræ.*

Arbor Danielis usque ad cœlum pertingebat: Crux arbor verè regia, quia ornata Regis purpurâ, ipsum cœlum nobis aperuit, &
S Hieron. Ep 7. cap. 25. etiamnum pœnitentes animas ad cœlum transfert: *Latro de cruce transit ad paradisum.* Ita S. Hieronymus.

Arbor illa Regia ob nimiam altitudinem usque ad extremas orbis partes conspiciebatur: Crux arbor decora & fulgida usque ad terminos orbis terrarum se dilatat, nec ulla regio ampliùs supereſſe videtur, in
Psal. 18. 5. qua crux non prædicata fuit: *In omnem terram exivit sonus ejus.*

Arbor

Arbor Regis Babyloniæ fructibus plena & abundans fuit: *Et esca universorum in ea*: Crux omnibus invocantibus escam spiritualem præbet, omnes nutrit, cunctos sustentat, & *implet omne animal benedictione.* Psal. 144. 16.

Arbor Danielis omnibus, tum bestiis terræ, tum cœli volucribus commune asylum fuit: Crux Dominica totius Christianitatis unicum ac ultimum perfugium est, tum in vita, tum in morte, proinde omnibus omnia facta est: *In cruce,* ait S. Doctor Seraphicus, *pendet omnis fructus vitæ, quia ipsa est arbor vitæ, quæ est in medio paradisi* S. Bonav. lib. 1. Pharetræ c. 4. fol. 140.

3. De magno Cham Tratarorum Rege commemorat Odericus, ùt testis oculatus, quòd in sua aula regia inter pretiosa etiam pinum habeat arborem satis proceram, in qua prægrandes gemmarum & unionum botri, velut uvæ è singulis ramis quaquaversùm pendent, nec ullus ramusculus in hac pinu pretiosissima reperiundus sit, qui non tali gemmeo botro sit ornatus & oneratus. Odericus in Indicis lib. 1.

Henricus Northusiæ Landgravius in hastiludiis, quæ suis quondam Nobilibus instituit, arborem quandam satis proceram & latam, aureis & argenteis foliis turgentem in foro erexit, ex qua illis, qui adversarios suos ex equis præcipitarunt, aureum folium pro munere dedit, iis verò, qui concurrebant, hastásque frangebant, sed tamen in sua sessione permanebant, argenteum folium donabat. Le Blanc in Psal. 1. v. 3.

Xerxes Persarum Rex Platanum arborem, qui optatam ipsi umbram in gravi Solis æstu fecerat, aureis torquibus, pretiosis annulis ac gemmis ornavit; Pompejus verò vitem auream gemmeis pomis & botris circumdatam in triumpho ostentavit &c. Idem.

Mitto has similes arbores pretiosas, quas mundus æstimat & miratur; ad aliam arborem te duco, anime mi, sub cujus umbra, etsiamsi ruat mundus & æther, stabis intrepidus. Arbor hæc est Crux Dominica, de qua Ecclesia cantat: *Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis, Sylva talem nulla profert, fronte, flore, germine: Dulce ferrum, dulce lignum, dulce pondus sustinent &c* Nulla inter prædictas arbores pretiosas meliorem fructum tulit, quàm lignum crucis, hoc enim solum dignum fuit portare talentum hujus mundi, & pretium totius sæculi; hanc igitur salutiferam arborem humiliter exosculemur, & duobus stringamus brachiis, eam devotissimè salutando: *Ave Crux, spes unica: Benedictatu inter omnia ligna & benedictus fructus, qui in te pependit JEsus Christus, Sancta Crux, Thronus Filii DEI, adesto nobis peccatoribus, ut per te simus nunc & semper adjuti & defensi.* In hymno de S. Cruce.

4. Desolata Agar filium suum Ismaëlem, ubi panis & aqua defecit, in deserto subter unam arborem projecit: *Abjecit puerum subter unam* Gen. 21. 15.

arborem,

arborem, quæ ibi erant, & abiit, sedítque è regione procul, quantum potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contrà. levavit vocem suam, & flevit. Subintrat hîc S. Isidorus mysticam indagans causam, cur Agar hanc prolem suam subter unam arborem projecerit, ibidem auxilium expectans de cœlo?

S. Isidor. in hunc scripturæ locum.

Rationem idem S. Pater assignat, quia per dictam arborem crux Dominica præfigurata fuit, sub cujus umbra & proles & mater desolata mox à cœlo optatas impetrarunt suppetias, nam apparuit eis Angelus, mœrentes consolans, fontémque monstrans, cujus hausto salutari latice & mater, & proles abundè refectæ sunt. Si hoc olim in umbra, quid nunc in luce veritatis? *Crux*, ait S. Laurentius Novariensis, *est arbor optabilis, salubri medicamine plena.* Quid agitis, ô peccatores! Cur non ad hanc vitæ & salutis arborem properatis, extra quam est nulla salus?

S. Laur. Novar hom. de pœnit.

5. De Maximiliano Primo hujus nominis Imperatore referunt probati scriptores, quòd à Principe quodam duos raræ magnitudinis & velocitatis molossos dono acceperit, quos Imperator (sed tum temporis intervallo adhuc Archidux Austriæ) ipse in venatione probare voluit. Cùm itaque illos loro alligatos ante se duceret, in proximam feram immissurus, accidit, ut hi generosi canes ad conspectum feræ omnis moræ impatientes, tanto impetu in obviantem prædam inveherentur, ut Maximilianum, qui lorum seu funem circa manus fortiter ligatum tam citò solvere non poterat, per longum viæ spatium super terram miserrimè raptarent, in quo summo rerum & vitæ discrimine sine dubio periisset, nisi providentissimus DEUS, qui in tempore adest se in veritate invocantibus, huic extremo malo remedium ordinasset; siquidem canes, cùm ad arborem quandam advolarent potiùs, quàm accurrerent, subitò se ipsos captivarunt, dum funis circa arborem implicitus momento uno celerem illorum cursum stitit, ex quo Maximilianus jam semimortuus & malè cruentatus paulisper ad se rediit, funem de manibus solvit, & sic à vitæ interitu ope arboris obstantis liberatus est.

Joan. Weyer S. J To. 2. lib. 1. cap. 10. & alii.

Idem Imperator, dum aliquando per montana excelsa & rupes præruptas Oenipontanas rupicapras insequeretur, eò tandem in hac periculosa venatione evasit, ut nec pedem referre, nec ampliùs progredi valeret, nisi in præcipitium & proprium interitum. Mansit in hoc statu per dies duos & noctes, crucifixum implorans Amorem suum; Et ecce die tertio apparuit juvenis in habitu rustico (qui Angelus Domini credebatur) qui eum à præcipitio liberavit, & per præalta

aretserus de Cruce lib. 2. cap. 19.

alta montium securè ad suos perduxit, in cujus rei memoriam pergrandem Crucifixi effigiem illic locorum jussit erigi, quam conspiciens de longè veneratus sum.

Ad te nunc me verto, anime mi, dic obsecro, quid aliud vita tua est, quam continuus cursus ad mortem? Et quo te subinde non ducunt molossi isti & canes venatici, scilicet tuæ infrunitæ passiones, concupiscentiæ, carnis tumultus, dæmonum insultus & mali habitus? Igitur arborem oportet quærere, quæ ab interitu te eripiat; Arbor hæc salutifera est Crux Dominica, *In qua vita & salus mundi pependit, in qua Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum;* ad hanc, inquam, curre, *quia,* prout loquitur S. Ambrosius, *per arborem mors, & vita per crucem.*

CONSIDERATIO III.

Christus Adamus secundus reparat in Cruce, quod Adamus primus in Paradiso destruxit in arbore.

Unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia DEI, & donum in gratia unius hominis JEsu Christi in plures abundavit. Ad Rom. 5. 15.

I.

PRimus homo de humo sumptus, & ex limo creatus, à DEO creatore suo nomen accepit ADAM. Observa hìc Lector prudens: Tò nomen ADAM quatuor constat litteris, quæ in græco quatuor orbis demonstrant plagas; A Anatole, id est Orientem. D Dysis Occidentem; A Arctos Aquilonem, & M Mezembria Meridiem, sed hoc, prout rerum ponderanti patet, est crucem exprimere; ita Rabanus? *Nomen primi hominis id est Adam in figura & forma sanctæ Crucis dispositum est;* quatuor enim orbis partes veram, seu quadratam formant crucem, & S. Hieronymus: *ipsa* inquit, *species crucis quid est aliud, nisi forma quadrata mundi?* Ut per hoc videli-

Rabanus lib. 12. de S. Cruce. S. Hieron. in Marc. & Ue

cet mysterium omnibus indicaretur, non aliam Adamo & posteris ejus ad cælestem patriam esse, & imposterùm supereſſe viam, quàm viam regiam sanctæ crucis.

2. Adam primus peccavit per superbiam & inobedientiam, dum uxori & serpenti infernali ex pomo vetito divinam promittenti
Gen. 3. 5. omniscientiam credidit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Christus Adam secundus reparavit in cruce hoc superbiæ & inobedien-
Philipp. 2. 8. tiæ delictum, de quo Apostolus: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Adam primus Auctor fuit omnium malorum, quæ in universum
Rom. 5. 12. promanarunt genus humanum: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes mors pertransiit, in quo peccaverunt.* Christus crucifixus auctor est omnium bonorum, gra-
1. Cor. 15. 22. tiarum, & benedictionum, imò vitæ æternæ: *Sicut in Adam*, ait Apostolus, *omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.*

3. Adam per generationem carnalem parens est omnium homi-
Act. 17. 26. num: *Fecit DEUS ex uno omne genus humanum inhabitare super universam faciem terræ.* Christus crucifixus per generationem spiritualem est verus
1. Petr. 1. 3. parens noster, *qui secundùm misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam &c.*

Adam post admissam prævaricationem cum uxore sua summopere erubescebat, quòd esset nudus, ideò consuerunt sibi folia
Gen. 3. 7. ficûs, ut nuditatem suam tegerent: *Cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata.* Christus nudus in cruce
Psal. 21. 19. pependit, ah quanta cum erubescentia & rubore, quis dicet? *Diviserunt sibi vestimenta mea & super vestem meam miserunt sortem.* Et dilectus il-
Joan. 19. 24. le pretiosissimi Redemptoris nostri discipulus: *Partiti sunt vestimenta sibi, & in vestem meam miserunt sortem.* Supra quod S. Ambrosius: *Refert*
S. Ambr. lib. 10. in Luc. inquit, *considerare, qualis ascendat, nudum video, talis ascendit, quales nos auctore DEO natura formavit, talis in paradiso homo primus habitaverat, talis ad paradisum homo secundus intravit.*

Gen. 2. 8. 4. Adam in horto paradisi & in loco voluptatis peccavit: *Plantaverat autem Dominus DEUS paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* O felix ille hortus, priusquàm Adam in eo peccaverat, sed ubi in eo seductus fuit, & legè Dei prævaricatus est, initium in illo omnium peccatorum à posteris comissorum & committendorum sumpsit. Christus secundus & innocentissimus Adam
Joan. 18. 1. in horto Gethsemani suam inchoavit passionem: *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus &c.* Et in alio horto suam finivit passionem. ubi & sepeliri voluit, ut unde mors oriebatur, inde

inde vita resurgeret: *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat, ibi ergò propter parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt JEsum.* Joan. 19. 41.

5. Ad Adamum prævaricatorem quondam à DEO dictum est: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ: spinas & tribulos germinabit tibi: in sudore vultûs tui vescêris pane.* Gen. 3. 18. Considera nunc novum Adamum, quomodo per crucem & passionem suam terræ maledictæ de novo benedixerit: *Benedixisti Domine terram tuam &c. Remisisti iniquitatem plebis tuæ &c.* Psal. 84. 1. Vide, ac perpende insuper prædictas Protoplasti pœnas, quas ipse secundus Adam *in laboribus à juventute sua* Psal. 87. 16. patientissimo animo sustinuit. Bone DEUS! quot spinas pungentes ac tribulos illi germinavit Hebraica tellus? Vide quantum sudaverit per omnem vitam ovem quærendo perditam, in monte Olivario, sub gravissimo crucis aratro, ac tandem in colle Golgothæo pendens in ligno.

6. De Adam refert ulteriùs Scriptura, quòd præ pudore & confusione, ac præsertim ob metum divini judicii inter densissimas paradisi arbores se abscondérit: *Abscondit se in medio ligni.* Gen. 3. 8. Christus cùm ad necem & judicium quæreretur, non se abscondit, sed ipse ultrò militibus ac hostibus suis obviàm processit, tradens se ipse voluntariè in manus peccatorum: *JEsus itaque sciens omnia, quæ ventura erant* Joan. 18. 4. *super eum, processit; & dixit eis: Quem quæritis?*

Adam, ubi de ligno scientiæ boni & mali comedit, mox, conscientia animum illius acerrimè stimulante, advertit, in quantam miseriarum voraginem ipse & genus universum humanum devenisset, unde fugam meditanti venit in occursum ipse Dominus ad auram post meridiem, Protoplastum reum ad se vocans: *Ubi es?* Gen. 3. 9. Supra quod S. Irenæus: *Illud*, inquit, *significabat, quòd Christus ad mundi vesperam venturus esset ad redimendum Adam, ejúsque posteros.* S. Irenæus hic apud Cornel. Et quia Adam in arbore vetita peccavit, Christus DEI Filius in arbore infami passus est, ubi jam tunc in paradiso, prout observat Ecclesia: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, & medelam ferret inde, hostis unde læserat.*

7. Adam tandem è paradiso per justissimam sententiam fuit eliminatus: *Ejecitque Adam, & collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim,* Gen. 3. 24. qui illum, prout vult S. Augustinus, vel manu eduxit, ut Raphael Tobiam, vel abripuit, ut Angelus Habacuc ex Judæa in Babilonem transportavit, ut Danieli ferret prandium &c. Christus pari modo ex civitate Hierosolymitana cum crucis pondere ejectus & eductus est, & quidem eâdem horâ & feriâ sextâ, ubi Adam peccavit, crucifixus & circa horam nonam diei in cruce pro salute mundi mortuus est:

Beda & alii apud Cornel. Rationis, ait V. Beda, imo divinæ pietatis ordo poscebat, ut quâ horâ primus Adam peccando mortem huic mundo invexerat, eâdem horâ secundus Adam mortem moriendo destrueret.

8. De Adamo commemorant ulterius SS. Patres, quòd illius caput seu cranium in Calvariæ monte fuerit sepultum: Congruebat, ait S. Ambrosius, ut ibi vitæ nostræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia. Quod Adami cranium Christus ibidem suo sanguine de cruce copiosè stillante à sorde peccati mundavit, & ad vitæ gratiam misericorditer revocavit juxta illud; Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus Et ideò existimat Molanus & alii, hunc mortem in Ecclesia DEI proveniſſe, quòd sub Crucifixi Domini Iconibus ac statuis quædam Calvaria appingi, aut adsculpi soleat, per quam Adam sub crucis trunco sepultus, & Christo redemptus significatur.

S. Ambros. in c. 23. Lucæ. Ephes. 4. 14. Molanus cap 78 de Imaginibus.

9. Adam denique fuit expressa figura & typus Christi, ita Apostolus in Epistola, quam scripsit ad Romanos: Qui est forma futuri hoc est venturi Christi in hunc mundum. Adam ex terra virgine, & non maledicta sine virilli semine à Deo procreatus est; ita Christus ex Matre Virgine nunquam maledicta, sed semper benedicta terra per virtutem Spiritus Sancti generatus est: Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius DEI. Adam fuit caput & sponsus Evæ: Sub viri potestate eris. Christus est caput & sponsus Ecclesiæ suæ, quam redemit sanguine suo: Christus est caput Ecclesiæ. Ex Adami dormientis latere & costa Eva formata est: Immisit ergò Dominus DEus soporem in Adam; cúmque obdormisset, tulit unam de costis ejus, & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus DEus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem. Ex Christo Domino, ubi in cruce obdormivit, & latus ejus lanceâ apertum est, Ecclesia Mater cunctorum viventium prodiit; ita S. Augustinus: Ascendit, inquit, Sponsus noster thalami sui lectum, dormiat moriendo, aperiatur ei latus, & Ecclesia prodeat Virgo: ut quomodo Eva facta est ex latere Adæ dormientis, ita Ecclesia formetur ex latere Christi in cruce pendentis. O anima Christiana! vide, & considera, in veritate Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & Ecclesia.

Rom. 5. 14. Luc. 1. 35. Gen 3. 16. Ephes. 5. 23. Gen. 2. 21. S. Aug. lib. 2 de Symb. ad Catechum. cap. 6.

Adam denique à DEO præfectus est omnibus corporeis creaturis, tanquam Dominus universorum in terra. Quanta dignitas! & tamen illam perdidit unico pomi morsu; sed egit post lapsum per annos 930. amarissimam pœnitentiam, & ideò piè creditur, quòd fuerit salvatus, & inter illos Sanctos, qui cum Christo surrexerunt, & nunc in cœlo sit testis fidelis passionis & redemptionis generis humani. Major, imò omnis potestas data est Christo in cælo & in terra, de

Matth. 27. 52.

quo

quo S. Leo Papa: *Quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo.* Propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur &c. Philipp. 2. 9.

CONSIDERATIO IV.

Christus Crucifixus justus Abel, jam ab origine mundi in suis typis occisus, & crucifixus.

Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum. Gen. 4. 8.

1.

ABel virgo, Sacerdos & Martyr primam post Adamum meruit præseferre Christi Crucifixi figuram, dum primus in patenti campo erexit aram, in qua DEO optima ac pinguissima gregis sui primogenita, hoc est; Agnos litavit: *Abel obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum;* Cain verò agricola munera tantùm aliqua absoleta de frugibus terræ DEO suo præsentavit: *Factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino.* Gen. 4. 4.

Inspiciamus modò, quàm gratum & acceptum utriusque sacrificium DEO acciderit; de victima Abelis testatur Scriptura: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Dum scilicet igne de cœlo lapso illius sacrificium probavit & absumpsit. Caini verò munera prorsùs intacta relinquens contempsit, & faciem ab eis avertit: *Ad Cain autem & ad munera ejus non respexit.* Et quare hoc? nunquid apud DEUM est respectus personarum?

Causam hujus mysterii subjungit Rupertus Abbas in Genesin, ubi docet, Abelem hoc suo sacrificio præsignasse, & quodamodo præcurrisse sacrificium Crucis, offerebat enim agnos immaculatos & optimos: *In quibus*, ait doctissimus Quaresimius, *Christi Sacrificium & sacra vulne-* Rupert. Abbas hic in Gen. Quaresim. to. 1. l. 3 sect. 2.

vulnera in typo cernebantur, agnus enim perfectam Christi crucifixi gestat figuram, dum crucem in dorso habet, & quinque stigmata in corpore, quatuor videlicet in pedibus, & cicatricem rubram in pectore.

2. Et hoc est, ad quod in sua Apocalypsi allusit dilectus ille Christi Discipulus, dum non dubitavit Christum crucifixum, agnum illum divinum jam ab origine mundi occisum appellare: *Qui occisus est ab origine mundi.* non in se videlicet, sed in suis figuris ac typis, utpote qui jam ab æterno à Deo erat decretus, præscitus & prædestinatus, ut mundum immundum suo tempore ab interitu redimeret, & pro omnium salute in ara crucis moreretur. Itaque crucem Dei Filius non tantùm in tempore, sed jam ab æterno elegit, per quam hominem lapsum cum DEO Patre reconciliaret: *In misericordia sempiterna misertus sum tui, dixit redemptor tuus Dominus.* Quòd autem Sacrificium Caini à DEO rejectum fuerit, rationem reddit S. Ambrosius: *Abel*, inquit, *ex primitiis ovium obtulit Sacrificium, docens non terræ munera placitura DEO, quod in Cain oblatione figurabatur, quæ degeneraverant in peccatores, sed ea, in quibus divini gratia mysterii refulgeret.* Refulsit autem divini gratia mysterii in typo agni divini, jam tunc ab origine mundi occisi; Cain verò jam tunc in figura inimicus crucis Christi extitit, & antesignanus impiissimorum deicidarum, quapropter meritò cum suis obsoletis muneribus rejectus est. Et quid tu offers DEO, anime mi?

Apoc. 13. 8.

Isa. 54. 8.

S. Ambr. lib. 3 de incarnat. cap. 1.

4. Postquam Cain impostor & fratricida sceleratissimus ex hoc diverso Sacrificiorum effectu non obscurè advertit, Abelem magis apud DEUM ob vitæ, morúmque candorem, quàm se pollere, invidiæ fomite excitatus, fratrem suum blando sermone in agrum ut secum veniret, invitavit: *Egrediamur foras; cúmque essent in agro, consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* An mandibula? ut communiter pictores hanc figuram exprimunt? an fortè strangulatus, aut lapidibus obrutus, aut in aquam demersus? Resp. ex Tirino & aliis, quòd Abel ligneâ & rusticâ furcâ, quam Cain tanquam agricola, secum de more in agro ferebat, fuerit occisus, ut eò magis typum mortis Filii Dei in agro Golgothæo à perfidis Judæis in cruce & ligneâ furcâ interempti repræsentaret. ita enim doctissimus Mallonius: *Christum*, ait, *ad mortem sibi ab invida gente inferendam properantem figuravit Abel, dum à Cain invido in agrum ducebatur, ut ibi ligno necaretur*

Gen 4. 8.

Tirin. hic.

Mallon de S. Sind f. 121.

4. Observat in hac figura gentium Doctor Paulus, quòd Abel, licèt jam ab origine mundi à fratre suo perfidissimo occisus, adhuc tamen in præsentem usque diem nobis loquatur: *Defunctus adhuc loquitur;* & quomodo, dices, adhuc defunctus ille nobis loqui potest? Audi vocem meam: Innocens Abel adhuc nobis loquitur non in se, sed

Hebr. 9. 4.

in

in ſuo prototypo Chriſto JEſu crucifixo, cujus ille tam eximium geſſit typum, dum enim ille mortuus, alter viciſſim ortus eſt, longè ſanctior, longè juſtior, longè innocentior. Sed hìc advertas, rogo, magnum inter utrumque Abelem diſcrepantiam: Sanguis Abelis primi innocenter effuſus ſine mora contra truculentum fratricidam clamavit vindictam: *Quid feciſti? vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* Gen. 4. 10. Sed meliùs loquitur Sanguis ſecundi Abelis in cruce pro omnium ſalute occiſi; & quid loquitur? Movetur & concuitur terra à fundamentis, dum moritur in cruce Filius Dei, quia voluit parricidas illos, imò omnes peccatores terræ, velut quondam Core, Dathan & Abiron deglutire, & vivos ſepelire in inferno; & quid loquitur ille ſanguis divinus? Diſrumpitur templi velum in deteſtationem tanti ſceleris; Scinduntur petræ, quia corda hominum erant petris duriora; fiunt tenebræ, quia ſol, mundi oculus, indignos æſtimavit telluris incolas, quibus lumen impoſterum miniſtraret; aperiuntur monumenta mortuorum ad devorandum impios Caini fratres &c. Et quid loquitur ſanguis divini Abelis? Audi Apoſtolum: *Acceſſiſtis*, inquit, *ad montem Sion & teſtamenti novi mediatorem JEſum & ſanguinis aſperſionem, meliùs loquentem, quàm Abel &c.* Hebr. 12. 24. Et quid ergo loquitur? Audiat terra verba oris mei: *Pater* inquit mitiſſimus & moriens JESUS: *Pater dimitte illis, nam non ſciunt quid faciunt.* Luc 23. 34. O immenſus amor! O Pietas infinita! & exauditus eſt pro ſua reverentia: *Et impetravit*, ſubintrat hìc S. Hieronymus, *quod petierat Chriſtus, multâque ſtatim de Judæis millia crediderunt, & usque ad quadrageſimum ſecundum annum datum eſt tempus pœnitentiæ.* S. Hieron. ep. ad Hedibiam. Hìc me non ampliùs capio, & ſto attonitus, conſiderans tantam, ac tam immenſam divinæ bonitatis clementiam: *Nunc patent*, ait S. Auguſtinus, *viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos Oriens ex alto: Vulnera JEſu Chriſti plena ſunt miſericordiâ, plena pietate, plena dulcedine & charitate &c.* S. Aug. Manual. c. 21. Et quis ad ea non recurrat?

5. Conſidera hìc, anime mi, ulteriùs ingentem luctum ac dolorem primorum parentum Adami & Evæ, ubi dilectum hunc filium ſuum Abelem in agro mortuum, interfectum & in proprio natantem ſanguine invenerunt, quem exinde non ſine amaris lacrymis terræ mandarunt. Hìc primam poterant videre ac conſiderare triſtis mortis imaginem, & quid cum ipſis aliquando eſſet futurum. Interea illius ſancta anima prima ad limbum à SS. Angelis translata eſt, in quo quietis loco ſuum expectaret Redemptorem, Chriſtum JEſum & hunc crucifixum, qui poſt mortem crucis mox ad eundem inferorum locum deſcendit, & inter alias SS. Patrum animas etiam Abelis liberavit, & ſecum in cœlum evexit.

Sto

Sto hic, & hæreo attonitus, dum dolorosissimam Matrem, dilectissimum filium suum de fatali crucis ligno nunc depositum, & in gremio illius reclinatum mente attentiore contemplor. O quanto majori amore, mœrore ac dolore hæc pientissima Virgo & Mater huic divinissimo Filio & Abeli secundo parentavit! Dicat, qui potest, explicet qui explicare valet, ego non possum. Et tu ingratissime peccator, qui tanti extitisti causa doloris, cùm crucifixum Redemptorem tuum pro salute animæ tuæ interemptum conspicis, nullo tangeris dolore & amore? Væ tibi.

6. Ubi Jeruchuntinus ille Viator à latronibus lethaliter sauciatus, nudus & spoliatus in via jacebat moribundus ac ab omnibus derelictus, Sacerdos quidam ex plagarum horrore perculsus retrorsum abiit,
Luc. 10. 31. & in aliam partem iter suum reflexit: *Et viso illo præterivit.* Similiter & Levita, ubi hunc hominem vulneribus confectum, & animam agentem de longè conspicatus est, pertransiit, nec adire illum miserum, nec alloqui dignatus est; præterierunt & plures alii, sed unus solus & quidem Samaritanus illius vulnerati pauperculi misertus & compassus est.

Quod accidit huic Jeruchuntino Viatori à latronibus percusso, hoc etiamnum hodie evenit Christo JESU in cruce suffixo & plagis confecto; O quàm multi prætereunt Christianorum, dum hunc pretiosissimum Redemptorem suum in Ecclesia, in plateis, in biviis, in agro, vel etiam in propriis ædibus in cruce pendentem vident, & nec ullum reverentiæ, & amoris reciproci signum illi exhibent! O Christiani! Filius Dei pro peccatis vestris in cruce mortuus est, & vos adhuc
S. Thom. Vill. Conc. 1. de extremo judicio. peccare delectat? Audite Divum Thomam Villanovum: *Quid magis,* inquit, *homini peccati horrorem incutere potest, quàm videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem Patri pro reatu satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum, pro quo talis ultio sit! Non mihi inundantem mundum, flagrantes civitates, absorptos homines, non infernum & omnes ejus pœnas objicias: nam si mille proponas gehennas, non sic expaveſco & contremisco, sicut videre DEum pro peccato morientem, ita peccati reatum solventem; qualis est macula, quæ Dei sanguine eluitur; Qualis est culpa, quæ Dei culpa vindicatur? De cætero quis audeat peccare? Quis vel levissimam culpam non expaveſcat?*

Gen. 4. 10. Ad Cainum fratricidam à DEO Patre dictum est: *Quid feciſti?* Hoc idem ad te dicit, ingratissime peccator, idem Pater cœlestis post quodlibet peccatum mortale à te perpetratum: *Quid feciſti?* Cur de novo crucifigis Filium meum? Quid tibi mali fecit? O miſer! vade & plange dolorem tuum.

CON-

CONSIDERATIO V.

Noëmus cum arca & vinea sua pulcherrimus typus fuit Christi JEsu crucifixi.

Iste consolabitur nos, ab operibus & laboribus manuum nostrarum, in terra cui maledixit Dominus, Gen. 5. 29.

1.

ITa quondam in prima mundi ætate Lamech de filio suo Noëmo, cùm in lucem nasceretur, vaticinatus est: *Iste consolabitur nos.* Enim verò consolatus est Noë universum genus humanum, dum post Adamum secundus Pater omnium hominum factus est, quia ab eo omnes descendimus: *Consolatus est nos*, dum arcam ante diluvium præparavit, in qua salvaretur genus humanum: *Consolatus est nos*, quia propter illius sanctitatem, justitiam & oblatum sacrificium DEUS de novo benedixit universæ terræ, quæ anteà erat maledicta: *Consolatus est nos*, quia artem faciliorem & instrumenta agriculturæ magis commoda colendi agros invenit, ex quo factum est, quòd terra uberiores progerminaret fructus: *Consolatus est nos*, plantans post diluvium vites, & adinveniens vinum, quod est solatium cordis humani, si bene adhibetur, panis enim confirmat, & vinum lætificat cor hominis: *Consolatus est nos*, quia ex eo suo tempore natus est Messias, Christus DEUS noster, qui vera nostra est consolatio, salus & vita. Fuit proinde Noë pulcherrimus typus Christi Domini, pientissimi Reparatoris nostri, qui per crucem suam omnia restauravit, & restituit in integrum, quod pluribus impræsentiarum demonstrabimus.

Gen. 5. 29.

Psal. 103. 15

2. Ubi omnis caro corruperat viam suam, & nunc anno à creatione mundi 1656. mensura peccatorum erat adimpleta, statuit justissimus DEus per diluvium delere terrarum orbem universum, in quem finem præcepit Noëmo: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis &c.* Qui ergo appropinquante diluvio hanc arcam ingressi sunt, illi erant salvati, cæteri verò omnes in illo cataclysmo miserrimè perierunt, proinde rectè huic arcæ Noëmicæ pro lemmate inscribes: *Nulla salus extra.* Per

Gen. 6. 14.

hanc arcam Noëmicam S. Cyrillus Alexandrinus & plures alii SS. Patrum Crucem Dominicam subaudiunt: *Crux*, inquit, *est arca, per quam salvamur à diluvio inundantis aquæ vitiorum*, & S. Thomas: *Arca Noë*, inquit, *est crux Christi &c.* Quibus SS. Patribus consentit universa Ecclesia Catholica, quæ in hymno de Sancta Cruce ita cantare assolet: *Sola digna tu fuisti, ferre mundi victimam, atque portum præparare Arca mundo naufrago; quam sacer cruor perunxit, fusus Agni corpore.* Et quid dico? Imò longo, longissimo intervallo SS. Crux Dominica Arcæ Noëmicæ præferenda est, quia in illa paucæ tantùm, id est octo personæ fuerunt salvatæ, sed per sanctam crucem orbis redemptus est universus. Juvat hîc audire Poëtam Christianum:

S. Cyrill. Ale. & S Thom. in Genes. 6.

Arca Noë cedat: Crux est nunc arca salutis,

Illa salus paucis: pluribus ista fuit.

3. Noë terminato diluvio, quod solari anno ferè integro duraverat, egressus de arca in campo patenti altare erexit, in quo DEO T. O. M. in signum debitæ observantiæ & gratitudinis munda obtulit sacrificia & holocausta: *Ædificavit autem Noë altare Domino, & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocausta super altare &c.* Et quid sequitur? *Odoratus est Dominus odorem suavitatis, & ait: Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines &c.* Et quare hoc? Cur illud Noëmi sacrificium tantoperè placuit Divinæ Majestati?

Gen. 8 28.

Resp. S. Ambrosius, S. Gregorius M. & alii SS. Patrum, quia per altare Noëmi Crux Dominica, & per holocaustum adeò odorificum ipse Christus Dominus & hic Crucifixus præsignatus fuit, cujus intuitu jam tunc temporum intervallo Pater cœlestis universo mundo imposterùm placabilem se fore promisit: *Non igitur ultrà percutiam omnem animam viventem, sicuti feci &c* O quale hoc miseris mortalibus debet esse solatium, si ad hoc cruentum propitiationis holocaustum & crucis altare in necessitatibus suis confugiunt: *Crux*, inquit Sandæus, *fuit ara summi Sacerdotis, quippe in ea Christus, dignissima hostia, sacrificatus fuit;* Et S. Fulgentius: *Quid*, ait, *sibi vult ara constructa, nisi crux in monte porrecta?* Crux enim altare fuit totius mundi. Sed pergamus ulteriùs.

S Ambros. 1. de Spiritu S. & S Gregor. hom. 22. in Ezechiel.

Max. Sand in Stauroph circa finem.

S. Fulg in Ser. de Abrah.

4. Primus post diluvium terram ab aquarum colluvie siccatam colere & exercere cœpit Noë Patriarcha, mundique restaurator; & quia priùs non tanta adhuc vitis habebatur cura, sed inculta ac sylvestris hinc inde in agris sparsa inventa est, ex qua homines non vinum exprimere, sed tantùm uvas colligere & manducare consueverant, ideò Noë primus omnium vineam invenit, quam sedulo coluit labore, & in sua divisit vineta. Et ecce dum de uvis recentibus in torculari vinum

num exprimit, atque largiùs utpote labore fessus de illo bibit, ignorans tantam inesse huic recenti musto virtutem, ex eo inebriatus, nudatus, & à proprio filio Cham protervè & petulanter illusus est: *Cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo; quod cùm vidisset Cham, pater Chanaan, verenda scilicet patris sui esse nudata, nuntiavit duobus fratribus suis foràs. At verò Sem & Japhet pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt verenda patris sui &c.* Gen. 9. 20.

En rursus insignem typum: Per Noë, qui suo nomine *Quietem* seu *Requiem* significat, Christus melioris mundi Reparator in cruce quiescens præfiguratus est, qui non dumtaxat mundum universum peccatorum fluctibus submersum per arcam S. Crucis suæ ac interitu conservavit, sed & vineam electam, id est, Ecclesiam magno & indefesso labore plantavit, illámque in pulcherrima vineta & ordines distribuit. Verùm quid accidit? Cùm post tot exantlatos labores in sua vineâ calicem passionis largiùs, & præ nimio patiendi desiderio usque ad fecem ebiberet, ex eo inebriatus amore, vestibúsque nudatus à propriis & ingratis filiis illusus & irrisus est. Audi Mallonium eleganter ad propositum nostrum de utroque Noëmo & Typico & vero differentem: *Noë*, inquit, *arcâ mundum servat, Christus cruce mundum redimit; Noë vineam plantat, Christus Ecclesiam; Noë vino ebrius dormit, Christus amore saucius dormit; Ille in tabernaculo, hic in cruce; Ille nudus, hic nudus; Nuditatem Noë videt Cham, nuditatem Christi rident Gentes, Christus enim Judæis scandalum, Gentibus stultitia Sed Japhet & Sem verenda patris tegunt, Christiani Christi crucem & opprobria adorantes honorant. Dum ea agerentur dormiebat Noë, sed postea è somno expergefactus benedixit Sem & Japhet, maledixit Cham; ita Christus in fine mundi, quasi potens crapulatus à vino excitabitur, benedicétque filiis suis, at eos, qui ejus nuditatem ignominiis prosecuti sunt, percutiet in posteriora, opprobrium sempiternum dabit eos. &c.* Mallonius de S. Sindon. c. 6. n. 11.

5. O bone DEUS! quàm multi ejusmodi ingratissimi Chami sunt etiamnum reperiendi, qui vitâ & moribus Christum Crucifixum ludunt & subsannant. Audi justissimas pientissimi Redemptoris tui in cruce pro te morientis querelas, quomodo inter dolores omnes, quos tui causâ & amore sustinuit, nullus majori cruciatu ipsum afficiat quàm tua ingratitudo: *O homo!* clamat ad te de cruce, *vide, quæ pro te patior: Non est dolor, sicut quo crucior; ad te clamo, qui pro te morior: vide pœnas, quibus afficior, vide clavos, quibus confodior. Cùm sit dolor tantus exterior, interior est planctus gravior, cùm te tam ingratum experior &c.* Ita S. Bernardus in persona Christi. S. Bern. citatus à V. P Caraffa in Fascic Myrrh l. 3. Cant. a.

Max Sandæus in Stauroph. lib. 4. tit. 12.

Anno Christi 1620. in festo S. Thomæ Ap. in pago Rauttenberg in Episcopatu Hildesheimensi nonnulli Acatholici in cœmiterio jaculatoriam exercebant, ubi Crucifixi Salvatoris imago pro epithaphio ex veteri Catholicorum more pendebat; inter quos Prædicantis filius, cui Bodo nomen, velut alter Chamus brachium dextrum Crucifixi glande plumbeâ petulanter trajicit, ex quo mox copiosus sanguis etiam ad terrorem hæreticorum, qui hoc prodigium nullo modo supprimere poterant, emanare cœpit, quæ sacra icon posteà ab illustrissimo Comite Tillio Imperatorii exercitûs Duce in arcem Sturwaldensem, ubi etiamnum ob tanti prodigii memoriam piè asservatur, translata est.

Vides ex hoc, Lector prudens, quomodo hæretici, velut alter Chamus, nuditatem patris sui in cruce rideant, illudant & subsannent. O quàm bene de ejusmodi malis & falsis Christianis Apostolus effatus

Philipp. 3. 18. est: *Multi* inquit, *ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est & gloria in confusione ipsorum.* Nos autem non sic, animæ Christianæ & Catholicæ, nos, inquam, non sic agamus, sed imitemur potiùs Sem & Japhet, qui nuditatem patris sui velamentô tegebant, illúmque pro viribus honorabant,

Gen. 9. 26. & ideò largissimam benedictionem reportabant: *Benedictus Dominus Deus Sem; si Chanaan servus ejus; dilatet Deus Japhet &c. Sitque Chanaan servus ejus, &c.*

CONSIDERATIO VI.

Ramus olivæ, quem columba cessante diluvio ad Noëmum tu it, typus & Symbolum SS. Crucis.

Et illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore suo. Gen. 8. 11.

I.

MInutis sensim post annum ferè solarem diluvii aquis, & finito tandem universali diluvio, ubi arca Noëmica super montes Armeniæ primò requiescere cœpit, Noë Patriarcharum decus corvum ex superiori arcæ senestra, qui exploraret aquas,

aquas, dimiſit, ſed quia hic plura adhuc in montibus jacentia, & in aquis natantia conſpicatus eſt cadavera, eſcam tantoperè ſibi deſideratam, non ampliùs ad Noëmum reverſus eſt; proinde alium tempeſtatis nuntium & quidem columbam emittere ſtatuit, quæ, ubi in terra illa limoſa & ſpurcitiis obſita non invenit, ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt in arcam. (En pulcherrimum ſymbolum procraſtinantis, & verè pœnitentis animæ) Tandem expectatis aliis ſeptem diebus ex eadem arca aliam dimiſit columbam, quæ *venit ad eum veſperam, portans ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo.* Gen. 8. 11.

Quæres quo loco hæc ſedula columba hunc ramum olivæ viridem & fructibus jam turgidum invenerit? Et nunquid vaſtiſſimum illud diluvium omnia ſtravit ædificia, arbores & plantas? Ubi ergo illum vireſcentem olivæ ramum accepit? Reſp. S. Ambroſius, quòd Deus olivam aliquam ſub aquis diluvii conſervarit immunem, non folia tantùm ſed & fructus ſub aquis progerminantem, ex qua columba illa ramuſculum roſtro ſuo defregit, & in manus Noëmi deportavit: *Extenditque manum & apprehenſam tulit in arcam.* O gratiſſima columba, quæ orbi univerſo & mortalitati futuræ humanæ ſignum pacis & ſymbolum divinæ reconciliationis DEUM inter & hominem in arcam reportaſti, oliva enim divinæ miſericordiæ & pacis eſt hieroglyphicum. S. Ambr. lib. de arca c. 19.

2. Per hanc olivam in communi cataclyſmo ad ſolatium generis humani divinitùs conſervatam graviſſimi Auctores ſanctam crucem Dominicam, & per ejus ramuſculum à columba decerptum particulas & ſegmenta ejusdem Dominicæ crucis per orbem Chriſtianum nunc paſſim diſperſa ſubaudiunt, crux enim pientiſſimi Salvatoris noſtri, prout bene obſervat Franciſcus Quaresmius & alii, ex magis obvio & communi ligno in illis Hieroſolymæ partibus fabricata eſt; ſed nihil magis obvium tunc erat, & etiamnum eſt quàm oliva, quæ in magno numero circumſtat Hieroſolymam, proinde piè credendum eſt, ait prædictus Auctor cum pluribus aliis, crucem Domini ex oliva eſſe factam; In quem finem & Judæi ſub Tito & Veſpaſiano Romanis Principibus in ſceleris ſui vindictam, quòd Chriſtum in Olivino ligno clavis ferreis ſuſpenderint, & ipſi, & quidem plura millia, in ſimilibus arboribus in obſidione Solymæa ſecundùm eloquium Domini: *Ut ſciant, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, à Romanis militibus ſuſpenſi ſunt. Franc. Quareſ. in opere de terra Sancta. Item Tom. 2. c. 8 ſect. 6. de Ss. Vul. Chr. Sap. 11. 17.

3. Eſt autem Oliva & rami ejus pacis ſymbolum apud omnes nationes terræ; ita Pererius, qui olivam vocat *hieroglyphicum pacis, vitæ, æternitatis & ſolicitudinis*: Crux pacem DEUM inter & hominem,

Col. 1. 19. cœlum & terram reconciliavit: *Quia in ipso complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.*

Oliva radicem habet amarissimam, corticem & folia pari amaritudine repleta, fructus tamen progerminat dulces ac salutares, atque ad usum humanum aptissimos, unde lemma: *Ex amaro dulce.* Crux Dominica & spiritualis amara quidem in primo nobis apparet intuitu. Joann. 6. 61 Hic apud multos isthæc auditur lamentatio: *Durus est iste sermo, & quis potest eum audire?* Verùm remove paulisper corticem & velamen de corde tuo, & experieris in fine, quàm suaves ac salubres animæ fructus ipsa sancta Crux soleat progerminare; idcirco S. Mater Ecclesia in officio de S. Cruce. Brev. Rom. 13. Nov. cleſia crucem non amarum sed dulce lignum appellat: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ fuisti dignaportare Regem cœlorum & Dominum:* Quibus verbis S. Didacus ex Seraphica familia S. Franciſci singulari devotione pronuntiatis, oculis in crucem & crucifixum Dominum conjectis, animam suam Compluti placidè in manus DEI reddidit.

4. Oliva insuper tum in hyeme, tum æstate viret, truncúmque habet solidissimum ac vivacissimum, qui multis confixus clavis, aut gladio percussus non lædítur; de qua si rami præscinduntur, oliva potiùs gaudet, quàm tristatur, quia mox novos surculos protruditac progerminat, qui etiam ex sicco & penè mortuo ligno renascuntur; unde lemma: *Tantò uberiùs.* En rursus egregium symbolum SS. Crucis Dominicæ semper floreſcentis, & novos gratiarum surculos progerEccl. 24. 19. minantis: *Quasi oliva speciosa in campis*, quæ etiam in partes & segmenta divisa, non tamen minuta esse fertur. Rem paucis accipe.

Cùm Diva Helena SS. Crucis lignum Jerosolymis invenisset, eam quidem in varias partes dividi jussit, de quibus unam partem insignem filio suo Constantino Imperatori Magno, alteram sibi pro sua devotione reservavit, sed majorem, imò maximam Dominicæ Crucis portionem in theca argentea inclusam Jerosolymis pro solatio Christianorum reliquit, de qua fidelibus illuc ex omnibus terræ partibus peregrinantibus ac confluentibus devotionis ergò ab Episcopo illius loci frustulum concedi solebat, ex qua tamen divisione minimè illud vitæ lignum diminutum esse constanter à SS. Patribus asseritur; nam sicut quinque panes à DEO multiplicatos fuisse non ignoramus, sic teste d. Cyrillo, S. Paulino & aliis lignum vivificæ crucis pari prodigio à Deo multiplicatum, & per suas particulas per universum terrarum orbem dispersum est: *Operante divinâ gratiâ*, ait citatus S. Paulinus, *jugi miraculo crux in materia insensata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè*

S. Paulinus. Epist. 1. S Cyrillus Catechesi 4.

quotie

quotidie hominum votis lignum suum commodat, ut detrimenta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie divitum fumentibus & semper totam venerantibus, sed istam imputribilem virtutem & indetribilem soliditatem de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem &c.

5. Oliva insuper suavem & salubrem umbram homini lasso sub ea quiescenti, præbet, cujus fructus est oleum, quod omnibus aliis liquoribus superfertur, neque solùm homini optimum condimentum præstat, sed & illum in pugna roborat, de nocte illuminat, in fame nutrit, in morbo sanat, & vulnera ejus mirè lenit ac curat; Unde optimus ille Samaritanus in plagas illius Jeruchunti Viatoris à latronibus sauciati oleum infudisse perhibetur: *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34.

Sacratissima Crux Dominica longè suaviorem ac salubriorem nobis umbram præbet, quàm oliva, ad quam jam pridem aspiravit vates ille regius, dum superiore spiritu illustratus, prævidens Crucifixum Dominum suum in oliva pendentem exclamavit: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* quia umbra SS. Crucifixi suos amatores & cultores in periculo protegit, in necessitate fovet, in pugna spirituali roborat, in umbra mortis illuminat, in fame pascit, dolores in morbo lenit, & quæcunque animæ vulnera mirabiliter curat; unde Isaias: *Et livore ejus sanati sumus.* Psal 56. 2. Isa 53. 5.

6. Cæterùm observat S. Augustinus, quòd ille ramus olivæ, quem columba Noëmo post diluvium detulit, non tantùm virescentia folia, sed & maturos fructus habuerit: *Reportavit*, inquit, *columba ad arcam ramum de oliva: Ramus ille & folia & fructum habebat. &c.* S. August. tr. 6. in Jo. c. 1.

Anima Christiana! non sint in te sola & nuda verba, quasi inania folia, sed & opera in te & à te requirit Crucifixus Salvator tuus: *Arbor enim, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* In hunc finem maledicta fuit illa ficus: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* quia virentibus tantùm foliis & non fructibus turgebat, proinde hoc tibi pro lemmate applica: *Aut fructum, aut ignem.* Matth 3. 10. Matth 2. 19.

7. Oliva si vult esse frugifera, prout observat Palladius, & etiamnùm Græci, à mundis pueris & virginibus debet plantari; Crux & Crucifixus in ea Dominus castos amat animos, Venereos à se repellit, non enim conveniunt Christus & Belial, Arca & Dagon, lux & tenebræ, Filius Virginis & filius Veneris.

Oliva si agrestis est, insipida quoque est, fit autem sapida & edulis, si sale maceretur & aceto: Crux, si audis nomen ejus, tibi videbitur insipida, sed placebit & sapida tibi erit, si sale & aceto macerationis & mortificationis perfricabitur.

Oliva,

Oliva, ut fundat oleum, multis pistilli ictibus debet contundi: Sic quoque carnem tuam rebellem debes castigare pistillo crucis, si ex ea oleum puritatis & virginitatis destinas exprimere.

Oliva denique commendatur de liberalitate in suos cultores, affert enim illis fructus uberrimos in omni patientia. Quid, obsecro, liberalius quàm JESUS DEI Filius in oliva crucis pendens? Considera illum, & videbis, quòd dederit omnia, quæ habuit pro anima tua; ille talis ac tantus, qui primâ sanguinis guttâ te potuit redimere, dedit in oliva crucis pro te ultimam. Sit ergo benedictus DEUS, quia fecit nobiscum misericordiam magnam &c.

CONSIDERATIO VII.

Arcus cœlestis Noëmo post diluvium ostensus, typus Christi JEsu crucifixi.

Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Gen. 9. 13.

1.

NOë, pater futuri sæculi, ubi terminato diluvio DEO T. O. M. in debitæ observantiæ & gratitudinis signum ex cunctis mundis animantibus lautissimum obtulit sacrificium, attollens oculos in cœlum, in superiori aëris regione arcum miræ ac raræ pulchritudinis conspicatus est, qui Noëmo, filiis ejus ac omnibus posteris non nisi fausta ac prospera annuntiavit; unde DEUS ad eum: *Hoc signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram, cúmque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum &c.*

Gen 9 12.

Per hunc arcum, seu Iridem serenitatis & pacis nuntiam, teste Hieremia Drexelio, SS. Patres ac Interpretes haud imeritò Christum JESUM & hunc Crucifixum intelligunt, per quem genus humanum cum Patre irato fuit reconciliatum. Priùs in prima mundi ætate acer-

Hier. Drex. de Christo moriente.

rimum

rimum bellum cœlum inter & terram bellatum fuit. Dimicabat terra contra Deum innumeris vitiis ac peccatis: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*; Econtra potentissimus exercituum Dominus, qui jam priùs rebelles Angelos ob similem causam ad tartarum ablegaverat, tandem, hoc est, post 1656. annos, ad lentam sed gravissimam vindictam commotus universum mundum per aquarum dissipavit diluvium: *Et delevit omnium substantiam, quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus.* Et ecce quis in tam miseranda rerum facie mediatorem egit? Gen. 6. 11. Gen. 7. 23.

Vide arcum. ait Ecclesiasticus, *& benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo.* Arcus hic non alius est, quàm Christus JESUS in cruce cœlum inter & terram, tanquam Mediator inter utrumque, exaltatus, qui non tantùm iratum cœlum placavit, sed & sanguineo imbre de cruce largissimè profuso orbem irrigavit & fœcundavit universum: *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Eccl. 43. 12. Col. 1. 20.

2. Est autem arcus, seu Iris, roscida quædam & opaca nubes, in quam sol radiis suis immissis mirè resplendet, & velut speculo reflexa imago excipitur. Colores tres habet, igneum, viridem & purpureum, plerumque tempore vespertino apparens, & occasum respiciens. Si altus est sol, Iris depressior est, mirè autem tunc æstum Solis mitigat, & pluviam fœcundam præsagit, quâ finitâ, & terrâ humectatâ, placida serenitas cum ubertate fructuum redire, totámque regionem mirè exhilarare solet; unde lemma: *Ab imbre serenum.*

Quid hæc roscida & opaca nubes in hac mystica Iride, Crucifixo JESU aliud est, quàm sacra ejus humanitas, pro nostra, omniúmque salute in infima aëris regione, tanquam Iris suspensa, quæ vult opaca nubes ejus tegebat divinitatem? Quid color igneus aliud designat, quàm infinitam ejus charitatem, qua nos ingratos in cruce suffixus tam ardenter dilexit? Quid color viridis aliud denotat, quàm spem & fiduciam, quam mortales omnes concipere debent, cùm Redemptorem suum in crucis ligno pendentem, & manus, sicut arcum, extendentem conspiciunt? Non enim ideò Salvator tuus in crucem actus est, ut te judicet ô mi homo, atque æternùm à se projiciat, sed ut salvet te, & per omnem æternitatem reddat beatum. Color denique rubeus, hinc inde in arcu cœlesti immixtus, quid aliud quàm cruenta ejus SS. Vulnera adumbrat, quibus æstum divinæ justitiæ & mitigavit, & etiamnum in cœlo mitigat, ostendens ea æterno Patri, ne nos secundùm nostra demerita castiget: *Vide hunc arcum, & benedic eum, qui fecit illum: Valde speciosus est in splendore suo.* Eccli. 43. 12.

3. Arcus insuper cœlestis, seu Iris est signum divinæ clementiæ & pacti sempiterni à DEO cum Noëmo & hominibus initi, quòd deinceps nullum ampliùs orbi terrarum velit inducere diluvium: *Recordabor fœderis mei &c.* Hinc à Sanctissimis Viris arcus ille cœlestis semper celebratus est singulari elogiorum calculo, quòd sit chirographum reconciliati DEI cum hominibus, tessera amicitiæ divinæ, specimen multiformis gratiæ, felix pacis nuntia, ac divinæ propitiationis symbolum, quibus addit Cornelius: *Iridem esse symbolum crucis Christi: in cruce enim quasi in arcu extentus & distentus Christus, validissimas orationis & amoris sagittas sursum ad* DEUM *Patrem ejaculatus est; quibus cor ejus vulneravit, ut nostri misereretur, nobisque peccata remitteret: Quin & nos sibi in filios & hæredes adoptaret.*

Gen 9. 15.

Cornel. in Eccli. 43. 13.

4. Arcus, si manè inter opacas videtur nubes, venturum nuntiat imbrem; unde ipsa Veritas Christus: *Et manè dicitis: hodie erit tempestas, rutilat enim triste cœlum.* Si verò arcus tempore vespertino se præbet conspicuum, serenitatem annuntiat. Arcus mysticus, prout dictum, Christus & hic crucifixus est; Manè apparuit in stabulo, & octavo die per circumcisionem jam sanguinolentus, quod jam tuncin ortu prægrandem præsignabat futuram in passione pluviam; occubuit autem vespere in cruce, ad occasum Solis faciem convertens, à dextra habens Aquilonem, & à sinistra Meridiem; & hic arcus occumbens universo terrarum orbi optatam præsagiebat serenitatem, & cum Patre cœlesti plenariam cum genere humano reconcillationem. O anima Christiana: *Vide hunc arcum, & benedic eum, qui fecit eum: valde speciosus est in splendore suo.* Juvat hìc audire pro singulari animæ nostræ solatio, quod Christus Dominus, teste Ludovico Blosio, multoties SS. Virginibus Gertrudi, Mechtildi & Catharinæ Senensi intimavit: *Quoties*, inquiebat, *anima fidelis Crucifixi Salvatoris imaginem aspicit, ejúsque SS. Vulnera in memoriam revocat, toties vicissim divinæ misericordiæ oculos in ipsam reflecti, & efficaciter converti.* O anima peccatrix, quid facis? quid agis?

Matth. 16. 3.

Eccli. 43. 12

Blosius Spirit. cap. 2.

5. De arcu ulteriùs ex vulgi opinione constat, quòd scutellam auream spargat, & in terram depluere faciat. Quidquid sit hac de re: Christus Dominus in cruce pendens, tanquam arcus mysticus in veritate omnem gratiarum thesaurum & plenitudinem in nos miseros ac præsertim in crucis amatores & cultores transfundere & spargere assolet. Audi Leonem X. P. M. in quadam Bulla de liberalissimo Crucifixo JESU differentem, quàm immensum Ecclesiæ militanti comparaverit thesaurum: O *thesaurum*, inquit, *infinitum, thesaurum incomparabilem! thesaurum nunquam exhauriendum! Una sola gutta ipsius pretiosi sanguinis propter uni-*

Leo X. in quadam Bulla

unionem hypostaticam ad Verbum sufficientissimum est ad redimendos mille mundos.

6. Placet audire exemplum, quàm liberalis sit in cruce Redemptor tuus? Lucæ in Italia magno honore colitur imago crucifixi Domini, quam S. Nicodemus quondam efformavit, in qua non tantùm ampullam Christi sanguine plenam inclusit, sed & prævidens Hierosolymæ eversionem, ne à Gentibus profanaretur, illam in Galilæam transportari curavit; ubi successu temporis, cùm iterum bella moverentur & seditiones, à piis Christianis navigio imposita, & divinæ providentiæ relicta, sine nauclero per Mediterraneum cum multis accensis luminibus ad portum Lunensem feliciter appulit, quam loci illius Episcopus ab Angelo monitus currui magnifico imposuit, & Lucam deportari curavit, in quo loco adhuc hodie religiosè asservatur & colitur, suósque cultores miris afficit beneficiis, inter quæ illud non minimum est, quod quidam paupertino evenit; hic, cùm ad extremam redactus fuisset pauperiem, benignissimum Salvatorem in hac sua effigie humiliter rogavit, quatenus dignaretur calamitati suæ benignè subvenire, & necessaria vitæ præbere alimenta, ad quas demississimas pauperculi preces Christus dexterum suum calceum ex argento formatum, & aureis laminis incrustatum ei in sinum projecit. Quis lætior hoc misello? Abiit igitur præ gaudio tripudians. Verùm æditui, qui occultè rem observabant, hunc sine mora redimebant calceum, tantum auri illi exsolventes, quantum ad calcei pretium sufficiens erat. Qui calceus in memoriam hujus prodigii adhuc hodie ibidem asservatur, nec ab hoc tempore ampliùs pedi Crucifixi aptari potuit. O Christiani! accedite cum magna fiducia ad hunc thronum gratiæ &c.

Mallonius & Sandæus in Stauroph lib. 47. Tit. 1.

CONSIDERATIO VIII.

Agar filium sub umbram arboris projiciens, docet nos confugere ad umbram Sanctæ Crucis.

Sub umbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt. Psal. 16. 8.

1.

DEsolata Agar, ubi ab Abrahamo repudiata, & cum Ismaële filio suo è domo ejecta est, hinc & inde profuga rectà cum prole desertum Arabiæ petiit, ubi pane & aquâ deficiente, eum subter unam arborum projecit, in re tam desperata ultimum à DEO præstolans & expectans auxilium; audiamus Scripturam: *Abjecit puerum subter unam arborum, quæ ibi erant, & abiit, sedítque è regione procul, quantum potest arcus jacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contrà, levavit vocem suam, & flevit.*

Gen. 21. 15.

S. Isidor. hic.

S. Isidorus per hanc arborem crucem Dominicam intelligit, sub cujus umbra Agar, & desolata proles optatum invenerunt auxilium; nam apparuit eis Angelus de cœlo, mœrentes consolans, fontémque monstrans, cujus hausto salutari latice & mater & proles abundè fuerunt refectæ. Doctissimus Picinellus huic figuræ pro lemmate inscripsit: *In deserto non deserta*, nos autem ad intentum nostrum: *Optatam fert umbra medelam*, ab hac enim umbra crucis omnis nostra dependet salus, vita & resurrectio nostra: *Crux*, ait S. Laurentius Novariensis, *est arbor optabilis salubri medicamine plena*, & Rabanus de laude crucis: *Tu sancta crux peccatorum es remissio, pietatis exhibitio, meritorum augmentum, desperatorum securitas, infirmorum felicitas &c.*

S. Laur. Novar. hom. de pœnit.

2. Davidem consule, qui in omnibus suis necessitatibus, vitæ periculis, persecutionibus & angustiis ad hanc salutiferam Crucifixi umbram jam tunc temporum intervallo confugit. A Saule & exercitu ejus agitatus, & ad necem quæsitus ad umbram Crucifixi suspiravit, ne in eorum manus incideret, qui jam dudum illius ambiebant exiti-

exitium, proinde DEUM rogavit: *Sub umbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum, qui me afflixerunt.* Thomas Anglicus de Christo in cruce hunc locum explicat; & quemadmodum pulli, si à milvo persecutionem patiuntur, ad alas gallinæ matris quantocyùs se conferunt; ita David ad alas Christi in cruce expansas jam tunc in spiritu prævisas anhelavit: *Ut gallina*, ait Sangrius, *suos ab ungue milvi pullos protegit, ac suis sub alis tutatur, me ita ab hoste redde tutum.* Psal. 16. 8.

Alia vice, cùm fugiens Saulem hostem suum infensissimum in obscuris pernoctaret montium cavernis, timens à verbo aspero Saulis, qui ei mortem toties intentaverat, ad eandem crucifixi umbram se recepit, atque sub illa optatam opem invenit; unde se ipsum animans & consolans dixit: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.* Supra quod le Banc: *Christus*, inquit, *in cruce nos obumbrat scapulis suis, brachiis & manibus, vigilat pro nobis, atque alas suas super nos expandit*, imò & extentis brachiis nos expectat, quis ergo in necessitatibus suis non ad illum fugiat? Psal. 90. 4.

3. Idem Vates regius, ubi pretiosissimum orbis Salvatorem pro salute generis humani olim (hoc est post mille ferè annos) crucifigendum prævidit, attonitus & extra se raptus ob talem ac tantam divinæ bonitatis miserationem exclamavit: *Homines & jumenta salvabis Domine.* Et quænam, dices, jumenta salvabit DEUS & homo Christus? Resp. Peccatores, ad hoc enim venit in mundum, peccatores salvos facere, qui per peccatum facti sunt ut jumentum apud Deum; & ideò in nativitate sua inter duo jumenta in præsepio reclinari voluit: *In medio duorum animalium cognosceris;* hæc duo animalia, teste S. Hieronymo, duos præsignabant latrones, inter quos crucifixus, & agnitus est Christus. Psal. 35. 7. Habac 3. 2.

Et pergit idem Propheta regius: *Quemadmodùm multiplicasti misericordiam tuam DEUS*: Nullibi autem miserationes suas magis multiplicavit DEUS, quàm in passione & cruce per unigenitum Filium suum, sub cujus umbra voluit, ut omnes filii hominum protegerentur, unde mox addit Vates Jessæus: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt*, hoc est, subintrat hìc iterum Thomas le Blanc: *Sub umbra manuum tuarum in cruce expensarum.* Audiamus S. Ambrosium: *Christus*, inquit, *vita est*: *Et ideò qui in umbra Christi vivit, in umbra vitæ est. David in umbra alarum Domini JESU sperare se dicit; Zachæus in arborem sicomori ascendit, ut Christum videret. Nobis quoque expandit manus suas JESUS, ut totum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in umbra, qui crucis ejus protegimur velamento? Quomodo non sumus in umbra, quos Crucifixus à malignitate sæculi, & corporis ardore defendit?* Psal. 35. 8. S. Ambr. in Psalm 1. 8. Serm. 3.

4. Sponsa illa dilecta, ubi oberrando & custodiendo vineas suas in sumo solis ardore versabatur, ne nimio solis meridiani æstu feriretur, optatam inquisivit umbram, sub qua tuta quiesceret, proinde ad Sponsum dixit: *Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* Et cur in meridie? Subintrat hic S. Drogo Episcopus Ostiensis: Si vis scire, inquit, ô Sponsa, ubi dilectus tuus & electus ex millibus, candidus & rubicundus in meridie pascat & cubet, ad Calvarium montem te confer, ibi eum videbis horâ diei sextâ, hoc est, in meridie in aspero crucis lectulo cubantem, & oves suas pretiosissimo sanguine suo pascentem: *Nunquam eum invenies nisi tantùm in cruce, ibi dormit, ibi pascit, ibi cubat in meridie.* O pretiosa umbra! Per meridiem, ait Cornelius, Christi crucifixionem accipe, in meridie enim crucifixus est, ubi crux Christi Ecclesiæ & fidelibus contra omnes persecutionum & tribulationum æstus certum fidúmque præstat umbraculum. Ad hanc igitur umbram ubi tandem Sponsa pervenit, amore & dolore suacia, attonita exclamavit: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.*

Cant. 1. 6.
S. Drogo de Sacr Dom. Pass.
Cornel. hic.
Cant. 2. 3.

5. Quæres hic, anime mi! qualis hic fructus fuerit sponsæ gutturi tam gratus ac dulcis? Ipsa loquatur: *Sicut malus*, inquit, *inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Adverte: Malus inter ligna silvarum est crux, & Christus crucifixus est fructus ejus, hoc est: Malum punicum, seu pomum granatum, ita Theodoretus & alii; Adam enim peccavit in malo, Christus pendens in cruce satisfecit pro hoc malo, unde ad Sponsam dixit: *Sub arbore malo suscitavi te &c.*

Cant. 2. 3.
Cant. 8. 5.

Congruè autem dicitur Malum punicum seu granatum. 1. Quia coronam gerit spineam: Christus crucifixus simili redimitus est coronâ. 2. Malum punicum cibum præbet & potum: Christus crucifixus & Eucharisticus cibus noster est & potus. 3. Ex pomo granato exprimitur succus rubeus & aqueus: Christus in cruce ex SS. Latere suo sanguinem dedit & aquam. 4. Pomum granatum suavem expirat odorem: Christus crucifixus virtutum odore omnes ad se fideles trahit. 5. Malum punicum purpureum præsefert colorem: Christus in passione & cruce similiter. 6. Malum granatum media ex parte, seu in latere dirumpitur, ut suas monstret opes: Christus in cruce latus sibi adaperiri voluit, in quo omnes gratiarum thesauri sunt reperiundi. 7. Malum punicum liberalissimum est, quod enim habet, hoc nobis præbet: Christus in cruce pro anima nostra dedit omnia, quæ habuit, & emit eam. Vide ex his ac considera, cur Sponsa illa tantoperè affecta verit umbram mali, sub hac enim arbore suscitata ac redempta est. Curramus & nos, animæ Christianæ, pari cum ardore, pari cum amore ad salvificam Dominicæ crucis arborem, sub cujus umbra in omni tribulatione nostra, in vita & in morte tutissimum reperiemus asylum. 6. Pul-

6. Pulcherrima eſt illa quæſtio, quare Diſmas latro, qui ad dexteram crucifixi JEſu in fatali crucis ligno pendebat, tam ſubitò fuerit illuminatus, & ad Chriſtum converſus: *Domine, memento mei?* Reſp. S. Vincentius Ferrerius, quia in cruce latro ille à Crucifixo Domino fuit obumbratus, quæ umbra in ipſum incidens ejus ſalutis cauſa fuit, utà cruce transferretur ad paradiſum: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Pendebat autem in cruce pientiſſimus orbis Servator Chriſtus reſpiciens Occidentem, cujus dextera in brachio crucis extenſa ante Solis obſcurationem umbram in latronem projecit, cujus virtuti & gratiæ divinæ excitanti adſcribitur illius converſio & æterna felicitas. Ita S. Vincentius Ferrerius in Paraſceve, B. Petr. Dam. Salmeron & alii. Luc. 23. 42.

O Chriſtiani! Si umbra S. Petri Apoſtolorum principis ſanare potuit quoscunque infirmos, *ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus.* Quantò magis erit ſalubrior umbra crucifixi JESU in nos projecta, ſi in neceſſitatibus noſtris in animo contrito & humiliato ad eum confugimus? Et ſi quondam umbra corporis S. Petri ſanabat ægros quaſi per inſtrumentum, ſeu per cauſam inſtrumentariam moralem, umbræ crucifixi JESU meritò attribuere poſſumus efficaciam cauſæ phyſicæ. Venite ergo mortales omnes, & ad crucifixum JESUM properate, ac ſub illius gratiarum umbra requieſcite, ille enim vobis *erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia, &c.* Act. 5. 15. Iſa. 4. 6.

CON-

CONSIDERATIO IX.

Consideratur in typo Abrahami & Isaac amor æterni Patris, Filium suum in mortem crucis tradentis.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3. 16.

1.

PRæceperat quondam DEUS Abrahamo, magno Israëlitarum patri, ut sibi filium suum unigenitum immolaret in holocaustum, qui sine mora de nocte consurgens, ad montem Moria (nunc Calvariæ locum) perrexit, ligna Isaaco filio suo, tunc 25. annum agenti, imponens, ipse verò in manibus suis gladium, quo natum jugularet, & ignem, quo eum Deo in victimam comburet, portabat. Et ecce ubi jam omnia ad cruentum hoc sacrificium erant disposita, adest repente de cœlo Angelus: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quidquam.* Et quare hoc? Cur priùs præcepit DEUS, & nunc iterum prohibet? Nunquid in sententia sua & decreto omninò est immutabilis? *Ego enim Dominus, & non mutor?* Hanc difficultatem solvit S. Augustinus: *Affectum tuum,* inquit in persona Dei, *inquisivi, non factum exegi,* & S. Chrysostomus: *Non hoc,* ait, *præcepi, ut opus perficiatur, neque volo, ut occidatur puer tuus, sed ut obedientia tua manifesta fiat omnibus; igitur nefeceris ei quidquam: Contentus sum voluntate tua, & ex hac te corono & prædico.* En prudens Lector, Affectum hìc DEUS in Abrahamo non effectum intendit, quia hunc erat suppleturus unigenitus ejus Filius Christus JESUS, in Calvariæ monte in ara crucis suo tempore, hoc est post 1960. annos, immolandus. Exponamus enucleatiùs insigne hoc mysterium.

gen. 22. 12.

Malach. 3. 6.
S Aug. serm 37. de temp
S. Chrysost. hom 47.

2. Abraham filium suum Isaac, quia unicus erat, etiam unicè dilexit, unde DEUS ad eum: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum.* Durum præceptum, durum mandatum, nihilosciùs Abraham absque ulla mora paratum se stitit ad illud exequendum.

gen. 22. 2.

dum. DEUS Pater, qui per Abraham, tanquam *Antiquus dierum* præ- Dan. 7. 9.
signatus est, pariter Filium suum unigenitum, quem ab æterno ge-
nuit, unicè dilexit, unde dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi be-* Matth. 17. 5.
ne complacui, quem tamen pro salute mundi tradidit in ara crucis im-
molandum; unde Apostolus: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro* Rom. 8. 32.
nobis omnibus tradidit illum. O mira, exclamat Ecclesia, circa nos tuæ
pietatis dignatio, ut servum redimeres, Filium tradidisti! & nos
non amemus DEUM? Heu nos miseros!

Abraham ligna holocausti non asino, aut servis, sed proprio fi-
lio imposuit, propriis humeris usque ad montem holocausti depor-
tanda: *Tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac.* Pater æternus non Gen. 22. 6.
duntaxat materialem & ligneam crucem, sed & maximam ac sum-
mè horrendam omnium peccatorum nostrorum sarcinam humeris
innocentissimi Filii sui imposuit: *Posuit in eo iniquitates omnium nostrûm.* Isa. 53. 6.
O quam grave pondus! Et quis non doleat de peccatis suis?

3. Isaac patre præsente & spectante, tanquam servus mercena-
rius, inter duos juvenes patris sui servos propriis humeris grave lig-
norum pondus ad montem tulit, ubi DEO in victimam erat im-
molandus: *Ducens secum duos juvenes & Isaac filium suum: Cúmque conci-* Gen. 22. 3.
disset ligna in holocaustum, abiit ad locum, quem præceperat ei DEus. Christus
inter duos latrones crucem gravissimam ad eundem montem
propriis humeris asportavit, in qua inter latrones medius suspen-
sus est: *Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ, locum.* Joan. 9. 17.
Et quomodo tu portas crucem tuam?

Abraham, ubi omnia ad cruentum hoc Sacrificium necessaria di-
spposuit, filium suum, ne aliquem inconditum renisum, aut sacrificio
indecentem motum in ipsa jugulatione edere posset, super aram for-
titer alligavit: *Cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super* Gen. 22. 9.
struem lignorum. Pater æternus Filium suum unigenitum pro salute
mundi immolandum non solum funibus, sed & clavis ferreis in al-
tari crucis alligari voluit: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Et quoties Psal. 21. 17.
tu de novo per peccata tua cruci affixisti? Et tamen non doles?

4. Adam loco filii arietem inter vepres & spinas hærentem,
cornibúsque suspensum DEO T.O.M. in gratum holocaustum obtu-
lit: *Levavit Abraham oculos suos, viditque post tergum arietem inter vepres hæ-* Gen. 22. 13.
rentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Pater æternus Fi-
lium suum spineo serto cinctum, tanquam victimam coronatam, pro
salute universorum in altari crucis offerendum destinavit, ubi non
divinitas sed humanitas, quæ per arietem præsignata est, pro nobis pas-

Matth. 27. 29. ſa eſt : *Et plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput ejus.* Et tu ſub capite ſpinoſo vis eſſe membrum delicatum ?

Abraham, ubi ſuperiore ſpiritu illuſtratus, redemptionem generis humani & mortem Filii Dei, ejúsque cruentam immolationem in eodem loco, quo ipſe filium ſuum Iſaac DEO in victimam deſtinaverat, futuram prævidit, & dolore quidem ſed & ſummo gaudio affectus eſt. *Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum : vidit & gaviſus eſt* Sic Pater cœleſtis, ubi vidit, quòd per mortem crucis unigeniti Filii ſui juſtitiæ divinæ abundè ſatisfieret, & totius generis humani miſeria ſublevaretur, ſummo quoque & immenſo gaudio (ut ita dicam) affectus eſt: *Vidit & gaviſus eſt.* Vide hìc, anime mi! habes dolendi & gaudendi materiam, ſi Crucifixum aſpicis.

Joan. 8. 56.

5. Abraham Patriarcha & Sacerdos, ubi ſacrificium illud complevit, & DEO humiliter obtulit, à Domino benedictus, ſalvo & ſano filio recepto, ad domum propriam rediit. Et quis, obſecro, tunc erat ſenſus Sacræ dilectæ conjugis & matris Iſaaci, ubi hunc filium ſuum ſalvum & incolumem, ac quaſi de novo redivivum conſpicata eſt ? *Reverſus eſt Abraham ad pueros ſuos, abierúntque Berſabée ſimul. & habitavit ibi.* Altiùs nunc attolle mentis oculos : Sara mater Iſaaci non erat ignara futuræ cruentæ necis filii ſui, ita S. Auguſtinus & alii ; ubi ergo dilectiſſimum filium ſuum, quem jam mortuum & immolatum credidit, de longè adventantem conſpexit: *Incredibili gaudio*, ait Joſephus de Antiquitate Judæorum, *lætata fuit, filium ſuum de ſacrificio vivum redeuntem videndo.* Tale gaudium erat, imò longè majus Dolorosæ Matris & Virginis Mariæ, ubi amantiſſimum Filium ſuum JESUM poſt tam cruentam crucis necem poſt triduum vivum recepit. Ecce quomodo DEUS quandoque ſuos, quos maximè diligit, ad extrema adigat, vel adigi permittat, quos tamen in fine non deſerit, omnémque illorum amaritudinem in optatam vertit dulcedinem ; ille enim eſt, qui *mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit* : proinde nunquam deſperandum eſt.

Gen. 22. 19.

S. Aug. ſerm. 73. de Temp.

1. Reg 2. 6.

6. Abraham, ubi hæc omnia ad nutum divinum complevit, & ſic pulcherrimè futuræ paſſioni Chriſti cum filio ſuo præluſit, ſtatuit ob ſpem poſteritatis, ex qua ſuo tempore pretioſiſſimus orbis Salvator erat naſciturus, Iſaaco filio ſuo dignam eligere ſponſam ; in quem finem Eliezer ſervum primarium in Haran cum donis aureis & argenteis dimiſit, ut Rebeccam virginem pulcherrimam filio ſuo deſponſaret ; & obſervat Scriptura munera, quibus eam donavit : *Protulit inaures aureas & argenteas, prolatisque vaſis argenteis & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebecca pro munere.*

Gen. 24. 53.

Hæc

Hæc omnia facta sunt illis in figura, scripta sunt autem propter nos: Per sponsum Isaac præfiguratus est sanguinum sponsus Christus, & hic crucifixus, per Rebeccam Ecclesia, cujus tunc illa typum gessit, hanc Christus dotavit, & locupletavit pluribus thesauris ac divitiis; Per inaures fides denotatur, fides enim ex auditu, per armillas aureas, quæ sunt manuum & brachiorum ornamenta, bona opera indicantur: Per vasa aurea & argentea doctissimus Quaresmius septem sanctæ Ecclesiæ Sacramenta intelligit, quæ sunt vasa gratiæ ac meritorum Christi crucifixi, quæ nobis suo sanguine promeruit; Per vestes pretiosas gratiam divinam subaudi, hæc est enim vestis illa nuptialis, sine qua ad nuptias Agni non pervenitur. Ex quibus omnibus satis superque liquet, quantùm Christus Dominus suam sponsam Ecclesiam, & tuam dilexerit animam. Juvat hìc audire S. Paulum: *Christus*, inquit, *caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corporis ejus. Christus dilexit Ecclesiam & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet sibi ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata &c.* Cæterùm quod de sponsa Christi Ecclesia hìc dicitur, subaudiri etiam debet de anima tua, homo Christiane! Vide proinde & cura, ut imposterùm anima tua sit sancta & immaculata, ac digna Christi crucifixi Sponsa. O quàm felix tunc eris in mortis articulo!

S. Ambros. & S. Aug. citati à Quaresmio To. cap. 3.

Ephes. 5. 23.

CONSIDERATIO X.

Crux Dominica est scala Jacob, & secura animæ Christianæ ad cœlum semita.

Vidit in somnis scalam stantem super terram; & cacumen illius tangens cœlum. *Gen. 28. 12.*

I.

CUm Isaac Patriarcha jam in provecta constitutus ætate, prudenter prævideret, quòd Jacob filius ob præreptam Esau fratri suo benedictionem vix ampliùs tutus in paterna domo posset consistere (Minitatus enim erat Esau fratri suo? *Venient dies luctûs patris mei, & ego occidam fratrem meum*) Jacobum ad

Gen. 27. 41.

se vocavit, & cum paterna benedictione in Mesopotamiam dimissum ablegavit, ut illic locorum sibi sponsam deligeret, & tali occasione fratris iram declinaret. Paruit Jacob Patris imperio in omnibus; Et Ecce! cùm de nocte intempesta necessitate compulsus, in patenti campo super lapides somnum capesseret: *Vidit scalam stantem super terram; & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque DEI ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* Mirabilis visio: ac plena mysteriis. Vidit autem Jacob in hac mirabili scala non tantùm Angelorum multitudinem per illam ascendentium & descendentium, sed & Angelorum Dominum, qui utrâque extensâ manu hanc scalam stantem tenebat: *Vidit Dominum innixum scalæ.* Et cur, obsecro, ipse Dominus hanc tenebat scalam.

Gen. 28. 12.

S. August. serm. 79.

Resp. S. Augustinus, quòd per dictam cœli scalam peraptè Crux Dominica intelligatur: *Dominus*, inquit, *scalæ incumbens est Christus in cruce pendens, crux enim scala cœli est, per quam Christus hominem lapsum levavit ad Patrem.* Per hanc scalam omnes Sancti & Electi DEI in cœlum ascenderunt, & adhuc ascendunt, nec ullus est in cœlesti patria incola, qui sine cruce ad æternam perveniisset gloriam. Tu, qui hæc legis, vel audis, attende, an pariter in hac scala sis, secùs toto cœlo aberras: ne aliam tibi DEUS ad cœlum viam pinget, quàm viam sanctæ crucis. Audis bene? sed pergo.

2. Christus Dominus, ubi Petro claves Ecclesiæ promisit, mox eum, cæterósque Discipulos edocuit de via crucis: *Exinde cœpit JESUS ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à Senioribus, & scribis, & principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Indignè hoc ferebat Petrus, quapropter Christum seorsum assumens (quia coram aliis non audebat ipsum increpare) ei ex vehementi, quo in ipsum ferebatur amore, candidè in faciem dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, quasi diceret: Quid tu Domine? qui Christus & Filius Dei vivi es, cum morte crucis? non erit tibi hoc, non enim convenit Filium Dei crucifigi, ac morte tam indignâ perire; ad quem Dominus conversus dixit: *Vade post me satana, scandalum mihi es, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.* Quæres, quare Petrus adeò hîc à Christo fuerit increpitus, cùm tamen optimam habuerit intentionem?

Matth. 16. 21.

Respondent Patres, quia voluit impedire passionem ejus & crucem, quæ tamen est unica via & scala in cœlum, per quam Christus priùs in cœlum ascendit, nobisque viam monstravit, quâ sit eundum; proinde mox adjecit: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; Supra quod S. Chry-

so-

sostomus: *Tuô Petre, dicis mihi: Propitius esto tibi* (vel parce vitæ tuæ) *ego autem dico tibi, quoniam non solùm prohibere à passione nocivum tibi est, sed neque salvari poteris.* En anime mi, hic habes scalam, apprehende eam fortiter, si vis ad cœlum venire; Christus præit, sequere eum; & quis non aveat sequi Christum DEI Filium? & tu quid? Recollige te apud temetipsum, qualis sic amator & imitator crucifixi JESU; adhuc dico: *Recollige, & statue &c.* S. Chrysost. hic apud Cornel.

3. De Juda refert Scriptura, quòd in ultima cœna, cùm ageretur, diabolus in cor ejus immiserit, ut Christum magistrum suum traderet Judæis. Et factum est ita. Sed adverte ulteriùs; ubi Pilatus Judex Romanus ad instantiam Judæorum iniquissimam contra Christum nunc ferre voluit crucis & mortis sententiam, misit ad eum uxor ejus Claudia Procula, dicens per submissum fidelem famulum: *Nihil tibi, & justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum.* Et quare hoc? Joan. 13. 2. Matth. 27. 19.

Resp. S. Ignatius Ep. & M. *Cùm paranda esset crux, diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam imisit proditori, & mulierculam turbavit in somnis, & ut à crucifixione cessaret, inducere molliebatur; suam ipsius perniciem sentiebat.* S. Ignat. M. Epist ad Polycarp.

Ecce cùm paranda esset scala ad Cœlum, per quam Christus de hac terra primus ad Patrem ascenderet, atque innumeros alios per eandem crucis scalam ad se attraheret, *tumultuabatur diabolus.* Anime mi! Sine tumultuari diabolum; sic enim oportuit fieri, *& ita Christum intrare in gloriam suam,* & non per aliam quàm crucis viam; sic pari modo oportet, ut & tu per eandem sequaris scalam; ita decrevit DEUS, ita Scriptura docet, ita præcesserunt SS. Apostoli, Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, Sanctique omnes. Et tu quid? ô delicate miles! túne sine cruce, sine labore, sine tribulatione ad æternam vis pervenire lætitiam? *Absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JESU Christi,* hanc amplectere, hanc sequere. Luc. 24. 26. Gal. 6. 14.

4. Videamus modò, qualiter fuerit tumultuatus diabolus. Ubi Christus, vita nostra, jam hanc crucis scalam in monte Calvario ascendit, per quam in cælum conscenderet, & nos unà secum in altum elevaret, observavit astutissimus diabolus, qui tunc juxta Venerabilem Bedam in crucis cornu sedebat, ex infinita Christi patientia & signis, quæ fiebant, hunc impiissimum esse promissum orbis Redemptorem, atque per eum regnum suum ac dominium esse evertendum, quapropter de novo Judæos instigavit, quatenus nunc peterent, ut crucem rursùs desereret Christus, & ex ea descenderet: *Si Filius Dei es, descende de cruce.* O impii & execrandi Deicidæ! priùs allaborastis, ut Rex Judæorum tolleretur in crucem: *Tolle, tolle, crucifige eum;* nunc cùm in crucis scala oppugnandum cœlum, iterum succla- Matth. 27. 15. Joan. 19. 15.

ſucclamatis: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* nunc vultis, ut in crucem agatur Meſſias veſter, nunc iterum deſideratis, ut de illa deſcendat.

S. Bernard. ſerm. 1. in die Paſchæ.

Hoc opus diaboli fuit, ſubintrat hìc S. Bernardus, antiqui ſerpentis aſtutia, ſic enim reliquiſſet DEUS & homo Chriſtus opus ſalutis noſtræ imperfectum, proinde noluit patientiſſimus Dominus (licet hoc potuiſſet facere) de crucis ſcala deſcendere, quia ex Patris imperio in cruce debebat, & voluit mori, ut nos à morte perpetua redimeret, nobisque ſcalam pararet, per quam aſcenderemus in cœlum. Eja Chriſtiani! aſcendamus & nos alacriter per hanc crucis ſcalam, ut ad optatam perveniamus requiem; En Chriſtus ipſe eam nobis tenet expanſis & perforatis manibus, ne in hoc arduo aſcenſu cadamus. Surſum corda! Ecce *Dominum innixum ſcalæ.*

Biron. To. 1. fol. 291. S. Auguſt. in Pſal. 47. &c.

5. Anno Chriſti 203. Tuburbi in Mauritania pro Chriſto crucifixo felicem martyrii curſum conſumarunt S. Felicitas & S. Perpetua, ambæ conjuges & honeſtiſſimo matrimonio junctæ. Felicitas, quia prægnans erat, à tyranno juxta Leges Gentilium exſpectata eſt, donec in carcere pareret; Quæ, cùm vehementes partûs dolores ſentiret, pro more parturientium altùm ingemuit. Audierunt hoc cæteri Chriſtiani cum illa incarcerati: Et quomodo, dicebant, ô Felicitas! cras martyrium ſuſtinebis, ferrum, ignem, cataſtas, beſtias, confractionem oſſium, membrorum diviſionem, ac totius corporis contritionem, cùm nunc in partu ob leviores tantoperè ingemiſcis dolores! quibus S. Felicitas: nunc inquiebat, in partu debitas humanæ naturæ pœnas perſolvo, quia Evæ dictum fuit: *In dolore paries filios tuos*, cras autem protegente divinâ gratiâ pro Chriſto, amore meo crucifixo omnia ſupplicia & cruciatus læta ſuſtinebo. Interim dum hæc fiunt, S. Perpetua, quæ lactantem in carcere nutriebat parvulum, prægrandem ſcalam usque ad cœlum pertingentem conſpicit, quæ ſcala hinc atque inde peracutis erat armata cultris ac gladiis, ad cujus pedes formidabilis jacebat draco, SS. Martyribus per eam ad cœlum aſcenſuris non levem incutiens terrorem. Verùm cùm S. Sartyrus adhuc puer & in lege Chriſtiana optimè inſtructus, primus generoſo animo hanc ſcalam aſcendit, S. Perpetua cum cæteris Chriſtianis, Martyrii Canditatis, animata, pari animi generoſitate ad martyrii locum properavit, ubi S. Felicitas cum S. Revocato fratre ſuo à Leopardo occiſa atq; diſcerpta, S. Perpetua verò, quàm nec parentis, nec conjugis, nec parvuli lacrymæ permovebant, furenti vaccæ ac leoni objecta, & tandem gladio pro Chriſto trucidata eſt. Sic feliciter hi SS. Martyres per crucis ſcalam ad cœleſtem tranſierunt gloriam.

6. Cæte-

6. Cæterùm plures Sancti ac Sanctæ Dei similes videbant cæli scalas. S. Pardulpho S. Michaël Archangelus candidam scalam usque ad cælum pertingentem ostendit, cujus summitati ipse DEUS erat innixus, qui S. Pardulphum, ut eò ascenderet, & coronam gloriæ à se acciperet, peramanter invitavit. Natal. in Anno cœlest. 21 Decembr.

S. Romualdus Camaldulensium Monachorum Fundator, qui in summa vitæ austeritate annos centum & viginti DEO inserviit, similem scalam à terra cœlum pertingentem conspicatus est, per quam homines in veste candida ascendebant & descendebant. Brev. Rom. 7. Febr.

V. F. Leo inter primos & charissimos S. Francisci Seraphici socios duas scalas juxta se invicem positas, unam rubei, alteram candidi coloris, usque ad cœlum porrectas vidit, in apice rubicundæ scalæ stabat Christus, in candida B. Virgo suos in cœlum invitantes Clientes. Agite Christiani! Ecce parata est vobis similis cœli scala; venite ad crucifixum JESUM & SS. Matrem ejus doloroſam &c. Ex Chronico Minorum lib. 6. cap. 17.

CONSIDERATIO XI.

Terebinthus, sub qua Jacob idola infodit, figura SS. Crucis Dominicæ.

Ego quasi Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ. Eccli. 24. 22.

1.

JAcob Patriarcha, cùm tandem post longam servitutem cum copiosa familia in patriam reditum pararet, ut ibidem stabilem sedem figeret, statuit quantocyùs universam suam ab omni idololatria expurgare familiam; in quem finem DEO T.O.M. publicam aram ex solido lapide, quem oleo priùs inunxerat, ædificavit, seriò imperans omnibus ac singulis suis domesticis, ut deos alienos & idola Labani, quorum cultui priùs addicti erant, abjicerent, & horum loco DEO vero, vivo & unico pro omni possibili modo inservirent. Parent domestici omnes, & non solùm aurea idola,

idola, sed & pretiosas inaures ad pedes Jacobi abjiciunt, quæ omnia prudentissimus ille Patriarcha sub Terebintho arbore infodit:

Gen. 35. 4. *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea subter Therebinthum.* Res admiratione digna? An non poterat Jacob hæc idola aurea ac pretiosas domesticorum inaures melius pro familiæ suæ commodo, vel in sacros, vel in pauperum usus applicare? Ut quid aurum, cui acquirendo orbis tantoperè inhiat, tanquam rem vilissimam abjicit, & in terræ visceribus, unde tanto labore erutum est, de novo sepelit?

Resp. ad hoc Cornelius & alii, quòd Jacob quidem potuisset aurea ista idola in alios, meliorésque convertere usus, sed noluit, ne quod supereset idololatriæ vestigium, ut sic suis domesticis majorem istorum idolorum ingenerat execrationem: & ita omnes, ablatâ occasione, eò liberiùs soli vivo ac vero DEO inservirent, in quem finem cuncta ista aurea simulacra confregit, & in pulverem redacta subter unam Terebinthum infodit: & cur subter unam Terebinthum?

Resp. Rupertus Abbas, quòd per dictam arborem Terebinthum,

Rup. Abb hic & Cornel in Eccli. 24. 22. quæ optimam, tenuissimámque fundit resinam, nil aliud quàm SS. Crux Dominica fuerit præsignata, sub qua omnia mundi idola ac peccata hactenus fuerunt defossa, & imposterum sunt & erunt defodienda: *Terebinthus*, inquit, *arbor resinam generans pretiosissimam lignum crucis, quod virtutis est optimæ, significat, subter quam omnia peccata nostra sepeliuntur, ne ultra ullum vestigium reperiatur.*

2. Josue invictissimus bellidux juxta ac pientissimus, ubi paulò ante beatum obitum suum populum ad Dei timorem ardenti concione extimulavit, & novo fœdere Deo adstrinxit, lapidem tulit

Josue 24. 26. pergrandem, quem in signum & perenne initi fœderis monumentum erexit; *Posuitque eum subter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini.* Et cur subter quercum?

S Aug. hic apud Cornel. Respondent Septuaginta Interpretes, quercum illam fuisse Terebinthum, & per istam Terebinthum, subintrat hic S. Augustus, fuisse designatam SS. Crucem Dominicam, & quemadmodùm Tere-

Ecclesia in hym. S. Cruc. binthi lignum medicinales exsudat lacrymas, ita crux medicina facta est totius generis humani: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, & medelam ferret inde, hostis unde læserat.*

Gen. 35. 4. Gen 12. 6. Observat ulteriùs Masius: Terebinthum illam fuisse eandem cum illa, sub qua prædictus Jacob Patriarcha aurea Labani idola defoderat, & sub qua DEus Abrahamo primò apparuit, eique & semini ejus

Eccli. 24. 22. terram illam desiderabilem promisit; unde non sine causa Sapientia divina se ipsam comparare voluit Terebintho: *Ego quasi Terebinthus extendi*

tendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ; Supra quod Cornelius à Lapide: *Terebinthus, inquit, sub qua Jacob idola defodit & obruit, figurabat Christum; Christus enim idola & idololatriam sepelivit & sustulit, ex cujus corpore terebinthina, resina pretiosissima, defluxit* in cruce, per cujus sanguinem à peccatis abluti, redempti, ac liberati sumus.

3. Ex qua descriptione colligere possumus, duo esse in Terebintho potissimum consideranda, protectionen videlicet sub ejus gratissima umbra contra venenatos serpentium incursus, unde lemma: *Infesta infestis*, & medelam ad diversas hominum curandas ægritudines, sunt enim Terebinthi folia, fructus, cortices & semina valde medicinalia.

Plus SS. Crux & fructus ejus, protegit enim ab æstu libidinis & variarum tentationum, quia *rami ejus honoris & gratiæ*, & medicinam præbet omnibus resinis præstantiorem iis præsertim, qui periculosis animæ subjecti sunt infirmitatibus.

4. Si igitur te, anime mi, infestat superbiæ spiritus, elationis ac vanæ gloriæ, crucem respice, & sub hac saluberrima Terebintho arrogantiæ idolum infode, dicendo cum D. Bernardo: Quid superbit terra & cinis? En Filius Dei scelerato postponitur latroni, & vilissimus terræ vermiculus adeò intumescat?: *Ille se humiliavit usque ad mortem,* Philipp. 2. 8. *mortem autem crucis*, & ego quid? Ahnos miseros: *Cùm sex, cùm limus, cùm res vilissima simus; unde superbimus?*

Si avaritia te tentat, ad Crucifixum propera; En DEUS tuus & homo Christus totus nudus pendet in cruce, in qua dedit omnia, quæ habuit, ut pretiosam margaritham, animam tuam, ab interitu redi- Matth. 13. 46. meret. Et tu sordide, ne quidem unum obulum pauperi Christi personam gerenti subministrabis?

Si caro consurgit adversùs spiritum, cito recurre ad Terebinthum crucis & ad SS. Vulnera Christi, & tentatio recedet à te. Experto crede Augustino: *Cùm me pulsat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad* S. August. in *Vulnera Christi: Cùm me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei* Matth. 21. *resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me.*

Si invidia animum tuum in diversa rapit, considera JESUM & hunc crucifixum, qualem ipse de suis inimicis vindictam sumpserit: *Pater*, inquiebat, *dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt* Et tu invide Luc. 23. 34. peccator, qui toties infernum promeritus es, non vis ob amorem Crucifixi JESU ignoscere fratri tuo? An ignoras, quòd sicut ærugo ferrum, sic invidia animum consumit, hominémque convertit in dæmonem?

Si gula te infestat, recordare absynthii, quo Dominus tuus in
Matth. 27. 34. cruce potatus est: *Et dederunt ei vinum cum felle mistum.* Imitare in hoc piissimum Henrici Franciæ Regis exemplum, cui inter regales epulas in aureo catino semper loco primi cibi allata, & in mensa apposita fuit devotissima quædam crucifixi JESU imago cum lemmate: *Cibus animæ.*

Si ira vehemens te accendit, & ad vindictam provocat, siste
Jerem. 11. 19. motum, & pensa, quòd DEUS tuus *tanquam agnus mansuetus ductus*
Isa. 53. 7. *sit ad victimam, non aperiens os suum;* Non ergo convenit, ut tu lupum
Levit. 24. 16. agas, in ira & in cælum ulules, Deumque blasphemes: *Qui enim blasphemaverit Nomen Domini, morte moriatur.*

Si denique acedia & animi subrepit tepiditas? Considera JESUM & hunc crucifixum, quomodo à primo vitæ instanti usque
Hebr. 12. 4. ad mortem crucis pro salute tua laboraverit: *Ego autem in laboribus à juvente mea;* Et tu quid pro JESU crucifixo hactenus feciſti?
Psal. 87. 16. Ah *nondum usque ad sanguinem restitisti.*

5. Vides ergo ex his omnibus, anime mi, quòd reverà ad edomanda nostra vitia non efficacius remedium inveniatur, quàm meditatio Crucifixi JESU, sub qua saluberrima Terebintho omnia
Gen. 35. 4. vitiorum tuorum idola te oportet infodere: *At ille infodit ea subter Terebinthum.* Imitare Jacobum Patriarcham.

Quaresm. to. 5. c p. 5. exempl. 1. Vis memorabile exemplum? Petrus Barliarius Doctor Salernitanus, vir apprimè doctus, sed Negromanta, ubi duo illius nepotes Fortunatus & Secundinus aliquando patrui sui Bibliothecam fuissent ingressi, & librum apertum superstitiosis plenum caracteribus ac dæmonum refertum nominibus vidissent, more puerorum caracteres illos, quibus Barliarius dæmonia conjurare solitus erat, deleverunt: Et ecce sine mora apparuit eis caterva dæmonum, qui teterrimo aspectu ac ululatibus suis adeò exterruerunt pueros, ut ambo mortui in terram deciderint. Accurrit inter alios domesticos & Barliarius ad hoc lugubre spectaculum, & quia maturiori intellectu (annum enim tunc agebat ætatis nonagintesimum) suum agnovit errorem, ac pœnitentiâ ductus in Ecclesia S. Benedicti palam sua peccata confessus est, ubi ante imaginem crucifixi Domini flexis genibus & multis cum lacrymis, tribus diebus ac noctibus perseverans, has ad pientissimum Redemptorem suum preces fudit: *O Domine JESU; Tu dixisti: Nolo, nec desidero mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Peccavi Domine, & magnam confiteor miseriam meam, ut illam tuâ magnâ deleas misericordiâ. Tu extensa habes divinæ tuæ clementiæ brachia, in illa me anxiè currentem suscipe, & à facie tua ne projicias me. Aperi oculos tuos, & vide afflictionem meam,*

exaudi

exaudi me clamantem ad te. Aperi mihi SS. vulnera tua, & intra pietatis tua viscera suscipe me &c. Hæc & similia cum dolore & lacrymis fatus, divinam impetravit misericordiam, dum Salvator in cruce oculos aperuit, Petrum benignè aspexit, & in signum reconciliationis ei caput inclinavit. Contigit hoc anno 1149. die 25. Martii.

CONSIDERATIO XII.

Crux Dominica Baculus Jacob, cujus ope nos oportet hujus sæculi transire Jordanem.

In baculo meo transivi Jordanem istum. Gen. 32. 10.

1.

QUis non miretur, quòd Jacob Patriarcha tantoperè æstimaverit baculum suum, cùjus ope Jordanem fluvium feliciter quondam pertransiit? Audiamns ipsum loquentem & de baculo suo gloriantem: *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Et quare ille baculus in tanto honore & æstimatione? Adverte: Colluctabatur aliquando Jacob ne nocte intempesta cum Angelo, in qua lucta reportavit nervum femoris vehementi percussione & collisione luxatum ac claudum: *Et ecce vir luctabatur cum eo usque manè, qui cùm videret, quòd eum superare non posset, tetigit nervum femoris ejus, & statim emarcuit;* Et quia nervus pedis ad ambulandum inutilis factus est, baculum in itinere adhibere coactus fuit, cujus adminiculo Jordanem fluvium rapacissimum feliciter pertransiit; proinde lætus de hoc felici successu de se ipso testatus est: *In baculo meo transivi Jordanem istum*, cui baculo pro lemmate inscribo: *Infirmum firmat*

Gen 32. 10.

Gen. 32. 24.

Hic sensus literalis est, sed alium & mysticum ego inquiro. Subintrat hic S. Augustinus: Baculus, inquit, ille Jacob crucem Dominicam præsignavit, in hoc enim baculo Christus Dominus turbulentum passionis Jordanem transmeavit, & cum duabus turnis, unâ Angelorum, quorum *implevit ruinas*, & alterâ hominum in cælestem patriam reversus est.

S. Aug serm. 79 de Tem.

Psal 09. 6.

Considera hic anima Christiana; Jacobo quondam baculus in transitu Jordanis solatio & fulcro fuit; quid, obsecro, non faciet baculus S. Crucis Dominicæ ad transeundum Jordanem hujus mortalis vitæ, & imminentis mortis ac judicii, hoc enim significat Jordanis *Flumen judicii?* Juvat hic audire S. Chrysostomum: Crux, ait, *est Christianorum spes, Crux Romanorum victoria, mortuorum resurrectio, cæcorum dux, conversorum via, claudorum baculus, pauperum consolatio, arbor resurrectionis, lignum vitæ æternæ.*

S. Chrysost. de laude S. Crucis.

2. Multam quondam fiduciam David in suo baculo pastoricio collocavit, dum enim nunc contra Goliathum ad singulare certamen ipsi erat procedendum, abjectis armis regiis, solùm sibi de baculo fundâ & quinque lapidibus providit: *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit ad Philistæum.*

1. Reg. 17. 39.

Verùm quid agis, ô David? non cum canibus hic tibi negotium est, sed cum hoste validissimo; ille gladio & loricâ squammatâ indutus & tu sine scuto, gladio, & hastâ contra tam immane portentum audeas in arenam & duellum descendere? Quid multis? David adhuc adolescens gigantem stravit, vicit, debellavit. O victoriam nullis unquam sæculis satis decantandam!

S. Augustinus per Davidem Christum subaudit, per baculum crucem, *non enim domuit orbem ferro, sed ligno*, per quinque autem lapides quinque ejus SS. Vulnera sunt præsignata. Observa hîc modum, anime mi, quomodo contra hostes tuos, mundum, dæmonem, carnem, passiones tuas &c. debeas procedere: *Indue armaturam DEI, ut possis stare adversùs insidias diaboli;* hæc autem armatura alia non est, quàm baculus S. Crucis & SS. Vulnera JEsu; audi Christianum Poëtam:

S. Aug. serm. 197.

Eph 6. 11.

Fide cruci: tota hoc pendet victoria signo:
Hinc Erebi clades: hinc animæque salus.

3. Et hoc est, ad quod postea David jam in regem Israëlis inunctus in suis psalmis allusit, dum sæpiùs etiam in mediis periculis constitutus decantare solebat: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis: non timebo mala* Et quare hoc, & unde tanta fiducia ac animi fortitudo in Davide? Ipse subjungit causam: *Virga tua & baculus tuus, ipse me consolata sunt.* S. Zeno sermone de Juda ait virgam cum baculo designare crucem, crux enim est virga & baculus pastorum contra lupos, canes

Psal. 22. 4.

canes, aliósque tartareos incursus, unde præfertur Summo Pontifici, Regi Apostolico, Patriarchis, primatibus regnorum, Archiepiscopis, aliisque in summis dignitatibus constitutis, ut ex illius intuitu sciant regere sibi commissas oves & greges: *Non*, inquit S. Cyrillus Hierosolymitanus, *pudeat nos crucis Salvatoris, sed in ea potiùs gloriemur, absit nobis gloriari, nisi in cruce D. N. J. C.* S. Cyrill. Cateches. 13.

4. Eliseus Propheta ubi viduæ pauperi oleum multiplicavit, Giezi servum suum ad Sunamitidem hospitam suam amandavit, ut filium ejus mortuum ope baculi sui revocaret ad vitam: *Tolle baculum meum in manu tua - - Et pones baculum meum super faciem pueri.* Fecit hoc Giezi, & puer Sunamitidis non surrexit; venit ergo ipse Eliseus, & incubuit per modum crucis expansis brachiis super puerum, & oscitavit puer septies, aperuitque oculos, & revixit. 4. Reg. 4. 29.

S. Augustinus per Eliseum Christum & per baculum ejus Dominicam crucem subaudit, *Baculus*, ait, *sine Eliseo nihil valebat, quia crux sine Christo nihil poterat, opus ergo erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet;* Descendit igitur de cœlis, naturam humanam assumpsit, humiliavit se usque ad crucis patibulum, ubi incubuit super mortuum, quem propriâ suâ morte ad vitam novam resuscitavit. Ex quibus patet, quòd omnis virtus ac dignitas crucis à Christo proveniat, qui eam, ut instrumentum redemptionis nostræ elegit, proprio cruore divino sanctificavit, atque per eam nos perditos Patri suo æterno reconciliavit: *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* S. Augustin. serm. 106. de tempore. Col. 1. 20.

5. Olim præcepit DEUS, ut Hebræi in Palestinam profecturi priùs agnum paschalem comederent, & inter manducandum baculos in manibus tenerent: *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Per agnum paschalem agnum Eucharisticum intellige, & per baculum crucem, hæc enim est baculus Christianorum ad cælestem patriam tendentium. Exod. 12. 11.

In nova Lege mandavit Christus, ut discipulli sui ad prædicandum Judæis & Gentilibus Evangelium excurrentes, baculos quoque in manibus tenerent: *Præcepit eis, ne quidquam tollerent in via, nisi virgam tantùm*, ut sic expeditiores essent in itinere. Marc. 6. 8.

Anima Christiana! grandis adhuc tibi restat via ad æternam patriam, provide ergo tibi maturè de forti baculo, quo possis inter tot animæ & corporis pericula sustentari; Baculus hic alius non est quàm SS. Crux: *Sicut canis*, ait S. Cyrillus, *timet baculum, ita dæmones fugiunt crucem.* S. Cyrill. Cateches. 4.

6. Recordor hìc S. Petri Apoſtolorum Principis, qui S. Maternum dilectum diſcipulum ſuum Epiſcopali dignitate inſignitum in Germaniam miſit, ut populis illius regionis ſacrum annuntiaret Evangelium, quod & ſtrenuè fecit, dum Tungrenſes, Colonienſes, & Trevirenſes, aliósque finitimos populos ad Chriſti fidem perduxìt; & cùm præmaturâ morte obiiſſet, ut illa vinea Domini magis adhuc excoleretur, eum Sanctus Petrus Ap. per baculum ſuum à ſe ſubmiſſum, à morte per ingens prodigium ſuſcitavit quadrageſimo poſt mortem die. Plus Sancta Crux, cujus S. Petri baculus hìc typum geſſit, quæ innumeros alios in peccatis demortuos ad vitam reſuſcitavit ſpiritualem & æternam, unde canit Eccleſia in Officio de Sancta cruce: *ad crucis contactum reſurgunt mortui, & Dei magnalia reſerantur &c.*

Martyrol Rom. 14 Sept.

Cornel. in 4 Reg. 4. 31.

7. De S. Martiale referunt, quòd fuerit ille juvenis, de quo S. Andreas Ap. ad Chriſtum, dum quinque hominum millia quinque panibus, ac duobus piſcibus ſatiare voluit, in monte trans mare Galilææ dixit: *Ecce puer unus hìc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Hic ergo Martialis poſt Chriſti aſcenſionem in cœlum ſe S. Petro Apoſtolo adjunxit, cujus diſcipulus factus, ab eo Evangelii prædicandi causâ in Galliam miſſus eſt, ubi Lemovicenſes, Burdegalenſes & Toloſanos ad Chriſtum convertit; & cùm civitas Burdegala ignis incendio jam conſumenda videretur, baculus illius contra ignem ſævientem oppoſitus mox omne incendium ſopivit.

Joan. 6. 9. In actis S. Martialis Epiſcopi

Simile quid legimus de baculo S. Urſi Epiſcopi, qui in civitate Antiſſiodorenſi exortum incendium in momento extinxìt. Item de baculo S. Cæſarii Ep. Arelatenſis in crucem formato legimus, qui aëreas tempeſtates, fulmina, grandines à regione avertit. Et quis ignorat in diœceſi noſtra Auguſtana, quanta DEus beneficia per baculum paſtoralem S. Magni Abbatis Fieſſenſis etiamnum exhibere ſoleat, dum per eum ſerpentes, mures & glires, agros & fruges perniciosè infeſtantes, depellit, fugat, aut necat. De baculo S. Gregorii Thaumaturgi perhibet Breviarium Romanum, quòd ad ripam defixus, Lycum fluvium, campos perniciosè inundantem, mirandum in modum ceërcuerit, ut poſthæc terminos non ampliùs effluxerit, qui baculus exinde non ſine miraculo virentem excrevit in arborem &c.

Bagatta to. 1. & Vincent Baralis in vita S. Cæſar.

Brev. Rom. 17 Novemb.

8. Si DEus talia ac tanta per baculos ſervorum ſuorum miſeris mortalibus præſtitit, & etiamnum præſtat beneficia, quid, obſecro, beneficiorum non ſperemus de baculo S. crucis, per quem Chriſtus de diabolo triumphavit, & mortem ſuperavit in æternum? Tobias quondam Senior & Anna uxor ejus Tobiam juniorem, filium

ſuum

ſuum unicum, baculum ſenectutis ſuæ ſolebant vocitare: *Ut quid te-* Tob. 10. 4.
miſimus peregrinari lumen oculorum noſtrorum, baculum ſenectutis noſtræ, ſolatium vitæ noſtræ. Ego autem dico: O Crux veneranda, pretioſiſſimo Chriſti ſanguine purpurata, in qua ſalus mundi pependit, tu es lumen oculorum meorum, tu baculus ſenectutis meæ, tu ſolatium vitæ meæ, te millies, milliésque ſaluto & exoſculor. Ecce adveſperaſcit apud me, & inclinata eſt dies vitæ meæ, mane ergo mecum, Domine, & Amor crucifixe, atque nunc in ſenectute mea ne derelinquas me, inter brachia enim tua & vivere volo, & mori cupio. Finio hanc conſiderationem cum Venerabili Thoma Kempenſt: *Non eſt*, inquit, *ſalus animæ, nec ſpes æternæ vitæ, niſi in cruce.* Thom. Kemp. ſerm 20. ad Frat.

CONSIDERATIO XIII.

Manipulus Joſeph ſtans erectus in campo, typus Chriſti JEſu in cruce exaltati.

Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Pſal. 125. 8.

1.

DE Joſepho Jacobi Patriarchæ filio Sacræ perhibent litteræ, quòd aliquando mirabile ſomnium, non naturale, prout explicant Sacri Interpretes, ſed à DEO ſic imiſſum habuerit. Videbat is tempore meſſis in fertili parentis ſui agro manipulum, quem ipſe collegerat, proprio conſurgere motu, & inter alios erigi in altum, quem reliqui fratrum ſuorum manipuli prono in terram vultu adorabant. Audiamus ipſum loquentem: *Putabam nos ligare manipulos in agro, & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum* Gen. 37. 7.

Per hunc Joſephi manipulum ſolum inter omnes ſtantem & erectum Patres in ſenſu allegorico Chriſtum JESUM in agro Golgothæo in cruce ſtantem & erectum ſubaudiunt: *Hoc* inquit S. Ambroſius, *ſcriptum eſt de Joſeph, completum in Chriſto, quando Judæi in ejus paſſione dicebant: Si Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei &c.* Cui S. Ambroſ. lib. de Joſeph Sancto cap. 3.

Sancto Antistiti Mediolanensi addo Cornelium: *Hic manipulus Josephi*, ait ex Ruperto Abbate, *est Christus, quem omnes Legis & Prophetarum Legiones, omnes Sancti & Angeli circumstant, & adorant.*

2. Consistit autem manipulus ex fasciculis, seu culmis aristarum frumenti, in quibus granum continetur, fertilitatis & abundantiæ symbolum. Culmus erectus crux est, granum Christus Crucifixus: sic ipse Dominus, cùm ad mortem crucis se pararet, non dubitavit

Joan. 12. 24. se grano frumenti assimilare: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Hic adverte Lector prudens, quòd granum frumenti multa pati debeat, æstum & frigus, ventum & pluvias, nives & pruinas, rastra & flagella, molam & ignem, donec panis mundus inveniatur. En hìc perfectissimum typum crucifixi JESU, qui tanquam verum frumenti granum longè plura sustinuit, dum sæpiùs in vita & passione à peccatoribus ventilatus, à Judæis in omnibus actionibus suis cribratus, à Gentilibus flagellis percussus, & in mola crucis contritus fuit;

Isa. 53. 5. *Attritus est propter scelera nostra.* Denique cùm in terram & sepulchrum projiceretur, tertio die gloriosè à mortuis resurgens multiplices, imò

S. Bernard. serm. 15. in Cant. infinitos animarum fructus protulit: *Moriatur granum*, sunt verba S. Bernardi, *& surgat Gentium seges: Oportet pati Christum & surgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum.*

3. Mandavit quondam DEUS, ut populus Israëliticus tempore primæ messis sibi manipulos offerret spicarum, ex quibus omnibus Sacerdos sibi unum selegit manipulum, quem in altum per aliquam perticam elevavit, & DEO in grati animi signum loco totius po-

Levit. 23. 10. puli, aut communitatis obtulit: *Cùm messueritis segetem, feretis manipulos spicarum, primitias messis vestræ, ad Sacerdotem, qui elevabat fasciculum coram Domino.* Et quare hoc?

Resp. Petrus Bessæus & alii, quòd per hunc spicarum manipulum coram omni populo exaltatum, non alius fuerit adumbratus, quàm pretiosissimus orbis Redemptor Christus in monte Golgothæo in ligno crucis exaltatus. Et sicut quondam populus, ubi hunc manipulum spicarum in pertica elevatum conspexit, in laudes & debitas gratiarum actiones DEO sospitatori ac conservatori suo persolvendas animatus, & solutus est: Ita quoque faciant nunc Christiani, ubi Dominum suum in pertica crucis, vel in Sacrificio Missæ per manus Sacerdotis exaltatum & elevatum contemplantur, ut pro tanto, ac tam immen-

Rom. 13. 7. so redemptionis beneficio debitas DEO grates persolvant: *Cui honorem, honorem.* Et si quidem verè ac sincerè amas Crucifixum Dominum tuum, dic sæpius, ubi crucifixum respicis, cum Psalte regio: *Adorent*

eum

eum omnes Angeli Dei: *Omnis terra adoret te, & psallat tibi.* Vel cum sancta Matre Ecclesia: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per Sanctam crucem tuam redemisti mundum &c.* Psal 99. & Psal. 69.

4. Mirum in modum gaudebat ille populus Israëliticus, ubi post tam longam 70. annorum captivitatem Babylonicam à Cyro Babylonis domitore in libertatem cum regiis muneribus fuerunt asserti; unde cum gaudio revertebantur in patriam suam, cantantes: *In convertendo Dominus captivitatem Sion: facti sumus sicut consolati;* Consolati sicut Jacob Patriarcha, qui cùm audisset filium suum Joseph adhuc vivere, & toti dominari Ægypto, quem tamen jam dudum mortuum credebat & lugebat: *Et revixit spiritus ejus, & ait: Sufficit mihi, si adhuc Joseph filius meus vivit, vadam & videbo illum.* Ita illi afflicti & omnibus spoliati bonis lætabantur, ubi à Cyro audierunt se esse liberos, & in patriam reversuros. Priùs cùm in captivitatem tam remotam à Nabuchodonosore Rege abducti sunt, iter, campos & agros, quos colere debebant, fletibus ac lacrymis respergebant: *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.* sed nunc post expletos septuaginta captivitatis annos, in patriam redeuntes, cum gaudio portabant manipulos suos: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.* Psal. 125. 1. Gen. 45. 28.

Observa hic sensum allegoricum, agitur enim hic de liberatione generis humani à captivitate diaboli per Christum & hunc Crucifixum facta, in cruce enim ab eo salvati & liberati sumus: Manipulus ergo Christi est Crux & cætera ejus Dominicæ passionis instrumenta; priùs Christus in vita & passione sua ac Sancti ejus seminabant in lacrymis, nunc cum exultatione portant manipulos suos, hoc est victoriarum trophæa & palmas ab inimicis suis reportatas: *Palmæ in manibus eorum.* Juvat hic etiam audire S. Augustinum & Hieronymum: *Qui seminant,* inquiunt, *hic bona opera, & maximè verbum Dei, metent in futuro manipulos meritorum, & animarum quas convertunt.* Hoc tibi cape, ô mi Lector. Apoc. 7. 9. Tirin. hic in Psal. 125. 6.

5. Veniamus ad exempla Sanctorum pro Christo crucifixorum. S. Silanus Musicus, cùm Christum crucifixum constantissimè prædicaret, à tyranno, ut fidem Orthodoxam abnegaret, variè tortus est, qui illum spinis ferreis jussit coronari, in ligno, ceu in cruce distendi, clavis ab fudibus ferreis confodi, ac tandem capite plecti, qui sine mora abscissum caput suum in manus accepit, & super flumen sicco pede cum omnium spectantium admiratione deportavit, atque in templo B. Virginis, ubi humari voluit, ad pedes S. Frontonis orantis, deposuit. Nadas. 2. Jan.

S. Petrus M. aliàs vocatus Palsamus, nomine & passione S. Petri Apostoli imitator insignis, cùm pro Christi nomine & fide Catholica, quam Canis. in Martyrol. 5. Jan. item Nadas.

quam Gentilibus prædicabat, juxta civitatem Aulanam anno Domini 290. sub Diocletiano Imperatore cruci esset affixus, inter tormenta lætus illud Davidicum decantabat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Brev. Rom. 18. Junii & Martyrol. Rom.

SS. Marcus & Marcellianus fratres Romani, & operâ S. Sebastiani ad Christi fidem conversi, cùm à Fabiano Judice Romano comprehenderentur, & constantes in fidei confessione permanerent, grandi palo, velut in cruce alligati sunt, & ferreis clavis in pedibus confixi; in quibus cruciatibus cùm Judex ita eos interpellaret: Resipiscite miseri: & vos ipsos ab his cruciatibus eripite, læta & unanimi voce ac ore responderunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quàm hæc libenter JEsu Christi causâ perferimus, in hujus amore nunc fixi esse cœpimus: utinam tam diu nos hæc pati sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus.* Qui cùm Christum laudare non cessarent, ejúsque divinas laudes diu noctúque canerent, per latera crudelibus lanceis, ut sic Christo essent similiores, transfixi sunt, & ita ad cæleste regnum glorioſi migrarunt.

Martyrol. Rom & Græcum, 10. Jul

Quibus adjungo S. Apollonium, qui Iconii sub Judice Perennio, postquam Christum & hunc crucifixum Gentibus magno cum Zelo prædicasset, à paganis tentus, variè vexatus, ac tandem cruci suffixus est, ad quam gaudens venit, & per eam insigne martyrium consummavit. O Christiani omnes, qui de Christo Domino nomen participamus, quid agimus? Adoramus crucem, & horremus crucem; adoramus in Ecclesiis, & horremus in propriis ædibus. Ecce isti Sancti cum gaudio amplexati sunt crucem, tanquam manipulum à DEO sibi destinatum, sed tandem *venerunt cum exultatione, portantes manipulos suos.* Et quomodo tu, anime mi, venies in cœlum, si refugis crucem? non sic proderit nobis esse Christi discipulos, nisi vivamus & moriamur in cruce; tunc de nobis illud verificabitur: *Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*

CONSIDERATIO XIV.

Rubus ardens & incombustus, quem Moyses vidit, crucem Dominicam præsignavit.

Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus? Exod. 3. 3.

1.

Cùm Moyses tum temporis adhuc vilis opilio gregem suum lanigerum in fervore diei & in æstu meridianæ lucis ad interiora minasset deserti, utibidem non tam optatam umbram, quàm & opportunum pabulum, quod ejusmodi rubi & dumi ovibus præbere solent, inveniret, ex improviso advertit, quòd rubus quidam in monte Horeb sponte suâ arderet, & nullo modo ab ignis combureretur flamma: *Vadam* inquiebat, *& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Et ecce cùm propiùs ad hoc insolitum accurrit spectaculum, subitò per divinum jubetur oraculum, ut retrocedat: *Ne appropies huc: solve calceamenta de pedibus tuis.* Et quare hoc? Exod. 3. 3.

Resp. S. Gregorius, quòd per hunc rubum in igne prorsùs illæsum & incombustum Christus & hic Crucifixus fuerit præsignatus; ita & Cornelius à Lapide: *Verbum Dei*, ait, *in rubo, est Verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas*, videlicet in monte Horeb in figura, & in Calvariæ monte in figurato, ubi in veritate inter spinas extitit, & immenso charitatis igne erga genus flagravit humanum, ac etiamnum flagrare pergit, dum miseris & ægris mortalibus per virtutem S. Crucis ubique terrarum innumera divinæ bonitatis suæ exhibere solet argumenta. S. Gregor. lib 28. Moral. cap. 1. Cornel. hic.

2. Præcepit autem Deus Moysi, ut quantocyùs ob sanctitatem loci calceos suos exueret: *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Et quare hoc? Resp. Ut sic debitam divinæ Majestati ibi in rubo præsenti exhiberet reverentiam ac submissionem. Secundò ut similis esset cæteris Hebræis Exod 3. 5.

in Ægypto, qui in illa Pharaonica servitute, tanquam servi incedebant nudipedes, calcantes lutum & paleas. Tertiò ut inciperet portare improperium Christi, quia in pluribus erat figura Christi: *Magis e-*
Hebr. 11. 25. *ligens affligit cum populo Dei quam temporalis peccati habere jucunditatem &c.* Quartò ut ostenderet illi Deus: Qui ad regnum æternum discupit venire, per cruces & passiones, per sentes & tribulos, quibus ille deserti locus abundabat, nudis ac cruentis incedere debeat pedibus: Et si calceamenta ex pellibus animalium mortuorum fiunt, isti terreni & carnales reliquendi sunt affectus illis præsertim, qui Christum Crucifixum vo-
S. Bernhard. serm. in cap. 12 Apoc. lunt sectari; proinde non immeritò D. Bernhardus: *Verumtamen*, inquit, *solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis*, videlicet ad hunc rubum mysticum in Calvario Monte præ nimia in nos charitate ardentem, & tamen incombustum. Quod exemplum Moysis etiamnum hodie imitantur omnes boni Christiani, dum in terra Sancta stationes crucis visitantes, priùs omnes calceos suos deponunt, & sic discalceati in animo contrito ac humiliato Calvariæ montem conscendunt, in quo pretiosissimus Salvator noster operatus est salutem nostram in medio terræ.

3. Ardebat autem ille rubus Mosaicus, & nullo modo comburebatur à flammâ, sed potiùs per ignem reddebatur illustrior: *Videbat quòd*
Psal 73. 12. Exod. 3. 2. *rubus ardebat, & non comburebatur.* Et cur non erat combustus? Nosce ex hoc figurante figuratum: *Verbum Dei in rubo*, ait Cornelius, *erat Verbum Dei in cruce*, ita & S. Gregorius & alii, ergo rubus ille præsignabat crucem, cujus particulæ & segmenta nunc per Christianum orbem dispersa, etiamnum hodiè in igne manent illæsa, hinc antiquissimus mos erat, quòd sacræ Dominicæ crucis particulæ per ignem probarentur, ex quo verum ac genuinum SS. Crucis lignum etiam inter medias flammarum furias permanebat illæsum, & econtrà particulæ subreptitiæ mox in igne redigebantur in cineres. Pro confirmatione hujus veritatis aliquas in medium proferamus experientias.

4. Anno 1614. 13. Septembris Brixiæ in Tyroli in Ecclesia Cathedrali in præsentia plurium illustrium Personarum in igne probata est aliqua SS. Crucis particula, quæ in mediis flammis illæsa inventa est. Testimonium Reverendissimi Officii Vicariatûs, quod ad manus habeo, hîc subjungo.

„Nos Hieronymus Otho Agricola J. U. D. Cathedralis Ecclesiæ „Brixinensis Canonicus, Scholasticus & Præpositus ad B. V. nec non „Reverendissimi ac Serenissimi Principis ac Domini, Domini Caroli „Archiducis Austriæ &c. Episcopi Brixinensis in Spiritualibus Vica„rius Generalis notum facimus, qualiter quædam particula ligni S.

„Crucis,

„Crucis, quam Nobilis Dominus Joannes Jacobus Niefferlin Agens „seu Factor D. D. Fuggerorum in Schwaz Nobili Domino Jacobo Söl„len ab Aichberg in Neuhausen præfati Sereniſſimi Archiducis Con„ſiliario Aulico & Feudorum Præfecto elapſo menſe Junio dono dedit, „per ignem in præſentia tum Sacerdotum, tum Sæcularium probata „fuerit, & in hoc igne prorsùs illæſa & intacta permanſerit. In cu„jus rei fidem prætacto Domino Niefferlin teſtes præſentes litteras „noſtro Vicariatûs ſigillo munitas dedimus, datas Brixiæ die 13. „Septembris Anno 1614.

Hieron. Otho Agr. Vicarius Gener. m. p.
Chriſtophorus Buechberg ex Mandato. m. p.

Hanc ſacram crucis Dominicæ particulam Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus S. R. I. Comes ac Dominus, D. Antonius Joſephus Fuggerus, ad quem per paternam hæreditatem devenit, pretioſâ hierothecâ involutam, & auro gemmisque ornatam Eccleſiæ Biberbacenſi in perpetuum munificentiæ ſuæ mnemnoſynon conſignavit, atque reliquit.

5. Refert Paulus de Eſpinoſa, quòd à Sereniſſimis Hiſpaniarum Regibus D. Alphonſo de Foneſca Hiſpalienſium Archiepiſcopo quædam particula Dominicæ crucis fuerit donata, qui eam, dum Miſſam Pontificalem celebravit, ut veritatem probaret, in accenſum ignem immitti juſſit, in quo non ſolùm integra & illæſa reperta eſt, ſed & ſuaviſſimum odorem tum intra, tum extra Eccleſiam efflavit. In Hiſtoria Hiſpal. lib. 6. cap. 1.

Severus Epiſcopus Ultrajectenſis Anno 1431. hujusmodi SS. Crucis particulam in Eccleſia Dordracenſi in Hollandia inventam coram multis teſtibus præſentibus in ignem conjecit, ex quo pariter cum ſumma omnium præſentium admiratione illæſa extracta eſt. Bzgatta lib. 2 cap 1. ſect 9

S. Anno Coloniæ Agrippinæ ſimile quoddam fruſtum crucis Dominicæ ter in igne probavit, & ſemper à flammis integram & illæſam recepit. Idem.

Similem eventum B. Albertus M. expertus eſt, qui à S. Ludovico Galliarum Rege inſignem quandam SS. Crucis Particulam dono accepit, quæ tertia vice experimento ignis probata, & ſemper integra inventa eſt. Sandæus in ſuo Stauroph. fol. 143.

6. Viennæ in Auſtria in aula Cæſarea adhuc hodiè religiosè aſſervatur & colitur quædam inſignis Dominicæ crucis Particula, quam Ferdinandus III. Rom. Imp. in pace & bello ad cor appenſam devotiſſimè geſtare ſolitus erat, & antequam bellicum ſignum ad arma & prælia dari juſſiſſet, ſemper hac crucis particulâ ſe piè ſignans, intrepidè Nadaſius S. J. in Epiſt. Dedicatoria ad Eleonoram Imp in Anno amoris Dei.

pidè in hostem ruit, & in hoc signo feliciter eum profligavit. Accidit, ut die 2. Decembris Anno 1668. de nocte sævissimum in aula nova Cæsarea Viennæ oriretur incendium, ubi pars magna palatii flammis consumpta est; Et ecce aliis rebus igne vehementi devastatis, sævissimus Vulcanus soli huic S. Crucis asolæ pepercit, quæ inter carbones & ignitos cineres, ubi aurum, argentum, stannum, ipsumque ferrum diffluxit, post quinque dies non sine ingenti Viennensium admiratione illæsa inventa est, quod memorabile factum Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps & Episcopus D. D. Wildericus Episcopus Viennensis publico diplomate confirmavit, & Clemens IX. P. M. ad instantiam Serenissimæ Imperatricis Eleonoræ in memoriam hujus miraculi celeberrimam Congregationem sub Titulo S. Crucis in aula cæsarea instituit, quam plurimis indulgentiis & Ecclesiasticis thesauris locupletavit.

7. Mitto similes plures & prodigiosos eventus, quibus addo, quòd lignum S. Crucis Dominicæ non tantùm in igne illæsa manere, sed & incendia exorta mirificè extinguere soleat. Ita S. Gregorius Turonensis simili crucis particulâ, quam è collo pendulam ad cor gestabat, sævissimum incendium momento extinxit, mirantibus omnibus quòd ligno extingueretur ignis.

Dauroult. c. 1. t. t. 34. n. 4.

Sic & S. Paulinus Episcopus Nolanus exiguâ SS. Crucis astulâ seu segmento defracto in medias incendii flammas injecto, totum sine mora incendium in urbe Nolana restrinxit & extinxit, unde ipsè scripsit:

S. Paulin. Ep. Nol. in Natal X. de S. Felice M.

Vicerat ignis aquam: nos ligno extinguimus ignem:
Quámque aqua non poterat, vicit brevis asola flammam.

Ex quibus agnosces, quàm bene conveniant Rubus incombustus & Crux Dominica:

Ut Rubus in flamma: Sic Crux illæsa triumphat:
Hanc cole, te Stygiis eximet inde rogis.

CONSIDERATIO XV.

Agnus Paschalis, item Matutinus & Vespertinus typus fuit Christi JEsu crucifixi.

In libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. Apoc. 13. 8.

1.

Cùm Deus T. O. M. Hebræos diu sub gravissimo Ægyptiorum jugo pressos, tandem à servitute statuisset redimere, eósque in optatam asserere libertatem, voluit, ut priùs ante egressum ex Ægypto universa multitudo in Israël pro tempore Paschali in plenilunio Agnum quemdam immaculatum sibi immolaret? *Tollat unusquisque agnum per familias -- Immolabitque eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam*, cujus sanguine cuncti patresfamilias postes domorum suarum & superliminare sui ostii, prout bene observat S. Cyprianus, in formam crucis aspergebant, ne Angelus vastator pertransiens, & primogenita Ægyptiorum percutiens, Hebræis noceret, & ut insuper typum haberent divini illius Agni, per cujus sanguinem à servitute diabolica & à morte perpetua suo tempore essent redimendi: *Erat autem vobis sanguis in signum in ædibus, in quibus eritis. & videbo sanguinem & transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens, quando percussero terram Ægypti.* Exod. 12. 3. S. Cyprian. l. 2. testimon. contra Judæos c. 21.

2. Modus autem, quo hunc agnum immolabant Hebræi, erat iste: Imprimis quærebatur agnus integer absque ulla macula, scabie, vitio aut morbo, idémque masculus, quia hic præstantior fœmellâ est, qui agnus debebat esse anniculus, vel agens annum unum, dum per hoc spatium agni ad perfectam ætatem adolescunt; Recipiebatur verò quatuor diebus ante immolationem à patrefamilias in domum, *ut ex frequenti aspectu*, ait hic Rupertus Abbas, *occasionem haberent, inter se sermocinandi de redemptione sua ex Ægypto.* Rupert. hic. Exinde serto viridi in collo ornabatur, ac sollicitè ab omni etiam levissima macula abluebatur; demum

mum die destinatâ circa vesperam, cùm sol ad occasum declinaret, pedibus ligatus, in lignea pertica suspensus, cultro jugulatus, mactatus & excoriatus fuit, cujus cruore postes domorum in forma crucis intingebantur, per agni verò medium corpus quoddam veru ligneum & oblongum infigebatur, pedibúsque prioribus bacilli in modum crucis, tanquam lignum transversum immittebantur, sic lento igne tostus cum panibus azimis & lactucis agrestibus festinanter comedebatur.

En Lector prudens, hic insignem typum Christi JEsu, tanquam mansuetissimi & immaculati agni pro nobis ad lanienam & victimam raptati, in torrente Cedron abluti, serto spineo coronati, & tandem in veru ligneo crucis igne divini amoris assati. Juvat hìc audire S. Justinum Martyrem; *Quòd agnus*, inquit, *Paschalis assari jubetur, crucifigendum Christum significabat, siquidem agnus in crucis formam expansus assabatur, alter enim rectus paxillus ab imo usque ad caput trajiciebatur, alter verò transversus per occiput, cui armi agni alligebantur &c.*

S. Justin M in sermone cum Tryphone Hebræo.

3. Et hoc est, ad quod alluśit Christus Dominus, cùm ante passionem suam duos discipulos, Petrum scilicet & Joannem in civitatem Solymæam ablegavit, ut secundùm legem Mosaicam sibi & cæteris discipulis suis pararent pascha, & ante adventum suum agnum anniculum & paschalem, per quem toties præfigurabatur, secundùm præscriptum ritum mactarent, & ad esum disponerent: *Et fecerunt discipuli, sicut constituit illis JEsus, & paraverunt pascha.* Quem typicum agnum in veru assatum & mensæ appositum, ubi pientissimus orbis Redemptor Christus conspicatus est, quis dicet, quo affectu & animi teneritudine eum Patri suo æterno, & in hoc typo se ipsum, tanquam agnum immaculatum & incontaminatum crastinâ luce pro totius mundi salute in cruce immolandum obtulerit? *In eo*, subintrat hic Cornelius à Lapide, *quasi in viva sui imagine intuebatur suam crucifixionem, in qua ipse simili modo distendendus, clavis affigendus, & igne tum doloris, tum amoris postero die assandus erat in cruce.*

Matth. 26. 19.

Cornel. hic.

4. Nec solùm per hanc cruentam agni paschalis victimam voluit æternus Pater præsignari dilectissimum Filium suum JESUM suo tempore pro mundi salute cruci affigendum, sed & quotidie simile sacrificium manè & vespere per similem agnum incontaminatum sibi voluit in lege præsentari; unde libro Exodi præcepit, ut singulis diebus sibi in altari, tanquam perpetuum sacrificium agnus quidam immaculatus manè in ortu solis, & vespere in ejusdem occasu pro publica & communi populi salute immolaretur: *Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies jugiter, unum agnum manè & alterum*

Exod. 29. 38.

terum vespere. Et hoc erat, de quo Psaltes regius toties in psalmis suis mentionem fecerat, Sacrificium Matutinum & Vespertinum, quod publicis Hebraici populi immolabatur & offerebatur impensis, ubi agnus ille offerendus priùs in piscina probatica ab omni ablutus erat immunditia, dein à Sacerdote jugulatus, ab intestinis & sanguine mundatus, ac denique in veru ligneo assatus, DEO vitæ necisque Domino in gratissimum oblatus est holocaustum. Interim populus circumstans preces ingeminabat in cœlum, ut hoc Sacrificium gratum & acceptabile fieret apud DEUM.

Observa hic iterum, Lector prudens, ex hac figura figuratum & ex umbra veritatem; Et quem, obsecro, hic agnus legalis alium præsignavit, quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Qui summo mane, hoc est, jam ab ipsa mundi origine pro peccatis veterum Patrum immolatus, & demum in mundi & vitæ vespere in ara crucis oblatus est? Unde rectè Propheta Apocalypticus: *Qui occisus est ab origine mundi*, non in se videlicet, sed in suis figuris ac typis, quia jam ab æterno à DEO erat decretus, præscitus & prædestinatus, ut mundum suo tempore in cruce redimeret. Audi hic S. Paulinum: *Ab initio sæculorum*, inquit, *Christus in suis patitur & triumphat: In Abel occisus est à fratre: In Noë irrisus à filio: In Abraham peregrinatus: In Isaac oblatus: In Jacob famulatus: In Joseph venditus: In Moyse expositus & fugatus: In Prophetis lapidatus & sectus: In Apostolis terrâ marique jactatus: In Martyribus toties & variè occisus &c.* Apoc. 13. 8. S. Paulinus Ep. 17 ad Aprum.

5. Cæterùm Agnus typus ac symbolum est variarum virtutum, videlicet summæ mansuetudinis & humilitatis, perfectæ innocentiæ & patientiæ, qui non habet in ore suo redargutionem; Insuper vili contentus est pascuo, matrem ex millibus in voce agnoscit; surgens vel decumbens se priùs in genua dimittit, quasi DEO Creatori ac Sospitatori suo pro acceptis beneficiis gratias acturus. Et quod haud immeritò obstupescendum, illud est, quòd agnus in corpore suo quinque Christi Vulnerum stigmata & cicatrices gerat, videlicet quatuor in pedibus, & unam rubram in pectore suo. Ita doctissimus Franciscus Quaresmius & alii. Quaresm. To. 1 cap. 3. sect. 1.

En anima Christiana; hic pro reflexione morali tibi singularis meditandi modus præscribitur, quas virtutes in agno, Christi typo, mirari & imitari debeas. Disce mansuetudinem, humilitatem, patientiam, gratitudinem in DEUM & hominem &c. &c.

6. Finem huic considerationi imponat Agnus ille Apocalypticus, quem S. Joannes quondam in medio quatuor animalium, videlicet: Aquilæ, leonis, bovis & hominis, & in medio 24. Seniorum stan-

Apoc. 5. 6. tem & occisum vidit: *Et vidi: Et ecce in medio throni & quatuor animalium & in medio Seniorum Agnum stantem tanquam occisum.* Ad quid, quæso, S. Joannes hìc Agnum Dei occisum & simul stantem inducit? Si Agnus occisus est, quomodo stabat in cœlo?

Andr Cæl. apud Cornel hìc. Resp. Andreas Cæsar. *Quòd hic Agnus similis occiso videbatur, quia resurgens servavit quinque vulnerum, quibus occisus est, cicatrices.* Quòd autem stans observatus fuerit, resurrectionem ad vitam immortalem indicat, & prout Ansbertus habet: *ad opitulandum;* unde rectè D. Augustinus: *Christus*, inquit, *stat coram throno Dei, quasi Advocatus noster, pro nobis interpellans;* Et ideò cùm S. Stephanus lapidatus est, stans à dexteris virtutis Dei observatus est, quia sedere judicantis, stare autem adjuvantis est.

S August. in quæst novi testamenti quæst. 88. Hæc cùm ita sunt, quòd Agnus in Calvario quondam monte occisus etiamnum in cœlo apud Patrem suum pro nobis interpellet, ac SS. Vulnera sua pro nobis offerat, quæ sunt medium & remedium efficacissimum ad impetrandum à DEO, quidquid æternæ nostræ saluti erit proficuum; quid ergo agimus, quòd extra hæc SS. Vulnera aliquid aliud in terris quæramus? Dicamus proinde quotidie cum S. Franc. Xaverio: *Domine JEsu Christe, Deus cordis mei, per quinque illa vulnera, quæ tibi in cruce nostri amor inflixit, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

CONSIDERATIO XVI.

SS. Crux Christi columna nubis & ignis, ducens nos ad cœlestem patriam.

Non defuit columna nubis per diem, neque columna ignis per noctem. Exod. 13. 22.

I.

PLura quondam ac quàm maxima DEUS T. O. M. populo suo electo præstitit beneficia, dum eos per mare rubrum sicco pede traduxit, per quadraginta annos in deserto arido & sterili cibo cœlesti, puta manna, aluit, aqua è durissima petra scaturiente potavit, vestimenta eorum incorrupta servavit, imò fecit,

fecit, ut veſtes cum pueris creſcerent, ac incurſu hoſtili & injuria aëris defendit, & ducem inſuper aſſignavit videlicet columnam nubis & ignis, quæ tribus illis hominum millionibus non tantùm præiret, ſed & per varias viarum ambages tandem in Paleſtinam, terrámque lacte & melle manantem ſecurè introduceret: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, ut dux eſſet itineris utroque tempore.* Exod 13. 21.

Per hanc prodigioſam columnam, Hebræis quondam per 40. annorum ſpatium præcedentem, eósque ad deſideratam terram ducentem S. Hieronymus crucem Dominicam ſubaudit: *Crux Chriſti*, inquit, *humani generis columna eſt*; per ducem verò, qui hanc regebat columnam, & per eam populum electum ab omni defendebat hoſtili incurſu, alii S. Michaëlem antiquæ Synagogæ defenſorem, nos autem Chriſtum & hunc crucifixum intelligimus, qui quà homo, ùt columna nubis nos protegit, & quà DEUS, ùt columna ignis, nos illuminat. O felices nos! ſi hunc ducem ſequamur, & ſemper ante oculos noſtros hunc crucifixum amorem noſtrum ac Dominum habeamus: *Semper*, ſunt verba S. Chryſoſtomi, *crucem habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis: nam ſicut columna nubis, figura noſtræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur; ita crux ante oculos viſa omnem ſtatim abigit malam voluptatem &c.* Proinde ſedulò laborandum, ut ei firmiter adhæreamus, ejúsque ductum in omnibus ſequamur, quia *per crucem ad lucem.* S. Hieron. in pſal 95. S. Chryſoſt. ſerm. de joſeph.

2. Et hoc eſt, ad quod alluſit Sapiens; ubi plura enarravit de vera primorum & antiquorum Patrum ſapientia, & quomodo DEUS per contemptibile lignum, hoc eſt, per arcam Noëmicam (crucem figuram) mundum ſalvarit: *Cùm aqua deleret terram, ſanavit iterum Sapientia per contemptibile lignum juſtum gubernans* Deſcendit etiam ad columnam nubis & ignis, quæ populum electum ad terram deſiderabilem mirabiliter deduxit, atque per omnem viam concomitata eſt: *Et deduxit illos in via mirabili, & fuit illis in velamento diei, & in luce ſtellarum per noctem.* Erat autem hæc columna per diem opaca nubes, ut ab æſtu ſolis in illis calidis regionibus Hebræos protegeret; de nocte ſplendebat ut ignis, ut per omnia illorum caſtra ſufficiens in tenebris præberet lumen, unde lucebat ùt luna & ſtellarum congeries. Agnoſce ex hoc, anime mi, mirabilem SS. Crucis effectum, jam tunc in umbra præſignatum, crux enim eſt noſtra columna nubis & ignis: *Duxque comes* Sap. 10. 4. Sap. 10. 17.

piæ Conſidera Electos omnes, ex hoc vitæ deſerto per varios labores, tentationes, inſidias, ærumnas, morbos, pericula & martyria ad

terram viventium & ad cœlum transeuntes, cujus itineris non alium habebant ducem, quàm crucem.

Bagatta Tom. 2. lib 5. c. 1. Thom Boz. de Signis Ecclesiæ lib. 17. cap. 7.

3. Alphonsum Portugalliæ Regem consulamus. Cùm anno Domini 1112. contra quinque Maurorum Reges pugnaturus in campum descendisset, & jam jam in agro Auriquio ultra Tagum in conspectu hostium castra Christiana locasset, intuens de longè infinitam propemodùm infidelium multitudinem, ex omni parte illius regionis sibi ad prælium obviantem, in maximam animi devenit tristitiam. Initur quantocyùs, in quantum temporis patiebantur angustiæ, à belli Ducibus consilium, plurésque concludunt, temerarium prorsus esse cum tam immensa Barbarorum multitudine inire certamen, cùm proprii milites essent defatigati, laboribus fracti, & tot hostium phalangibus omninò impares. Quid in hac re desperata agit Rex Alphonsus? Ad Christum JESUM & hunc Crucifixum, tanquam ad ultimum calamitatis suæ asylum se recipit & confugit, qui in splendidissima nubis columna versùs Orientem in cruce longa extensus illi de nocte apparuit, planéque jussit, ut forti animo in aciem descenderet, fore, ut Saracenorum copias feliciter devinceret, & insignem ab eis reportaret victoriæ palmam: *Confide Alphonse* (erant verba Christi crucifixi) *confide, non solùm enim hoc certamen vinces, sed omnia alia, in quibus contra inimicos crucis pugnaveris: volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire, ut deferatur nomen meum in exteras gentes, & ut agnoscant Successores tui datorem regni, insigne tuum, ex pretio, quo ego humanum genus emi, & ex eo, quo à Judæis emptus sum, compones. & erit mihi regnum sanctificatum, fide purum & pietate d lectum.* Quibus dictis Crucifixus ille in auras disparuit; Alphonsus autem mox orto die plenus fiduciâ exercitum suum colligit, & in hoc signo SS. Crucis ac quinque SS. Vulnerum cum Mauris dimicans, non duntaxat glorioſam ab eis obtinuit victoriam, sed & fidem, crucémque Christi in illis Barbarorum regionibus invexit. Et ut posteri suique regni Successores perpetuam hujus rei haberent memoriam, sancivit, ut imposterùm Reges Portugalliæ pro suo insigni semper crucem & quinque Christi Vulnera ferrent: *Ex illo*, ait Thom. Bozius, *insigne Regibus Portugallensibus fuit quinque Christi plagis ornatum vexillum.*

S. Hieron. in Psal. 95.

4. Vides ex his enarratis, Christiane Lector! quòd in veritate *Crux Christi* juxta S. Hieronymum, *sit firma totius generis humani columna*, ac solidum fundamentum, cui innititur Ecclesia, & in quo hactenus omnes hostes suos gloriosè vicit, ac debellavit. Hanc, inquam, mysticam nubis & ignis colnmnam, etiam tuis quotidie præfige actionibus, hanc cum populo electo sequere, & à salutis tramite non aberrabis. Ita ipse Christus in forma & specie Crucifixi apparens, Beatæ

Angu-

Angelæ Fulginati explicuit, jussitque, ut in plagas suas grato ac devoto animo sæpiùs respiceret, hoc enim quàm maximè præ cæteris bonis operibus sibi gratum & acceptum esse: *Quicunque*, subjungebat Crucifixus, *vult invenire gratiam, non levet oculos à cruce.* Hadr. Lyr. de Christo Pat. lib 5. cap. 8.

5. Nec absimile illud est, si non mirabilius, quod de Venerabili Elisabetha Wansia refert Hadrianus Lyræus. Hæc genere nobilis, sed virtute ac pietate in Christum patientem longè nobilior tanto crucifixum Redemptorem suum amore persecuta est, ut semper illum ante oculos mentis & corporis haberet, & nunquam è memoria eum dimitteret, qræ vicissim meruit, ut neq; à crucifixo Domino suo dimitteretur, siquidem per tres annos integros, quocunque hæc devotissima Elisabetha se contulit, semper crucifixus Salvator eam in itinere comitatus est, nec unquam ab illius conspectu discessit, cujus ope omnes tentationes & difficultates superavit, & vitam felici morte terminavit. Tanti refert Crucifixum sincerè amare & meditari. Hadrian. Lyr. loc cit. Bolland. 24. Januar.

6. De S. Eusebia Virgine recensèt Bollandus, quòd post felicissimum ejus obitum sudo cœlo & in ipsa meridie crux quædam, tanquam lucidissima columna, quæ circumquaque coronâ ex stellis contextâ cingebatur, coram ingenti hominum multitudine apparuerit, & eandem Sacram Virginem usque ad sepulchrum comitata sit.

De S. Francisco Seraphico narrat Lucas Wadingus, quòd, cùm aliquando ex urbe Castelli ad ædem S. Mariæ Angelorum cum Socio F. Leone iter faceret, crux aurea & fulgidissima adinstar columnæ ignitæ illum præcesserit, quæ coram stante simul stetit, & cum ambulante ulteriùs se movit, donec tandem hunc Virum Dei ad locum destinatum feliciter perduxerit. Luc. Wading in Annalib. ad annum 1214.

His accensèo Neaniam, qui, cùm sub Diocletiano Imp. Christianos, velut alter Saulus, persequeretur, non procul Apaneâ in aëre crucem crystallo perlucido similem conspicatus est, de qua hæc vox egrediebatur: *Ego sum JEsus crucifixus Dei Filius, in hoc signo, quod tibi apparuit, vince hostes, & pax mea erit tecum.* Ad quod Neanias, nunc in Paulum mutatus, & divino gaudio repletus, se promptum ad omnem divinam obtulit exequendam voluntatem; unde Christianus effectus & sacro fonte initiatus, paulò pòst illustri Martyrio coronatus, vitæ cursum pro Christo crucifixo consummavit. Sur. Tom 4. & Ragatta Tom. 1 l. 5. c. . n 36.

Anime mi, sequamur & nos Imperatorem nostrum, in columna S. Crucis (dum Crucifixum aspicimus) quotidie nos præcedentem. Dux hic noster est, qui primus cruce oneratus, in pulvere gradum posuit, & vestigia impressa nobis reliquit: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes &c.* Hebr. 13, 13

CONSIDERATIO XVII.

Crux Dominica Servis Dei omnes indulcorat labores, ærumnas, miserias & adversitates, ipsámque mortem.

Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sustinuit.
Ecclesia in Officio de S. Cruce.

1.

CUm Moyses dux ac legifer Hebraicum populum per desertum Sur in Palestinam duceret, nec in gravissima siti aquam inveniret, quâ fatiscentem reficeret multitudinem, nisi aquas amarissimas de Marath, impensiùs cœpit invocare DEUM, ut populum suum in tanta dulcis aquæ penuria
Exod. 15. 26. non desereret: *At ille clamavit ad Dominum, qui ostendit ei lignum, quod cùm misssisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt.*

Per lignum hoc, cui Abulensis nomen *Adelpha* tribuit, communiter SS. Patres crucem Dominicam subaudiunt, quod dulce lignum omnes nostras amaritudines, dolores ac cruciatus solet indulcorare:
Cornel. hic. *Hoc lignum*, ait hic Cornelius, *significat lignum crucis, illius enim virtute, memoriâ & meditatione Sanctis omnis labor & dolor dulcescit* Per aquas autem amaras de Marath tribulationes, tentationes, persecutiones, labores, infirmitates, ac sexcentas alias ærumnas intellige, de quibus Regius
Ps. 68. 2. Vates in propria testatur persona: *Intraverunt aquæ usque ad animam meam.* Si ergo desideras, anime mi, ut aquæ istæ amaræ in hac mortali vita tua tibi pariter reddantur dulces, mitte in eas lignum S. Crucis, ubi omnis amaritudo tibi in optatam vertetur dulcedinem: *Lignum*, ait, Lippomanus, *id est crux, dulcia facit omnia hujus mundi adversa*

2. & quid in dubium vocas admirandam hujus sacratissimi ligni virtutem? An non modicum farinæ amarissimam illam ollam colocynthidis & herbis mortiferis impletam, de qua filii Prophetarum clamabant: *Mors in olla, mors in olla*, uno momento indulcoravit, & ad
4. Reg. 4. 41. comestionem amabilem reddidit: *Et non fuit quidquam amaritudinis in olla?*

An

An non aqua illa fætens ac sterilis Jeruchuntina per modicum sal à Propheta immissum, in dulcem versa, & à sua innata amaritudine ac sterilitate sanata est ? *Et egressus ad fontem aquarum, misit in illum sal, & ait: Hæc dicit Dominus, sanavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque sterilitas : sanata sunt ergo aquæ usque in diem hunc.* 4 Reg. 2. 19.

Quantò magis dulcissimum lignum SS. Crucis pretiosissimo Christi sanguine sanctificatum ac purpuratum, aut minima ejus particula omnes humanas nostras miserias ac calamitates in vita & in morte poterit indulcorare : proinde haud immeritò hoc sacrosanctum vitæ lignum ab Ecclesia appellatur : *Dulce lignum, dulcia ferens pondera, supra omnia ligna Cedrorum, in quo salus mundi pependit, in quo Christus triumphavit, & mors mortem superavit in æternum.*

3. Paulus, ut Hebræos suos recèns ad Christum conversos ad patientiam ac constantiam in fide inter tot adversa ac persecutiones in primitiva Ecclesia animaret, illis Christum crucifixum, tanquam certaminis & cursûs metam, terminum ac præmium præposuit: *aspicientes in Auctorem fidei & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Ubi Paulus, prout hic observat D. Chrysostomus, allusit ad pictores, qui, ut ex prototypo & exemplari similem exprimant imaginem, ipsum prototypum & exemplar sæpissimè respiciunt, & contemplantur. Sic vult S. Paulus, qui de se ipso testatur : *Christo confixus sum cruci*, ut Hebræi quoque, & Christiani omnes ipsum fidei & patientiæ exemplar, hoc est, Christum JEsum & hunc crucifixum assiduè intueantur, illiúsque virtutes in se exprimere satagant, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem* Sic Christi exemplo animati omnes SS. Apostoli, Martyres, Virgines proposito sibi gaudio sustinuerunt crucem, confusione contemptâ, quia crux Christi illorum indulcoravit dolores ac cruciatus, & tyrannorum minas & cuncta eorum irriderent tormenta. Hebr. 12. 2. Gal 2. 19.

4. Videamus exempla. S. Vincentius, cùm in equuleo, velut in cruce distentus, pro Christo amore suo acerbissimos pateretur dolores, ac ferreis unguibus, cadentibúsque laminis torqueretur, Dacianum tyrannum cum tortoribus irrisit : *Has epulas*, inquiebat (tormenta quæ mihi infligis) *ego semper desideravi; nunquam aliquis adeò servivit mihi, sicut tu.* Cornel ad Hebr. 11. 1.

SS. Marcus & Marcellianus, fratres, ad prægrandem stipitem, tanquam ad crucem, alligati, ac in pedibus clavis ferreis confixi, Christum & hunc crucifixum cantando laudare usque ad finem vitæ non cessarunt, unde ad Fabianum judicem inter gravissimos cruciatus dixerunt: *Nunquam tam jucundè epulati sumus, quam hæc libenter JEsu Christi causâ perferimus, in cujus amore fixi esse cœpimus, utinam tamdiu nos hæc pati sinat* Martyrol. & Brev. Rom. 18 Junii.

sinat, quamdiu hoc corruptibili corpore vestiti erimus, qui diem noctémque inter divinas laudes canentes, denique telis transfixi, læti ad Dominum suum migrarunt.

Brev 9. Nov. S. Theodorus M. licet toto corpore dilaceratus, læto tamen animo in suis cruciatibus ad crucifixum amorem suum respiciens decantabat: *Benedicam Dominum in omni tempore.*

Brev. 4. Mar. S. Bonifacius ferreis ungulis crudelissimè excarnificatus, memor sui prototypi, Christi JESU crucifixi, alacri animo in suis exclamabat cruciatibus: *Gratias ago tibi Domine JEsu Christe, Fili Dei*, donec tandem ab olla picis ferventis integer cervicem gladio porrexerit.

Brev 1. Febr. S. Ignatius Martyr in Amphitheatro Romano ad leones & Leopardos damnatus, præ gaudio exultans, respiciens exemplar suum crucifixum exclamavit: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur, desiderans, ut JEsum Christum inveniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar.* Et quid nos agimus miseri, in tribulatione aliqua constituti? Ecce dulce lignum crucis omnes SS. illorum Martyrum indulcoravit amaritudines; & nos quid agimus in aliqua tribulatione, derelictione & persecutione constituti?

5. In mentem hìc mihi venit generosus ille miles & Regis Saulis supremus Capitaneus, David inquam, qui, ubi robustum illum gigantem lapide prostravit, & gladium illi eripuit, quo illius scelestum amputaret caput, atque fugientium Philistinorum tergo insistens, stragem latè victor edidit, submissas DEO gratias ob tam insolitam obtentam victoriam egit, in quem finem illum Psalmum com-

Psal 143. 1. posuit: *Benedictus Dominus, Deus meus, qui docet manus meas ad prælium,*
Vita & Nadal 25 Novembr *& digitos meos ad bellum.* Laudo Davidem, sed magis extollo S. Barlaam fortissimum Christi Martyrem, qui Cæsareæ in Cappadocia tyrannum & ignem insolidâ ac planè admirandâ fidei constantiâ superavit, de quo refert Vita, quòd enormi crudelitate flagellatus, dexteram suam thure plenam jussus fuerit super carbones ignitos tenere, eâ conditione, ut si vel unicum thuris granum in subjectum, manu laxatâ, demitteret ignem, hoc ipso, quasi diis Gentilium sacrificans censeretur. Et quid ad hoc fortissimus Christi athletha? Memor crucifixi sui amoris manum suam in pugnum compressam, tamdiu super ignem inmotam tenuit, donec illa penitùs absumeretur, interim lætus illud Davidici decantans: *Benedictus Dominus, Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Brev. Rom. 10. Aug. Et quid dico de S. Laurentio in ignea craticula collocato, scorpionibus & plumbatis cæso? Hic, ubi ad latus tyrannum vidit adstantem,

stantem, generoso & jucundo animo illum allocutus est: *Assatum est, versa & manduca.* Exinde oculos ad cœlum levans, lætâ voce exclamavit: *Gratias tibi ago Domine, quia januas tuas ingredi meruí.*

6. Progrediamur ulteriùs. Cùm B. B. B. Paulus Miqui, Joannes de Gotho, & Jacobus Chisai tres Japones Soc. JEsu sub Taicosama Japoniæ Imperatore Nangazachi Anno 1597. pro Christo post aures præcisas & alias incredibiles exantlatas ærumnas tandem ad crucis damnati essent supplicium, læti omnes cum Psalmorum cantico ad eam perrexerunt, in qua suffixi tanquam ex cathedra zelo mirabili Christum & hunc crucifixum circumstantibus Japonibus prædicarunt. Tandem lanceis à carnificibus latis vulneribus in pectore transverberati, generosum spiritum Deo tradiderunt. Tantum apud illos potuit exemplum crucifixi JEsu, qui omnes illorum amaritudines in dulcorem convertit. Ricciusin Triumpho Crucifixorum.

Sic Joannes Fischerus Episcopus Rossensis ab Henrico 8. Angliæ Rege Schismatico, quia impiæ illius petitioni consentire noluit, ad mortem damnatus, & ad supplicii locum ductus, læta voce decantavit: *Te Deum laudamus*, & Edmundus Campanus S. J. *Hæc dies quem fecit Dominus, exultemus &c.* Sic Joannes Ogilbertus S. J. in Scotia nobili genere natus, & martyrii sitientissimus, ubi à Calvinistis captus, & ad patibulum tractus fuit, crucem suam, quam priùs amplexatus & deosculatus est, alacri animo ascendit, in qua constantissimè Christum crucifixum prædicans, & pro crucifixoribus orans, demum de gradu à carnificibus deturbatur, grata Deo victima occubuit. Georg. Steng. in lib. cui titulus: Vis & virtus exemplorum.

7. Sic Apostoli omnes *ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine* JESU *contumeliam pati*, hoc enim exemplar, quod in monte Golgothæo illis monstratum est, illis omne dolorum fel in dulce consolationis mel convertit. Audi S. Augustinum eleganter ad propositum nostrum loquentem: *Tu Domine*, ait in Soliloquiis, *es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia amara dulcorantur; tua enim dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit: tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit: Pro tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine tuo contumeliam pati. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat. Hæc enim tua dulcedo ipsos Apostolorum Principes sic replevit, ut pro ipsa crucis patibulum unus eligeret, alter quoque caput ferienti gladio supponere non timeret. Pro hac emenda Bartholomæus propriam pellem dedit. Pro hac quoque gustanda veneni poculum intrepidus Joannes potavit &c.* Act. 5. 41. S. August. in Soliloq. c. 22.

Vides ex his, Anima christiana, quàm suavis sit Dominus & Amor tuus crucifixus, qui omnes tuas amaritudines, si illum mente atten-

attentiore fueris contemplatus, in dulcorem vertet. Proinde in omnibus tentationibus, anguſtiis & tribulationibus, quæ poſſunt accidere, ad crucem fuge, & non invenies efficacius remedium, quàm hoc dulce lignum, cui tandem pro lemmate inſcribo: *A ligno dulceſcit amarum.*

CONSIDERATIO XVIII.

Virga ſiccea & arida Aaronis de novo refloreſcens typus SS. Crucis Dominicæ.

Invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores. Num. 17. 8.

1.

DE virga Aaronica, quæ alia à virga Moyſis fuit, referunt Sacræ litteræ, quòd, licèt prorsùs ſicca & arida fuerit, in tabernaculo tamen fœderis repoſita mirè inter omnes alias virgas de novo cœperit floreſcere, & poſt flores ſine mora & eodem ferè tempore ſuos proferre fructus: *Quæ cùm poſuit Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonii, ſequenti die regreſſus, invenit germinaſſe virgam Aaron in domo Levi, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt;* Quæ virga, prout cenſet Abulenſis, deinceps nunquam ampliùs deſiccata eſt, ſed ſemper cum floribus & fructibus virens & intacta permanſit, quia Dei opera perfecta ſunt. Unde pro memoria tanti prodigii in arca teſtamenti religiosè aſſervata eſt, cui nos pro epigrapha illud Iſaiæ Prophetæ inſcribimus: *Germinans germinabit.*

Num. 17. 7.

Hebr. 9. 4.

Iſa. 35. 2.

Per hanc virgam non immeritò Dominicam crucem intelligimus, quæ quidem arida & ſicca virga fuit, dum eam Judæi poſt conſummatam Chriſti paſſionem profundè in Calvario monte defoderunt, in quo loco longo tempore ſepulta fuit; verùm poſtquàm S. Helena Conſtantini Magni mater & piiſſima Imperatrix magno labore & ſtudio eam quæſivit, ac denuò invenit, mox de novo incepit refloreſcere, & innumera hactenus orbi univerſo conferre beneficia. Teſtis

eſt

eſt illa fœmina jam morti proxima, quæ ad unicum crucis Dominicæ attactum in monte Golgothæo revixit. Vide de hac re Breviarium 2. May.

2. De hac prodigioſa Dominicæ crucis virga pulcherrimum vaticinium tulit Vates Regius: *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.* Obſerva prudens Lector! quemadmodùm Reges terræ majeſtatem ac potentiam ſuam per auratas ac gemmatas virgas, ſeu ſceptra ſua ut plurimùm oſtentant: Sic Chriſtus per virgam SS. Crucis ſuæ potentiam ſuum quàm maximè contra omnes hoſtes tum viſibiles, tum inviſibiles manifeſtavit; proinde rectè S. Chryſoſtomus: *Non aberraveris*, inquit, *ſi crucem Domini voces virgam virtutis; hæc enim virga mare & terram convertit, & magna poteſtate complevit; cum hac virga Apoſtoli egreſſi per univerſum orbem omnia perfecêre &c.* Addit S. Chryſoſtomus, crucem eſſe coronis ſplendidiorem, armaturam invictam, murum inexpugnabilem, munumentum inexpugnabile, trophæum contra dæmones, atque gladium contra peccatum. De Mercurio credebant Gentiles, quòd per virgam ſuam animas ex Orco evocaverit, & Midas Rex omnia virgâ ſuâ converterit in aurum. Plus Chriſtus, qui per crucem, *virgam virtutis ſuæ*, animas Patrum eduxit de limbo, animas purgantes ex purgatorio, latronem & peccatores pœnitentes transvexit in cœlum, atque ſic reparavit & implevit ruinas Angelorum. Pſal. 109. S. Chryſoſt. orat. de cruce

3. Et ſequitur: *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Alludit hìc remotè Propheta Regius ad triumphatores, qui poſt obtentam cruentam victoriam in curru regio exaltati ante ſe ſuos cernebant hoſtes devictos, captivos ac catenatos. Ita quoque Chriſtus in ipſa cruce dominabatur in medio inimicorum ſuorum, videlicet latronum, Scribarum, Phariſæorum, Judæorum, Gentilium & aliorum inſultantium, in qua & de dæmone ac inferis triumphavit, ac moriens mortem deſtruxit; Deſcendens autem ad inferos, dominatus eſt etiam in medio Patrum antiquorum, quibus expoſuit de virga virtutis ſuæ, per quam orbem domuit univerſum. Hinc & Angeli, dum cernebant hunc Regem gloriæ portas æternales intrantem, attoniti interrogabant: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et acceperunt divinum reſponſum: *Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ*, qui per virgam crucis ſiccam quidem, ſed nunc per univerſum terrarum orbem florentem, omnia reſtauravit in integrum; proinde rectè cruci exaltatæ pro lemmate inſcribes illud S. Auguſtini: *Non ferro, ſed ligno.* Pſal. 109. Pſal. 23. 10.

4. Conſulamus Conſtantinum M. primum Chriſtianum Imperatorem, qui orbem non ferro, ſed ligno & ſigno S. Crucis domuit. Alphonſ. Ciaconius de Signis S. Crucis.

Cùm hic adhuc esset Gentilis, sole paululùm à meridie deflectente, in ipsis solaribus radiis, cùm contra Maxentium tyrannum cum exercitu suo præliaturus proficisceretur, signum S. Crucis manifestis oculis & clarâ die conspicatus est, legitque hanc consignatam in cœlo aëreo inscriptionem: *In hoc signo vinces.* Eventus rei ostentum probavit, nam eâdem nocte Christus Dominus, cum hoc signo priùs in cœlo monstrato ei apparuit, mandavitque, ut quantocyùs simile quoddam exemplar effigiaretur, quod tanquam firmissimum præsidium contra omnes hostium insultus adhiberet, in quo & omnes superaret hostes, patriam conservaret, felicissimámque obtineret victoriam. Itaque mox altero die Constantinus SS. Crucis signum, prout in solaribus radiis illud viderat, vice labari Imperatorii substituit, & auro, gemmísque ornatum militibus in castris in unum congregatis proposuit, quam crucem totus mox exercitus genu flexo adoravit, cujus virtute militares Maxentii copiæ deletæ, & ipse tyrannus, velut lapis, è ponte Milvio Romæ in profundum Tyberis gurgitem præcipitatus est, nunquam ampliùs ab ullo mortalium inventus. Quâ partâ victoriâ Constantinus M. victor glorioſus & nunc Christianus Romæ in foro celeberrimo statuam marmoream sibi erigi curavit, quæ loco sceptri crucem tenuit cum hac subscriptione: *Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, Civitatem vestram tyrannidis jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui.*

5. De Assuero Persarum Rege potentissimo recensent Sacræ Paginæ, quòd, cùm Esther Reginam vidisset, atrium interius ingredientem, & contra edictum regium se vitæ exponentem periculo, nihilominùs eam comiter exceperit, dum virgam suam auream, hoc est sceptrum, quod manu gestabat, contra eam extendit, hac extensione suam erga illam significans animi propensionem, gratiam ac clementiam, ut secura, licèt contra legem non vocata, ad se posset accedere; & observat ulteriùs Scriptura, quod Rex hanc virgam suam auream posuerit super collum Esther: *Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus.*

Esther 5. 2.

Per hanc virgam Hieremias Drexelius crucem Dominicam subaudit: Felix, inquit, ille Christianus, cui Rex Regum Christus hanc sacratissimam virgam collo imponit, & ad osculandum exhibet, est enim hoc summæ gratiæ signum crucis Dominicæ fieri participem. Osculare humiliter cum Regina Esther hanc mysticam virgam licèt collo tuo impositam, quia *virga directionis & virga regni.* Neque Dominus aliter in hac terra regnare voluit nisi à ligno, unde Propheta Regius: *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit.* Septuaginta addunt: *à ligno,*

Drexel in Gymnas. Patientiæ.

Psal. 44 9.

à ligno, hoc est à cruce & in cruce: Hinc Ecclesia: *Regnavit à ligno* DEUS. In hymno de S. Cruce.

6. His consideratis considerandis, si non aliud Christi regnum in hoc mundo fuit, quàm regnare à cruce, profectò devotus miles non debet sentire sua, cùm Regis ac Ducis sui contemplatur vulnera; nam si caput nostrum spinis oneratum, gravissimóque crucis trunco pressum dolet; quid nos facere oportet, qui membra ejus sumus? Et quid multis? non est alia via in cœlum, quàm via regia Sanctæ crucis, si ergo discupis cœlestis esse hæres regni, imitare Ducem & Antesignanum tuum crucifixum JEsum; proinde rectè Apostolus: *Hæredes quidem sumus Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. 17. Sed attende hìc mirabilem clausulam, anime mi! *Si tamen compatimur, ut & glorificemur.* Nota hìc: *Si tamen compatimur.* Hoc, si salutem tuam amas, tibi applica, & crucem tuam fer patienter.

7. Hanc Considerationem nobis claudat Rudolphus Comes ab Habsburg & primus hujus nominis Imperator. Anno Domini 1273. die 12. Octobris Francofordii post multam disceptationem tandem unanimi Electorum consensu in Imperatorem electus est ille Rudolphus, vir & sapientiâ & pietate ac animi magnitudine nulli secundus. Qui cùm Aquisgrani coronatus esset, & solitum juramentum à Principibus exigeret, virgam, in qua argentea imago crucifixi fixa erat, arripuit: *Ecce*, inquiebat, *signum, in quo salvatus est mundus: hoc loco sceptrum tenemur*, ad quod insolitum dictum & factum Principes Imperii, in proposito nonnihil vacillantes, commoti, Crucifixum humili osculo venerati sunt, & lubenti animo Imperatori recens electo & coronato juramentum fidelitatis supra eandem crucis virgam & SS. Vulnera JESU præstiterunt. In quo signo Rudolphus, quod in bello præterebat Abbas Habsburgensis, & Ottocarum Regem Bohemiæ feliciter superavit, & plures victorias ab inimicis suis ope SS. Crucis reportavit, unde cognomento appellatus est *Victoriosus*. Tanti profuit Rudolpho à virga virtutis & SS. Crucis cœpisse regimen. Sand us in Stauroph. lib. 59. Tit. 13.

CONSIDERATIO XIX.

Botrus à duobus viris in vecte portatus, non obscurè Christum adumbravit Crucifixum.

Abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portaverunt duo viri &c. Num. 13. 24.

1.

TRansierat jam annus & menses tres ab exitu Hebraici populi ex Ægypto, ubi Moyses in solitudine Arabiæ quosdam Exploratores in Chanaan ablegaverat, qui illius Regionis situm, populi mores & fertilitatem loci non tam explorarent, quàm & de frugibus illius terræ secum in sua castra reportarent. Erat autem tunc tempus primarum uvarum sub initium Junii, quo mense in Palestina utpote regione calida uvæ primæ & optimæ jam incipiunt matureſcere. Cùm ergo dicti Exploratores inter alios pulcherrimos fructus etiam insignem quandam ac prægrandem uvam in vineis observâssent, illam in abitu cum palmite abscíderunt, quam duo viri Josue & Caleb, qui semper hanc fertilissimam terram Chanaan cæteris meticulosis Hebræis commendaverant, in vecte in castra sua ad Moysen & universum populum deportarunt: *Pergentésque usque ad Torrentem Botri, abscíderunt palmitem cum uva sua, quem portavérunt in vecte duo viri &c.* Cui elegantissimæ figuræ illud, quod Ecclesia in hymno de S. Cruce cantat, pro epigraphe inscribo: *Dulce pondus sustinet.*

Num. 13. 24.

Botrus hic ex terra promissionis in Judæorum castra allatus, quid aliud designavit quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Per vectem, quem duo viri portabant, quid aliud præsignatum est quàm Crux, in qua divinus ille Botrus pependit, & usque ad ultimam sanguinis guttam pro salute nostra expressus est? Per duos viros, qui hanc miræ magitudinis uvam ferebant, quid aliud agnoscimus quàm duo testamenta, vel si mavis, populum Judaicum & Christianum, ubi

Judæi

Judæi quidem in fide in Christum Messiam præibant, sed in Crucifixum credere noluerunt, Christiani verò botrum secuti salutem & vitam obtinuerunt. Et hoc est, ad quod alludit Apostolus: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum: Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, ipsis autem vocatis Judæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam &c.* Audi & S. Augustinum, *Hanc uvam,* inquit, *duo deferunt inserto vecte pendentem; possunt isti duo etiam Christianum vel Judaicum populum figurare: Isti ergo sunt duo, id est Synagogæ vel Ecclesiæ populi, & quia prior fuit Judæorum populus, præcedit Judæus, sequitur Christianus: Salutem suam hic ante conspectum suum gerit, ille post dorsum; hic obsequium præfert, ille contemptum. Laboremus ergo, ne à cervicibus nostris tam sanctam sarcinam deponamus &c.* 1. Cor. 1 23. S. August. serm. 90. de tempore.

2. Sponsa illa dilecta, ubi Dilectum suum & electum ex millibus ob passionem à se obitam fasciculo myrrhæ comparavit, mox eundem suum amantissimum Sponsum Botro Cypri assimilare non dubitavit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Et quare Botrus Cypri? Cant. 1. 13.

Observa: Botrus Cypri dulcissimus ac pretiosissimus est, vinúmque præstantissimum, quod vulgus Malvasiam vocat, in torculari pressus effundit; sic Christus in torculari amarissimæ passionis pressus & expressus, nobilissimum vinum Engaddianum, hoc est Sanguinem pretiosissimum Sponsæ suæ Ecclesiæ dedit ac propinavit: *Cujus haustu,* ait Cornelius, *etiamnum ipsa vivificatur, atque reficitur, lætificatur, atque inebriatur.*

Unde pergit eadem Sacra Sponsa: *Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.* Cella ista vinaria sunt sanctissima Christi vulnera, ex quibus non tantùm fons effluit gratiarum & omnium benedictionum, sed & vinum nobilissimum germinans virgines: *Voluit Christus,* ait Venerabilis Vincentius Caraffa Soc. JESU Præpositus Generalis dignissimus, *post mortem cor suum lanceâ aperiri, & transfigi ad reserandum nobis quintum fontem aquarum salientium in vitam æternam, super alios quatuor ante reseratos, quibus ablueremur, refocillaremur, & nutriremur.* Bibite ergo ex his fontibus, charissimi, & omnes veri crucifixi amatores ac cultores, donec inebriemini; Bibite securè. Cant. 2. 4. In Fascicul. Myrrhæ.

3. Somnia sunt somnia, sed non omnia, quia subinde DEUS per somnia multa revelavit & præsignavit mysteria, quale illud somnium fuit, quod Pincerna ille regius quondam in Ægypto in carcere constitutus habuit: *Videbam,* inquiebat ad Joseph, *coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores uvas maturescere, calicémque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Bova nova! reponebat Gen. 40. 9.

Joseph:

Joseph: *Post tres dies recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum*, quod & factum est. Videns Pistor regius, quòd Joseph prudenter hoc somnium interpretatus esset, & ipse somnium suum enarrare cœpit: *Et ego vidi somnium, quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum, & in uno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, avésque comedere ex eo.* O pessimum hoc somnium est, subjungebat Joseph, excusa me de sinistra, sed vera interpretatione: *Tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce*

Quæres hìc Lector prudens, quare Pincerna in libertatem & in gradum honoris pristinum fuerit restitutus, & pistor econtra ad patibulum damnatus & infami affectus supplicio? Observa Scripturam: Pincerna vitem vidit, & in ea uvas matureſcere, quas expressit in calicem, deditque Pharaoni ad bibendum: Per uvas illas in calicem expressas nonnulli Interpretum cum S. Augustino Christum & hunc crucifixum accipiunt: *Calicem salutaris*, ait S. Augustinus, *& vinum lætitiæ de illa spirituali uva nobis prelum crucis expressit*, quia ergo Pincerna ille, licet in umbra tantùm, omnem suam salutis spem in mystica illa uva (crucifixo JEsu) collocavit, meritò salutem obtinuit & libertatem. Econtra Pistor similem uvam & botrum non vidit, sed aves & corvos ex canistro panes furantes, hoc pessimum illius & omnium procrastinatorum erat augurium & reprobationis signum. O Christiani! evigilate tandem, quia multi adhuc inter vos sunt imbecilles & inimici crucis Christi, de quibus Apostolus: *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus &c.* O caveamus, amice Lector! ne fiamus aliquando inimici crucis Christi, in cruce enim Domini nostri JESU Christi omnis nostra salus, vita & resurrectio constituta est.

S. August serm 100. de Temp.

Philipp 3. 8.

4. De elephante, qui inter alia animalia majoris corporis ac virtutis est, refert Scriptura ac Machabæorum historia, quòd milites ingruente prælio ei uvam ostenderint, eámque in conspectu ejus expressérint, cujus viso sanguine mirum in modum ad cruentum cum hoste ineundum certamen animatus est. *Et elephantis ostenderunt sanguinem uvæ & more ad accendos eos in prælium.* Per hanc uvam expressam non immeritò SS. Patres Christum JESUM & hunc crucifixum subaudiunt, qui in torculari crucis, velut uva pressus, si devota & attenta mente consideratur, miro modo servos suos animat ad certamen forte cum diabolo, mundo, carne ineundum: *Si enim*, subintrat hic Cornelius, *sanguis uvæ accendit elephantem, ut memor beneficii & curationis per illum ab hoste acceptæ, pro eo depugnet, & in gladios hostásque prorumpat; Quid non*

2. Machab 6. 34.

facere

facere oportet intuentes Christum, qui pro nobis omnem suum sanguinem, vitá nque in cruce profudit?

5. Hebræi illi ac Gentiles, qui in cruento illo spectaculo crucifixionis Filii Dei usque ad mortem ipsius stabant in Calvario monte præsentes, ubi considerabant attentiore animo hunc mysticum Cypri Botrum usque ad supremam cruoris stillam in torculari crucis expressum, in se non sine singulari fructu ex aspectu morientis Christi reversi sunt; unde de illis refert S. Lucas: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23. 48.

Vide ex his & considera, anime mi, quòd non careat singulari fructu memoria pientissimi Redemptoris nostri in cruce pendentis, si vel obiter aspiciatur, vel quod salubrius est, meditando ad formandam practicè vitam inspiciatur. Proinde non incongruè S. Cyrillus: *Quisquis*, inquit, *oculum animi in Christum cruci affixum converterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur, percutiet pectus suum, reversus per pœnitentiam ad Salvatorem.* S. Cyrill. lib. 8. cap. 7.

O animæ Christianæ! ad suavissimum hunc Botrum, crucifixum JESUM invito vos omnes; Botrus, prout constat, ad bibendum & comedendum aptus est; vultis bibere de dulcissimo hujus uvæ sanguine? Ecce calix Domini quàm præclarus est, venite ergo ad hanc cellam vinariam, quinque plenissimis gratiarum canalibus in rupe Golgothæa in vestram salutem fluentem; vultis cibum suavissimum? ad mensam Eucharisticam digni accedite: *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.* Cant. 5. 1.

CONSIDERATIO XX.

Petra Moysis, ex qua percussa fons vivus emanavit, typus Christi crucifixi.

Percussit petram, & fluxerunt aquæ. Psal. 77. 20.

1.

Cùm populus Israëliticus in arido deserto gravissimâ laboraret aquarum penuriâ, omnésque fontes ac putei in Cades essent desiccati, parùm abfuit, quin tota populi multitudo contra Moysen & Aaron in seditionem verteretur: *Cúmque indigeret aquâ populus, convenerunt adversùm Moysen & Aaron & versi in seditionem dixerunt: utinam periissemus inter fratres nostros coram Domino Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, ut nos & nostra jumenta moriamur?* In hac tristi rerum facie, cùm tumultus, murmur & contradictio vulgi contra Moysen & Aaron in universis castris ac tribubus increparet, Moyses dimissâ seditiosâ turbâ, solo fratre stipatus tabernaculum fœderis ingreditur, ubi pronus coram arca Dei corruens, humilibus votis DEUM exorat, ut populo suo sitienti thesaurum & aquæ vivæ fontem adaperiat. Apparuit autem ibidem gloria Domini super eos, jussítque Dominus Moysen, ut virgam suam tolleret, & in deserto petram præ cæteris eminentiorem percuteret: *Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregatâ multitudine ante petram, dixitque eis: Audite rebelles & incredduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere? Cúmque elevasset Moyses manum, percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta &c.*

Num. 20. 2.

Per hanc petram S. Paulus Christum JEsum & hunc crucifixum intelligit: *Petra autem erat Christus*; per virgam D. Augustinus crucem Dominicam accipit: *Quòd virgâ*, inquit, *petra percutitur, crux Christi figuratur, ligno enim accedente ad petram gratia manavit, & quòd bis percutitur, evidentiùs significat crucem, duo quippe ligna sunt crux*; per aquam vivam largissimè de petra in salutem populi præmanantem, divinus ille Sanguis & aqua præfigurabatur, de quo dilectus ille Christi discipulus: *Unus militum Lanceâ latus ejus aperuit, & continùo exivit sanguis & aqua.*

1. Cor. 10. 5.
S. August. lib. 4. sup. Num. q. 35.
Joan. 19. 34.

Sub

Subintrat hìc S. Ambrosius: *aqua*, inquit, *& sanguis exivit, illa quæ diluat, iste qui redimat.* Et S. Hieronymus: De latere ejus *cùm percussus est, sanguis & aqua processit: quod baptismum & martyrium figuravit.* S. Ambros. in c. 23. Luc S. Hieron. in Psal. 77.

2. Observat autem S. Paulus Gentium Doctor, quòd petra illa prædicta, quæ universæ Hebræorum multitudini saluberrimas in solitudine subministrabat aquas, populum per desertum per varias vias & ambages peregrinantes subsecuta sit: *Bibebant autem de spirituali, consequente eos petrâ.* Et quemadmodum cœleste manna, quamdiu Hebræi in prædicto degebant deserto, illos quotidie sequebatur, quo erant nutriti ac conservati: Ita & aqua ex petra percussa, jugiter promanans, imposterùm populum concomitata est: *Consequente eos petra;* Et si Theodoro & Cosmographis credimus, adhuc in hodiernum usque diem non deficit. 1. Cor. 10. 4.

Ex hac pulcherrima figura nosce figuratum: Sic Christus crucifixus, vera salutis petra, per gratiam suam semper hactenus secutus est Ecclesiam suam, & etiamnum incessanter sequitur, subministrans ex vena Sacratissimi Cordis sui sanguinem & aquam: *Aquam*, ait Mallonius, *quâ lavaremur à peccatis, sanguinem, quo nutriremur.* Mallon de S. Sindon. apud me fol. 271.

3. S. Clementem quartum à Christo Pontificem Maximum consulamus, qui pluris S. Petri & D. Pauli æstimavit disciplinam, quàm Imperatoris Domitiani affinitatem; Qui cùm propter fidem Christi JESU crucifixi, quem intrepitus prædicabat, in Insulam quandam transmarinam, Chersonesum vocant, à Trajano Imperatore fuisset relegatus, ut ibidem fame, siti, labore, aliisque conficeretur ærumnis, ingentem illic locorum invenit Christianorum multitudinem, ad secanda marmora, & eruenda saxa condemnatam, qui omnes de summa aquarum penuria apud Sanctum Pontificem conquesti sunt; humiliter & impensissimè eum rogantes, ut apud crucifixum amorem suum intercederet, quatenus ipsis venam aquæ vivæ adaperiret. Quid agit Sanctissimus Pontifex? Misericordiâ motus ob proximi salutem vicinum petrosum montem conscendit, ubi cùm non sine lacrymis preces ingeminasset in cœlum, in summo petræ jugo Agnum Divinum stantem conspicatus est, qui dextero pede *percussit petram, & fluxerunt aquæ* cum magno impetu per declivia montium, quâ omnes Christiani inter Dei laudes sitim explerunt, multique infideles, ubi hoc insolidum videbant prodigium, ad Christum crucifixum, verum illum Dei Agnum conversi sunt. Brev Rom. 23. Nov.

4. Et quid dico? Plures petræ etiamnum hodie per mirabile, vel Dei vel naturæ prodigium exhibent figuram crucifixi Domini. Ita Venetiis in celeberrimo S. Georgii M. templo in petra marmorea Quaresm Nüremb. l. 3. c. 7. Grerhser. & alii.

imago crucifixi Salvatoris nostri non sine admiratione à natura videtur impressa & elaborata.

Non longè à Madrito Hispaniæ Metropoli magnâ populi cum frequentatione colitur imago quædam Crucifixi JESU, quæ in dura petra expressa & ab ipsa natura sic impressa videtur.

In Poveia in quadam petra conspicitur devota aliqua imago Christi in cruce suspensi, quæ non hominum industriâ aut arte, sed ab ipso Authore naturæ, vel Angelorum ope videtur ita esse impressa.

Virgilius Cepartus in vita B. Aloys.

B. Aloysius Gonzaga S.J. cùm aliquando cum Serenissima Matre sua inter marinos oberraret scopulos, petram vidit quinque notis insignitam, quæ distinctè quinque Sacratissima Christi referebant vulnera; quam petram Beatus ille Juvenis singulari ob Christi crucifixi amorem coluit honore.

Prope Soriam in regno Hispaniæ petræ reperiuntur, quæ scissæ & divisæ in partes, in quolibet segmento & particula crucem figurant. Habeo de ejusmdi lapidibus plures ad manus. O utinam DEUS cordi nostro lapideo imaginem crucifixi Filii sui dignetur imprimere, uti quondam fecit B. Claræ de monte Falco, in cujus corde post beatum illius obitum Crucifixus divinitùs impressus, inventus est.

Le Blanc in Psal 98. v. 1. fol. 173.

5. Audiamus de hac mystica Petra (crucifixo JEsu) quam Judæus percussit, mirabilem historiam. Homo quidam Christianus Constantinopoli supra januam domûs suæ imaginem crucifixi Salvatoris erexerat, quam impius Judæus de nocte transiens, ex odio in Christianam religionem, ipsúmque Christum innato, non duntaxat de loco dejecit, sed & cultro vultum ejus fœdè punxit ac vulneravit, ex quo inflicto vulnere sine mora ingens copia cruoris effluere cœpit, ipsásque Judæi sacrilegi commaculare vestes; qui rei novitate & miraculo perterritus sacram imaginem in propinquum puteum dejecit, & domum reversus est. Accidit, cùm manè facto homines ex more ad hauriendam aquam ad hunc publicum veniissent fontem, & inde non solitam aquam, sed merum haurirent sanguinem, magno terrore & admiratione repleti, per plateas civitatis discurrentes exclamarent: *Manbu, quid est hoc? Manbu, quid est hoc!* Adest in tempore urbis Præfectus, qui existimans quòd occisi cujusdam hominis in hunc puteum dejectum esset corpus, totum fontem aquis exhaurire mandat, in cujus tandem fundo non hominis occisi cadaver; sed crucifixi Redemptoris nostri imago pluribus sauciata plagis, & adhuc recenti manans sanguine inventa est. Quo miraculo Præfectus & sancto timore & commiseratione commotus, rem ad Imperatorem tunc adhuc Christianum defert, qui voce præconis proclamari in urbe jubet, ut, qui

hoc

hoc execrandum commisisset facinus, ultrò sese in judicio sisteret, indulgentiam enim & veniam ab Imperatoris benignitate reo certò sperandam, secùs sceleris auctorem extremis perimendum suppliciis. Audiit hoc fortè uxor præfati Judæi, quæ ex mariti sui timore & vestibus recenti sanguine tinctis, non imprudenter secum rationabatur, virum suum hujus enormis sacrilegii esse auctorem; igitur illum secretò ad Magistratum defert, à quo mox per submissos apparitores captus, & ad Imperatorem ductus est, ubi multis profusis lacrymis ultrò est confessus, se tanti esse reum flagitii, veniam tamen sperare & gratiam, quia cum tota familia sacrum baptisma & Christianam religionem discuperet suscipere, quod & factum est. Itaque veneranda illa Christi crucifixi imago magno populi cum concursu & devotione in Ecclesiam S. Sophiæ illata, & puteus deaurato coopertorio tectus & multo argento exornatus est. O Christiani omnes, venite ad hunc gratiarum fontem, Christum JEsum crucifixum, & Isa. 12. 3. *haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

CONSIDERATIO XXI.

Serpens æneus in deserto exaltatus, typus Christi JEsu pulcherrimus in cruce exaltati.

Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis. Joann. 3. 14.

I.

INter alias figuras, quas sacra Scriptura nobis de crucifixo Domino ac Salvatore nostro Christo JESU exhibet, non minima est illa, quam Moyses legifer & dux populi Israëlitici in solitudine quondam populo electo Dei proposuit. Acceperat hic populus plurima à Deo beneficia, quibus tamen non obstantibus sese ingratissimum erga summum hunc suum benefactorem exhibuit, & in publica murmura contra DEUM & Moysen erupit, quòd ex Ægypto

in tam vastum & aridum desertum fuisset eductus, ubi solùm levissimo manna (prout dicebat) sustentaretur: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo;* Quod murmur DEUS T.O.M. adeò indignè tulit, ut absque cunctatione in populum illum ingratissimum ignitos immiserit serpentes, qui suis venenatis morsibus ingentem in populo causarunt stragem; igitur pœnitentiâ ducti veniebant ad Moysen: *Peccavimus*, inquiebant, *quia locuti sumus contra Dominum & te, ora, ut tollat à nobis serpentes: Oravitque Moyses pro populo, & locutus est Dominus ad eum: Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo: Qui percussus aspexerit eum, vivet.*

Num. 21. 5.

Quid agit Moyses? Mox ingentem furcam, seu perticam adinstar litteræ T. in loco sublimi jubet erigi, & in ea vastissimæ molis serpentem ex ære candente conflatum, qui serpens in universis Israëlitarum castris, quæ juxta mentem Sacrorum Interpretum facilè ad sex milliaria Italica se extendebant, circumquaque à vulneratis & percussis Israëlitis videri poterat, ex cujus unico aspectu omnes infirmi per ingens prodigium à plaga & lethifera contagione fuerunt sanati: *Quem cùm percussi aspicerent, sanabantur;* Proinde hic serpens, qui solùm formam serpentis & non venenum habuit, rectè pro lemmate à nobis tulit? *Pharmacum: non venenum.*

2. Serpens hic æneus quid aliud designavit, quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Qui quidem formam serpentis, seu formam peccatoris assumpsit, sed venenum, seu peccatum non habuit, cujus unico aspectu miseri mortales per fidem & contritionem à lethali scelerum morsu sanantur. Audi ipsum Dominum tuum, dum pro sua benignitate ipse dignatus est hanc explicare figuram: *Sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Joan. 3. 14.

O bone JESU! ô amor crucifixe! Si quondam tui umbra in hoc typico serpente potuit efficere, ut venenatis morsibus percussi tam mirabilem in modum restituerentur sanitati & vitæ, quæ, obsecro, non speremus modò sub umbra alarum tuarum, ubi non in umbra & figura, sed in ipsa veritate in cruce pro omnium salute pendes exaltatus? *Bonus*, ait S. Ambrosius, *est serpens Christus, qui de ore suo remedia non venena fundebat;* Et S. Bernardus: *Non te pigeat videre serpentem in patibulo pendentem, si vis videre Regem in solio residentem:* Et S. Augustinus: *Fratres*, inquit, *ut à peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur; quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto non peribant: Sic qui intuentur fide Christi mortem, sanantur à morsibus peccatorum.*

S. Ambros. serm. 6 in Psal 118 & S Bernh. a S Aug. in hunc loc.

3. Ad

3. Ad exempla probata transeamus. Beatus Peregrinus ex Ordine Servorum B. V. vir integritate vitæ celebratissimus, cujus sanctitatem ac patientiam ut DEUS magis probaret, putridum illi ac insanabile ulcus in pede submisit. Accessit & periculosa quædam inflammatio, quæ medicis ansam præbuit, ut decernerent, ac unanimiter concluderent, crus hoc morbidum ad conservandam hominis vitam necessariò esse amputandum. Imminebat jam dies ad hanc lanienam destinatus, ubi interim B. Peregrinus fide ac fiduciâ in Christum JEsum crucifixum plenus, de stratu suo consurgens, quantum præ debilitate virium poterat, ad imaginem quandam Crucifixi Servatoris in capitulo publico Religiosorum venerationi expositam adreptavit, ad cujus pedes se humiliter abjiciens, divinam bonitatem vehementiùs exorabat, quatenùs sibi sanitatem, membrorúmque usum (si tamen ad divinam ejus cederet gloriam) benignissimè dignaretur concedere. Obdormiscit interim B. Peregrinus infirmus, ubi in visione quâdam Christum Dominum observat clavos ferreos de manibus & pedibus sui solventem, & de cruce ad se descendentem, ac insanabile crus suum leniter tangentem, ex cujus sacro attactu crus sine mora mirabiliter sanatum est. Quis lætior hoc B. Peregrino? Expergiscitur, crus ex integro sanatum sentit, & divinæ Majestati pro accepto tam insigni beneficio debitas persolvit grates. Cæterùm hæc thaumaturga imago Crucifixi apud Forolivienses, ubi hæc contigerunt, adhuc magnam habet venerationem, dum adhuc hodie plurimis coruscat beneficiis. In Annal. Sectorum B.V. centuriâ 2. lib. 1. c. 18.

4. Vis recentiora? Joannes Wernerus civis Augustanus per incantationes malevolorum diu in corpore suo crudele martyrium tulit. Accidit, ut negotiorum causâ in Marchionatum Anspacensem proficisceretur, ubi præ nimio pedum dolore ne quidem unum gressum facere poterat, unde in hospitium in pago Offenbau deductus est, ubi de nocte lectulo doloris affixus, cùm frustrà remedia humana applicarentur, ad DEUM ex toto corde confugit, votúmque vovit, si cooperante gratiâ divinâ ab hoc pessimo maleficio & intolerabili cruciatu liberaretur, se in celebri peregrinatione Sanctissimi & thaumaturgi Crucifixi in Biberbach Augustanæ Diœceseos quinque candelas in honorem 5. SS. Vulnerum Christi cum uno Sacro & certâ pecuniâ oblaturum.

Ecce nunc rem perpetuâ memoriâ dignam. Vix animo serio contrito ac fide in crucifixum JEsum pleno ægrotus noster hoc votum emiserat, in illo momento pes illius sinister, ubi dolor erat intensissimus, sua sponte usque ad ipsos ferè lumbos aperitur, ex quo (mirabile dictu) exierunt octo clavi ferrei, quibus aliàs equorum calces muniri Exactis Biberacensibus à Reverendissimo Officio confirmatis, anno 1685.

Nazoris JESU nomen fuit præliantibus ad victoriam, intus species Dominicæ passionis pericli tantibus ad salutem. Unde quia intellexit Rahab cœleste mysterium, dicit Dominus in Psalmo: Memor ero Rahab & Babylonis scientium me &c.

2. Cui sententiæ communiter & reliqui Sanctorum Patrum adstipulantur, inter quos præeminet S. Augustinus, qui per Rahab Gentilem, Ecclesiam Gentium sanguine Christi crucifixi redemptam, & ad Deum verum conversam intelligit. Rationem cum eo assignat Rupertus Abbas & alii: Sicut Rahab, inquiunt per funiculum coccineum salvata est, sic Ecclesia per sanguinem Christi. Secundò Rahab Hebraicè idem est quàm *dilatatio*; servavit enim domum suam, & omnes habitantes in ea ad cultum & agnitionem veri Dei adduxit; ita & Ecclesia per omnes Gentes se dilatavit, & etiamnum omnes nationes ad agnitionem & amorem crucifixi JEsu discupit adducere. Tertiò extra domum Rahab omnes in Jericho interfecti sunt: Ita extra Ecclesiam veram & catholicam exteris nulla speranda salus. Audiamus de hac re antiquissimum & Christianum Poëtam S. Paulinum ita de Rahab conversa cantantem:

S. August. in Psal. 86.

Rupert. c. 10.

S. Paulinus Natal VIII. S. Felicis.

Provida pullatas empetuum sanguine Gentes
Puniceo proprium signavit vellere tectum,
Excepitque suam, patriâ pereunte, salutem:
Significans illos, mundo pereunte, tegendos,
Quos crucis inunctæ signat cruor. Hic cape, quantùm
Ipse cruor valeat, cujus salvabat imago.

3. Licèt populus Israëliticus sæpiùs à Deo defecerit, & ab illo ad vitulos aureos desciverit, noluit tamen benignus Dominus eum ut bestiam tractare, & more petulcæ vitulæ funibus canabinis, vel ferreis flagellorum vinculis invitam cogere, sed ut hominem ingenuum, & quidem charissimum filium amore ac beneficiis allicere, ut in se rediret, & creatori suo soli inserviret; unde per Osee Prophetam Israëli intimavit: *In funiculis Adam traham eos, in funiculis charitatis.*

Osee 11. 4.

Quæres, quidnam per ejusmodi funiculos Adam nobis insinuetur, quibus Deus hominem ad se trahere solet? Resp. S. Hieronymus & alii passim: Tales funiculi, inquiunt, fuerunt in antiquo testamento columna in deserto, cœleste manna, aqua de petra, coturnices & tot victoriæ, quibus Deus populum suum electum ad sui amorem volebat traducere, ut ex ejusmodi beneficiis cognosceret, & amaret Deum. Cornelius verò à Lapide per dictos funiculos Adæ in sensu Allegorico pereleganter Christum patientem & pro nobis Crucifixum subaudit, qui

qui de cruce peccatores ad se trahit: *Traxit*, ait, *nos Christus in funiculis Adam, cùm pro nobis factus est Adam, id est homo, caro nostra, & frater noster, ut docendo, patendo & moriendo pro nobis, nos ad se & ad se Deum traheret, ac terrenum Adam redimeret*, quod factum est in cruce. Cornel. hic.

4. Subnectamus huic veritati historiam. Puella quædam in Brabantiæ finibus nobili progenita sanguine, ubi ad ætatem juvenilem pervenit, gravibus tentata est carnis stimulis, quam molestam tentationem Confessario suo, viro docto ac pio non sine lachrymis fideliter aperuit, qui consilium dedit, quatenus omnem vitaret cum juvene illo, cujus amore etiam invita ardebat, colloquendi & conversandi occasionem. Paruit illa, & licèt, impellente dæmone, vehementibus agitaretur tentationum stimulis, fortiter tamen eos superavit. Tandem inopportunitate hujus domestici hostis victa, cùm etiam somnus ab ea fugeret, cibique perderet appetitum, statuit has fallaces mundi & carnis sectari illecebras, & hunc juvenem nobilem, qui non procul ab ejus distabat ædibus, clam adire. Et ecce dum hæc cogitat, subitò se ei spectabilem reddit Christus & hic crucifixus, ex cujus Sacris vulneribus abundè stillabat cruor purpureus, qui hanc puellam patriâ linguâ & leni sermone affatus est: *Me dilgas, qui sum formosus, bonus, dulcis, generosus.* Vix pauca hæc verba Crucifixus Redemptor locutus est, disparens ex puellæ oculis eam consolatione plenam reliquit. Ex quo tempore dicta nobilis puella ab omni carnis molestia liberata didicit, quàm tutum & consultum sit, in ejusmodi miseriis ac desideriis carnalibus ad SS. Vulnera Christi JEsu crucifixi confugere. Quaresm. Tom. 5. lib. 3. cap. 1.

Audi ad propositum antiquissimum Originem: *Certum est*, inquit, *quia ubi mors Christi animo circumfertur, non potest regnare peccatum, est enim tanta vis crucis Christi, ut si illa ante oculos ponatur, nulla concupiscentia, nulla libido superare possit, sed continuò ad ejus præsentiam totus ille peccati & carnis fugatur exercitus.* Orig. in cap. 6. ad Rom.

5. Ulysses, ne ab illecebrosis & fallacibus Sirenarum cantibus falleretur, ad navis malum, obseratis cerâ auribus, alligari voluit, in qua arbore, quæ crux est navis, suspensis omnia superavit pericula & Sirenarum tentationes: *Quisquis*, subintrat hìc S. Maximus, *arbori crucis se religaverit, dulcem procellam luxuriæ non timebit*; Et S. Bernardus: *Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos quomodo Christus in cruce cruci fixus est pro te.* Per quem funiculum coccineum, sicut domus Rahab, ab interitu & perditione servaberis. S. Maxim. hom. de cruc. S. Bernard. de inter. dome. cap. 38.

6. Audi mirabile Exemplum, quomodo à Crucifixo Domino Urbs Caravacensis ad verùm DEum fuerit conversa. Caravaca civitas est Mediterranea in aspero jugo & saxoso monte in regno Murciæ collocata; Alphons. Ciaconius de Signis S. Crucis, Romæ anno 1591. impress.

cata; ibi arx est munitissima, in qua multà inferiùs latibula & spelunce in petra conspiciuntur, in quibus multi Christiani, à Barbaris in prædam tracti, detinebantur. Accidit, ut Rex Agarenus tum adhuc Gentilis sed naturâ mitis hanc arcem inviseret, ubi plures Christianos captivos invenit, ad quorum miserabilem conspectum commotus, eis licentiam dedit, ut artem, quam nossent, per suam ditionem liberè exercerent. Inter quos captivos etiam illi oblatus est Christianus Sacerdos, quem cùm Rex interrogasset, quam artem ipse profiteretur, liberè respondit, se Christianorum esse Sacerdotem, artémque callere, quæ omnes mundi artes, Regúmque potentiam longo intervallo antecederet. Obstupuit ad hæc Agarenus, & ut hoc coram se celebraret mysterium, adhortatur. Tum Sacerdos: se jussa quidem Regis facere paratum, verùm prohiberi, quia sacris careret vestibus, sine quibus nec posset, nec auderet hoc divinum peragere mysterium. Si hoc solum impedimento est, reponit Rex Gentilis, mox cursores ad proximum oppidum ablegabimus, qui illa, quæ ad hoc sunt necessaria, quantocyus afferent. Dictum factum.

Hæc inter altare novum in arce construitur, adventant & sacræ vestes cum calice, pane & vino consecrando, progreditur sacris indutus vestibus ad altare Sacerdos, in præsentia Regis & aulæ procerum SS. Missæ sacrificium inchoaturus. Verùm cùm diutiùs ad aram consisteret, causam moræ sciscitanti respondit Presbyter, crucem deesse, quæ in hoc divino celebrando mysterio necessariò requireretur. Erat autem tunc 3. dies Maij, in quo Ecclesia festum de Inventione S. Crucis solenni cum ritu celebrare assolet. Quid hìc expectas, Lector prudens? Ecce rem planè admirandam! cùm Sacerdos de absentia crucis hæret anxius, subitò fornix, sub qua ara erecta erat, divinitùs aperitur, ex cujus hiatu splendor ingens egressus locum mirè illuminavit. Dum hæc fiunt, adventant duo de cœlo illapsi Angeli, qui crucem, ligneam bipalmarem, angelico artificio confectam, Sacerdoti deferunt, & super altare collocant. Stupet ad hoc Rex Agarenus cum suis aulicis vehementer, magnúmque Christianorum esse Deum publicè profitentur, Christianis interim præ gaudio lacrymantibus. Finitâ missâ confringuntur idola, Christiani captivi omnes in libertatem asseruntur, & Rex cum Aulicis ac omni populo ad fidem Orthodoxam convertitur; Crux autem hæc Angelica in arca pretiosa reposita, etiamnum Caravacæ citra ullam cariem jam à sexcentis annis religiosè asservatur, ad cujus conspectum dæmones contremiscunt, & tempestates aëreæ fugantur. Ama crucem, si vis venire ad lucem.

CON-

CONSIDERATIO XXIII.

Crucifixus Dominus est clypeus Josue, omnibus in se sperantibus ferens salutem.

Leva clypeum contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam. Josue 8. 18.

1.

JOsue primus post Moysen dux populi Israëlitici in pluribus Christi Redemptoris nostri typum præsetulit, & primò quidem nomine, quia sortitus est nomen *JEsus Navi*, aut *Josue*, quod idem est per anagramma, quàm *ô JEsu*. Secundò quia populum electum per Jordanem feliciter in terram promissionis traduxit, quod & Christus fecit, dum per passionem suam regnum cœlorum nobis aperuit. Tertiò per clypeum suum, quem in oblonga hasta, jubente DEO, in prælio exaltare, & militibus, ut eos ad pugnam animaret, pro tessera & signo militari solebat ostendere, cujus ope contra Haienses insignem ac planè admirandam reportavit victoriam: *Leva clypeum*, dicebat Deus ad eum, *qui in manu tua est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam: JEsus Nave:* ait S. Hieronymus, *typum Domini non solùm in gestis, verùm etiam nomine præfert. Transit Jordanem, hostium regna subvertit; dividit terram victori populo, & per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes, atque confinia Ecclesiæ, cœlestisque Jerusalem spiritualia regna describit &c.* Jos. 8. 18. S. Hieron. Epist. ad Paulinum.

2. Erat autem Josue principalis typus Christi JESU crucifixi in expugnatione Hai, ubi metum & fugam cum suis simulans, regem & cives Haienses ad se insequendum pulcherrimo stratagemate allicie-bat, quibus ex civitate agressis & urbem vacuam relinquentibus, latentes suas in insidiis copias in urbem inisit, ipso interim clypeum suum constanter contra Hai levante, ex quo signo dato & accepto Israëlitæ in Haienses egressos conversi, eos omnes generoso ausu trucidârunt, & urbe in cineres redactâ, spolia inter se diviserunt: *cumque elevasset* Josue 8. 19.

clypeum ex adverso civitatis, insidiæ, quæ latebant, surrexerunt confestim: Et *pergentes ad civitatem, ceperunt, & succenderunt eam.*

Cornelius à Lapide per dictum Josue & clypeum ejus Christum JEUM & hunc crucifixum intelligit: Josue: ait, *repræsentabat hic Christum crucifixum, protendit enim manus efficaces versùs Hai, id est versùs orbem ipsum Sabathanæ tyrannide vastatum: Hai enim vastitatem significat, neque eas retrahit tanquam cruci affixus, donec de peccato, dæmone, morte & inferno sit consummata victoria.*

Cornel. hic in Josue.

Anime mi! Si semel hunc clypeum S. Crucis apprehenderis, ne illam per pusillanimitatem de novo deseras contrahens manus: Josue non contraxit manum, quam in sublime porrexerat tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai: Sic nec crucifixus Dominus de cruce descendere voluit, donec opus redemptionis nostræ consummaret: corona enim datur solùm perseveranti, quæ priùs pugnanti erat promissa. Certa igitur fortiter & constanter.

3. Sponsus ille cœlestis ostendit aliquando dilectæ Sponsæ suæ, hoc est Ecclesiæ illa arma, quæ in suo fortalitio pro filiis hujus militantis Ecclesiæ reperiantur, unde ait in Canticis: *Mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium.* Alludit hic Sponsus ad morem quorundam veterum Regum ac Principum, qui scuta, clypeos, pharetras, jacula & alia bellica instrumenta ex aliqua eminenti turre, vel arce tempore pacis solebant suspendere: tum ad decorem & gloriam, tum ut inimicis incuterent terrorem.

Cant. 4. 4.

In cruce Domini nostri JESU Christi pendent mille clypei, & ipse Dominus ac Redemptor noster pro mille clypeis est, quibus Ecclesia hæc militans defenditur, & conservatur. Si ergo te infestat Tartareus hostis, lubrica caro, mundus immundus & mille aliæ tentationes, passiones ac pericula: Citò apprehende arma & scutum SS. Crucis, & omnes tuos superabis ac debellabis inimicos: Clypeus enim est Dominus omnibus sperantibus in se.

Prov. 30. 5.

4. Olim dum in castris ab exercitu Imperatores vel Reges elige-bantur, ac solemni ritu coronabantur, super clypeum erant collocati, & sic elevati per universum circumducti sunt exercitum, ut eorum super omnes denotaretur & agnosceretur potestas & imperium.

Le Blanc in Psal. 109. 1.

Christus, cujus à primo vitæ instanti imperium super humeros ejus fuit, ubi à Patre declaratus est *Rex Regum & Dominus dominantium*, priùs in clypeo crucis exaltatus & elevatus est, titulum regium ipsi scribente & publicante Romano Judice Pontio Pilato: *Hic est Jesus Rex Judæorum* Audi ipsum Dominum loquentem: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* Supra quod egregiè S. Leo P. M.

Matth. 27 37. Joan. 12. 32.

O ad-

O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis &c. Vide in Brev. Rom. 14. Septembris.

5. De Laconiensibus narrat Nonnus, quòd olim infantes suos recèns in lucem natos loco cunarum in clypeo aliquo collocare & exponere consueverint, ut sic maturè illos ad labores & vitæ hujus exantlanda discrimina assuefacerent. Imò veteres bellicosi Germani & Majores nostri hoc in more habebant, ut infans in lucem editus mox in ligneo scuto ad Rhenum, celeberrimum Allemaniæ fluvium, portaretur, in quo per clypeum natantem probatur fuit, an legitimo esset progenitus matrimonio. Si mergebatur cum clypeo infans, spurius reputabatur & adulterinus, si verò in aquis supernatabat, ùt legitima proles à marito agnita, & accepta fuit. Nonnus Dion. cap. 41. Pacciuch. in Jonam.

En sic Deus & Homo crucifixus hominem Christianum per clypeum S. Crucis suæ probare assolet, antequam illum in filium & æternæ salutis recipiat hæredem: *Quia acceptus eras Deo*, dicebat quondam Raphael ad Tobiam seniorem, *necesse fuit, ut tentatio probaret te.* Ex quibus collige, anime mi, an & tu Deo acceptus sis. Subintrat hìc S. Leo Papa: *Unusquisque*, ait, *fidelis Christi cruce armetur, ut Christo dignus habeatur.* Væ tibi, si cum Saule hunc salutis tuæ abjicias clypeum: *Ibi abjectus est clypeus fortium, clypeus Saul, quasi non esset unctus oleo.* Tob. 12. 13. 2. Reg. 1. 21.

6. Quantùm profuerit ille salutis clypeus (Crucifixus Dominus) Carolo V. glorioſissimo Imperatori, ex illo patet, quòd toties in acie victor extiterit, quoties cum hoste congressus est; unde auream crucem, in qua pendebat Christi effigies, semper ad pectus suum portare consuevit. In expeditione illa Africana, cùm belli Principes, ac præsertim Hispana Nobilitas anxiè & ambitiosè expectarent, quisnam ab Imperatore ac Rege suo omnium copiarum Generalissimus esset renuntiandus: Carolus V. Crucifixum suum è sinu coram omnibus protulit: *His* inquiebat, *erit dux ac supremus Capitaneus noster, cujus ego sum signifer*, quæ responsio cunctorum procerum & æmulorum sedavit animos, ut & ipsi magnam æstimationem de hoc suo crucifixo ac supremo capitaneo conciperent, sub cujus signo toties etiam de Barbaris hostibus triumpharunt. Lyr. lib 5. c. 2. Sandæus l. 39. tit. 15.

Idem Carolus V. cùm in bello Germanico, quod contra Saxonem ad Albim fluvium gessit, copias suas obequitaret, in via publica Crucifixi imaginem vidit, plumbeis glandibus à Sectariis & impiis militibus deformatam, & recentibus vulneribus trajectam. Stetit ad hoc Imperator, ac ingemuit, vocémque ac oculos in cœlum levans, ex intimo animi sui coram cæteris belli ducibus exclamavit: *Domine, si vis, injuriam hanc ulcisci potes: Ecce autem me vindicem tuum paratum Si*

Divi-

Divinæ Majestati tuæ placet, juva conatus meos. Sic coacto & incitato exercitu generosè in hostem ruit, cujus conjuratas vires uno prælio confregit, contudit, ducémque vulneribus saucium in potestatem redegit; quam insignem victoriam cum cæteris omnibus Christo JESU & huic crucifixo grato animo adscripsit. In hunc finem Laredii in conspectu Ducum & aulicorum publicè in genua se demisit, ubi auream hanc suam Christi in cruce suspensi effigiem pro more suo è sinu eduxit, eámque submisso osculo venerans hisce verbis affatus est: *Te duce toties, Christe, cum hoste felicter congressus sum, triumphos atque honores reportavi, quidquid inde decoris ac laudis est, tibi, qui tribuisti, submisè refero, útque animæ brevi ex hoc corpore migraturæ felicem exitum dones, humiliter rogo.* Quam exinde crucifixi imaginem (in cujus dulci amplexu & SS. Vulnerum osculo Anno 1558. die 21. Septembris piissimè obiit) filio suo Philippo II. velut singularem ac præclarissimam hæreditatem, cum flagello sanguine suo imbuto, in cistula eburnea reliquit. Et nunquid Philippus II. Hispaniarum Monarcha, ubi post patris obitum hanc cistulam aperuit, cum Vate Regio dicere poterat: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi?* Et quid talis ac tantus pater melius huic filio legare poterat, quàm Christum JEsum & hunc crucifixum? Finio cum Cassiodoro: *Crux* inquit, *est humilium invicta tuitio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, cœlestium confirmatio, mors infidelium, vita justorum.*

Franc Hæræus in Annal. ad ann. 1556.

Mancin lib. 8. dissert. 2.

Psal. 15. 6.

Cassiod. sup. Psalm. 4.

CONSIDERATIO XXIV.

Josue pugnantis contra quinque Reges, typus Christi in cruce contra quinque sensus pugnantis.

Percussítque Josue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites. Josue 10. 26.

I.

CRuentum quondam prælium Josue incomparabilis belli dux contra quinque Chananæorum Reges comisit, in quo Solem sistebat & lunam: *Steterúntque Sol & luna*, donec omnes hostiles profligaret phalanges; & quia quinque illos Reges in spe-

Josue 10 13.

lunca

lunca latentes deprehenderat, illos pedibus Israëlitarum calcari, & in quinque crucibus suspendi jussit: *Fuerúntque suspensi usque ad vesperum.*

Theodoretus in hunc locum ait: Josue hic fuisse typum JESU Christi in cruce contra peccatum, mortem, totúmque infernum pugnantis & debellantis; & cùm hæc cruenta in cruce fieret pugna, sol in medio cœli & luna continuerunt radios suos, totúmque obstupuit universum: *Sicut enim pugnante Propheta* (Josue) *sol stetit, ita dum Salvator noster morte sua mortem dissolveret, sol meridie continuit radios suos, & tenebris replevit terram.* Theodoret. hic quæst. 15.

2. Observandum est autem, quòd Josue quinque Reges gentiles in cruce voluerit à suis suspendi usque ad vesperum: *Cúmque occumberet sol, præcepit sociis, ut deponerent eos de patibulis.* Divus Hieronymus per prædictos quinque Reges in cruce suspensos quinque hominis sensus intelligit, quorum quilibet super hominem regnare desiderat, sed à JEsu pugnante superantur: *Significatur*, inquit, *quòd antequàm Dominus populum suum educeret de Ægypto, & circumcideret eum, visus, oderatus, gustus, auditus, tactúsque regnaverint, & his quasi principibus fuerint universa subjecta, quos JESUS ad speluncam corporis confugientes & ad tenebrosum locum, id est, ipsum ingredientes corpus interfecit, ut per id occiderentur per quod ante regnabant.* Jos. 10. 27. S. Hieron. l. 1. contra Jovin.

3. Inter alias causas & rationes, quare crucifixus Dominus quinque Sacratissima Vulnera in suo corpore voluerit accipere, & illa etiam post gloriosam suam gestare & servare resurrectionem, non minima illa est, quam assignat Beatus Petrus Damiani: *Vulnera*, ait, *Redemptoris quinque sunt, quia nos eramus quinque sensuum vulneribus sauciati, & per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti.* 8 Petr. Damiani cit. à Lyrano f. 289.

Consideremus modò quomodò quinque Sensus, tanquam quinque reges, olim super homines regnaverint, & adhuc super trepidos regnare soleant. Davidem considera aliàs virum secundùm cor Dei quem *Visus* turpem in modum decepit: *Vidítque mulierem se lavantem &c.* Samsonem virum fortissimum considera, quem *Auditus*, quem Dalilæ mulieri vaferrimæ præbuit, in extremam præcipitavit calamitatem: *Quomodo dicis, quòd ames me? &c.* Jezabelem reginam attende, quam *Odoratus* fascinavit: *Depinxit oculos suos stibio &c.* Divitem Epulonem consule, quem *Gustus* ad Tartarum ablegavit: *Epulabatur quotidiè splendide.* Dinam contemplare, quam *Tactus* in ruinam traxit: *Quam cùm vidisset Sichem, adamavit eam, & rapuit.* 2. Reg. 11. 2. Judic 16. 15. 4. Reg. 9. 30. Luc. 16. 19. Gen. 34. 2.

Apage à te, anime mi, quinque istos sensus, qui ut reges tibi volunt dominari, & illos cum invictissimo Josue, ubi te tentant, sine mora in cruce Domini nostri JESU Christi suspende, & in omni tentatio-

tatione perfectam obtinebis victoriam ac tandem vitam æternam. Juvat hic ad propositum nostrum audire antiquissimum Origenem: Origen. hom 11. supra Josue. *Quinque reges*, inquit, *quinque sensus corporeos indicant, visum, auditum, gustum, tactum & odoratum: istos debes incessanter persequi, subjugare, premere pede, mortificare, & in crucem Christi denique agere &c.* En habes modum perfectâ vivendi.

S. Maxim. hom. de Cruc. 4. Ad hanc doctrinam pariter alluſit S. Maximus, qui quadam concione de S. Cruce exemplum Ulyssis strenui illius ducis suis auditoribus proposuit, de quo referunt Poëtæ, quòd, ne ab illecebrosis ac fallacibus Sirenarum contibus & plandis carnis voluptatibus falleretur, atque sic in quieto mari traheretur in præcipitium, ultro sese, obseratis cerâ auribus, ad navis malum arctissimè alligari voluerit, in qua arbere suspensus omnia pericula securus evasit. Arbor hæc seu malus, ait citatus S. Maximus, crux est: *Quisquis arbori crucis se relegaverit, dulcem procellam luxuriæ non timebit; Sirenarum quædam suavis figura est mollis concupiscentiæ voluptatum.* S. Bern. de inter. dome. cap. 38. Audi S. Bernardum, qui ad reprimendum hunc blandientem & infestissimum inimicum domesticum nullum potentius frænum, quàm seriam meditationem de Christo JEsu crucifixo præscripsit: *Quoties*, ait, *te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te &c.* Ille pendet in patibulo, & tu quid?

Nadas. in anno c lect. 4. Jan. 5. Vis exempla? B. Angelam viduam considera horrendis quondam tentationibus exercitam & scrupulis vexatam, quæ, cùm utilius non sciret remedium, ad Crucifixum Dominum se contulit, eúmque impensissimè rogavit, quidnam hac in re agendum, & quid ei esset gratissimum? Responsum accepit divinum: *Respice in vulnera Crucifixi.* Ex quorum aspectu & contemplatione in omnibus tentationibus per reliquum vitæ cursum plenissimam obtinuit victoriam; cui morienti Christus apparuit, eámque ad cœlestia & nunquam terminanda gaudia benignè invitavit: *Veni dilecta mea, veni, quia omnes Sancti exspectant te.* O te felicem, si talem habebis sortem!

Idem 16. Jan. S. Henricus regio prognatus sanguine in omni sensuum tentatione ad crucifixum amorem suum ac Sanctissima ejus vulnera currebat, qui ei suasit, ut relicto sæculi fastu vitam solitariam ageret; proinde aulam fugiens crucifixum consultorem secutus est, ubi in eremo ab hominum consortio remotus soli crucifixo amori suo vacabat; hinc à pientissimo orbis Redemptore meruit audire: *Henrice inscriptus es in libro vitæ;* in cujus beato obitu Angeli læti decantarunt: *Te Deum Laudamus &c.* Tantum illi profuit amasse crucifixum JEsum. Et tu, ô mi Lector, nondum sincerè & verè amas crucifixum amorem tuum?

Quò

Quò ibis sine illo? *Domine*, dicebat quondam Petrus, *ad quem ibimus?* Et Joan. 6. 69.
respondet sibi ipsi Petrus: *Verba vitæ æternæ habes; & nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.*

6. Plura audiamus ad propositum nostrum. S. Raynaldus Episco- Nadas. 9.
pus, vir miræ sanctitatis in diversimodis sensuum tentationibus semper Febr.
recurrebat ad crucifixum suum Dominum, quem peculiari colebat honore, & prosequebatur amore; cui aliquando ad probandam ejus fidem Christus personatus, hoc est, diabolus purpuratus ingenti gloriâ, majestate & splendore circumdatus apparuit, mentiens se esse orbis Redemptorem, atque promittens ei omnia bona, vitámque æternam; quem ubi conspicatus est Raynaldus, dolum antiqui illius serpentis advertens, & subolens dixit: *Christum se velle agnoscere non ex auro aut purpura, sed è vulneribus in cruce toleratis;* ad quod insperatum responsum dæmon confusus, ut fumus in auras abiit. Sic nimirum etiam *Satanas transfigurat* 2 Cor. 11. 14.
se in Angelum lucis.

Quod & S. Pachomio accidit, cui diabolus in forma Christi se spectabilem præbuit, dicens ei: *Pachomi, ego sum Christus, & venio ad te fidelem* Cornel. hic.
amicum meum. Agnovit hanc fraudem Pachomius, & formans devotè signum S. Crucis diabolum in orcum ablegavit. Ita & S. Antonius Magnus Eremitarum pater unico S. Crucis signo integras dæmonum catervas, ipsum in quinque sensibus tentantes fugavit. De quo Breviarium Romanum: *Mihi credite*, solebat dicere ad fratres ac discipulos suos, *pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem,* Brev. Rom.
misericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in Christum Dominum, 17. Jan.
cujus unico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit.

7. Quærebat quondam Christus ex discobolis Judæis: *Quomodò fugietis à judicio gehennæ?* Ignosce Domine! securum locum habemus, quò oportet nos fugere, ne æternis deputemur suppliciis; fugiemus enim ad te crucifixum amorem nostrum, & ad SS. Vulnera tua etiamnum hodie pro salute nostra aperta, in quibus morantes ab auditione mala non timebimus. Ita fecit S. Birgitta, cui ipsa Beatissima Virgo suasit frequentem crucifixi JEsu memoriam, & ut in omnibus tentationibus ac necessitatibus suis, ad eum recurreret, subjungens: *Apertas esse Christi san* Revel. 1.
guine cœli portas; hæc sibi mea cogita & habeto semper præ oculis. Ita fecit & S. Elzearius, qui in omni tentatione sensuum & tribulatione ad SS. Christi crucifixi recurrebat Vulnera, unde dicere solebat: *Si me videre cupis,* Vita illius.
quære me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, & ibi me poteris invenire &c.

CONSIDERATIO XXV.

Jephtias innocens victima, typus humanitatis Christi, in ara crucis pro nobis oblatæ.

Oblatus est, quia ipse voluit. Isaiæ 53. 7.

1.

DE Jephte Galaadite viro fortissimo refert Liber Judicum, quòd, cùm bellum acerrimum contra Ammonitas gereret, & jam jam in illorum conspectu castra metasset, ultrò DEO hoc votum fecerit, si ex hoc conflictu cruento glorioſus rediret victor, quòd primum illud, quod ex foribus domûs suæ sibi occurreret, DEO T.O.M. in holocaustum pro debito submissionis & gratitudinis judicio vellet immolare. Quid multis? Jephte Ammonitas superat, & ingenti clade sternit, patrium recuperat solum, urbes plures suæ subjecit ditioni, atque glorioſus domum revertitur victor.

Hoc cùm Saila seu Jephtias filia illius unica inaudiisset, sine mora sese ad congratulandum Patri accingit, cui de domo paterna cum tympanis & choris omnium prima occurrit; verùm paulò post hæc cithera in luctum versa est, nam Jephte videns de longè hanc filiam suam sibi primò occurrentem, scissis suis præ animi dolore vestimentis exclamavit: *Heu filia decepisti me: aperui enim os meum, & aliud facere non possum:* Cui Saila animo planè virili & heroico respondit: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi, quodcunque pollicitus es, concessa tibi ultione ac victoria de hostibus tuis.* Itaque duobus, quos petierat, elapsis mensibus, ultro sese ad mortem & victimam voluntariam obtulit. Paratur igitur feralis scena, erigitur altare, excitatur focus, peracuto cultro transfigitur innocentis puellæ guttur, & ingenti cum luctu parentum & totius regionis sternitur hæc innocens victima. Unde factum est, ut hanc lamentabilem Sailæ mortem Israëlitæ quotannis magno cum planctu deflerent: *Exinde mos increbuit in Israël, & consuetudo servata est, ut post anni circulum conveniant in unum filii Israël, & plangant filiam Jephte Galaaditæ diebus quatuor.* Cui nos pro lemmate inscribimus: *Victima grata DEO.*

Judic. 11. 35.

Hæc

Hæc & similia omnia, teste Apostolo, facta sunt illis in veteri lege existentibus in figura, per quam innocentem victimam non incongruè Cornelius à lapide innocentissimam Christi humanitatem de Virgine assumptam, & in ara crucis pro nostra omniúmque salute voluntariè immolatam intelligit: *Jephte*, inquit, *immolavit filiam suam, Christus carnem & humanitatem.* Et si quondam mors & passio hujus innocuæ puellæ pro salute patriæ se voluntariè in mortem tradentis, tam amaris ab Israëlitis deplorabatur lacrymis: quantò magis nos Christiani innocentissimam virginei Sponsi nostri, ac unigeniti Filii Dei pro nobis passi & crucifixi mortem deploremus, & gratâ memoriâ recolamus? *Recogitate eum*, ait Gentium Doctor, *qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem.* 1. Cor. 10. 11. Cornel. Hic in Jud. 11. 35. Hebr. 12. 3.

2. Moyses incredibili amore ferebatur erga populum electum à DEo sibi concreditum, unde cùm eo absente vitulum aureum conflarent, & adorarent, atque ideò DEus eos voluit disperdere, tam intenso amoris affectu pro eorum salute Dominum deprecatus est, ut non abhorruerit dicere: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro, quem scripsisti.* Collige ex hoc, anime mi, vehementissimum desiderium & incensum Moysis amorem in poplum suum. Exod. 32. 31. & 32.

Plus Crucifixus JESUS, qui seipsum pro populo suo obtulit ac dedit in sacrificium, ille in voto, hic re ipsa se ipsum voluntariè sacrificavit in cruce pro peccatis hominum; unde paulò ante necem crucis palàm edixit? *Pro eis ego sanctifico.* Hoc est *sacrifico me ipsum* Ita S. Leo. Quocirca non casu, sed electione ipsius & Patris cœlestis factum est, ut in die festo Paschæ coram omni populo in altari crucis, & manibus quidem extensis, atque extra portam Jerosolymitanam non coactus, nec invitus, sed sponte pateretur. Hinc rectè Apostolus? *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Pro reflexione morali attento perpende animo, quid ad hoc dicat Sanctus Doctor Mellifluus: *Oblatus est*, inquit, *non quia meruit, non quia Judæus prævaluit: sed quia ipse voluit. Voluntarie sacrificabo tibi, Domine, quia voluntariè oblatus es pro mea salute, non pro tua necessitate Sed quid, fratres, nos offerimus, aut quid retribuimus illi, pro omnibus quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hostiam pretiosiorem, quam habuit, nimirum, quæ pretiosior esse non potuit. Et nos ergo faciamus quod possumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod sumus utique nosmetipsi. Ille seipsum obtulit, tu quis es, qui teipsum offerre cunctaris? Quis mihi tribuat, ut oblationem meam dignetur Majestas tanta suscipere? Duo minuta habeo, Domine, corpus & animam dico: Utinam hæc tibi perfectè possim in sacrificium Laudis offerre? Bonum enim mihi longéque gloriosius atque utilius est, ut tibi magis offerar,* Joan. 17. 19. S. Leo ep 84. Gal. 2. 20. S. Bernhard serm. 3. de Purif. B. V.

quàm deserat mihi ipsi. Nam ad me ipsum anima mea conturbatur; in te verè exultabit spiritus meus, si tibi veraciter offeratur.

1 Parte hist. S. Domin. lib. 2. cap. 31. Idem Seraph. Razius in suo viridario

3. Pro exemplo nobis sit S. Petrus M. ex Ordine P. P. Prædicatorum, ad quem Mediolani in sua cella morantem ob singularem animi candorem ac puritatem quâdam vice tres de cœlo sacræ Virgines, videlicet SS. Agnes, Catharina & Cæcilia venerunt, de æterna beatitudine ac immensa illa felicitate, quâ electorum fruuntur animæ, & de infinita divini Sponsi sui pulchritudine cum illo amicabiliter & altâ voce discurrentes. Accidit, ut tunc casu cellam D. Petri quidam ex Ordine Frater transiret, qui colloquentes audiit, & per januæ rimam Virgines esse observavit, & quia mundanas & illustres domicillas esse credidit, quantocyus ad P. Priorem conventûs se contulit, cui rem totam ex ordine significavit: Audiit hæc Prior non sine indignatione, unde conventum convocat, Sanctum citat, severè illum objurgans & improperans, quòd contra sacri Ordinis instituta mulieres in suum introduxisset cubiculum.

Quid ad hæc S. Petrus? noluit, quia humillimus erat, suam prætendere innocentiam, & cœleste aperire secretum, idcircò pœnitentiam licèt innocentissimus lubenti animo acceptavit peccatorem se solum coram cæteris Fratribus humiliter profitens. Quamobrem ex sententia Prioris Aexium Marchiæ urbem in exilium relegatus est, ubi per aliquot menses obscuro carceri mancipatus aliam licentiam non invenit, quàm ut quotidie sacrificio missæ posset in choro interesse. Contigit, ut quâdam vice Sacerdos missam celebraturus (ita disponente Deo, qui omnia suaviter ordinat in suum finem) diutiùs in sacrificia moram faceret. Interim S. Petrus ad effigiem crucifixi Redemptoris, quæ ibidem in conspectu pendebat, se convertit, coram qua humi devotissimè prostratus, & in lacrymas ob exantlatum hactenus exilium solutus, in hæc verba prorupit: *Ettu Domine usquequò?* En optime Salvator, nosti utique me de illo crimine, de quo apud Superiorem delatus sui, prorsùs esse innocentem. Et quousque mi Domine, hanc infamiam, exilium, honoris jacturam, tertiúmque carcerem innocens adhuc patiar? Quid feci benignissime JESU! Scrutator renum & judex cordium! quòd innocenter tali opprobrio & contumeliâ afficiar?

Quid hic expectas, anime mi? En quàm attentæ sint aures Crucifixo Servatori tuo! Vix enim hæc Divus ille effatus est, cùm mox Crucifixus illum benigno intuens vultu, suavi voce respondit: *Et ego Petre quid feci, ut cruci affixus fuerim?* Ad quid innocentiam tuam obtrudis, quasi immeritò hæc patiaris? Num me es innocentior? Conque-

reris

reris de carcere, infamiâ, fame, siti & ignôminiâ : *Et ego Petre quid feci* : Quibus verbis mira suavitate à Christo crucifixo prolatis, cor S. Petri M. adeò emollitum fuit, ut non solùm totus abiret in lacrymas, sed & crucifixo JESU, quem nunc præ rubore vix audebat aspicere, penitùs sese in omnibus subjiceret, atque seipsum de hac animi imbecillitate graviter inculparet : O pientissime JESU, dicebat intra se, ô Amor crucifixe ! fateor, exiguam, imò nullam esse hanc pœnam, quam justissimè ob mea in te delicta patior : en paratum nunc cor meum ad omnia quæ jusseris & imposterùm mecum dispoſueris : Superadde quidquid tibi DEO & Salvatori meo placuerit : Veniant in me & super me ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli, tantùm ut Christo fruar.

Sic de novo confortatus aliquantisper adhuc hoc exilium quieto & alacri sustinuit animo, sed brevi ejus innocentia nota facta, & evulgata est, unde à tetro carcere in Lombardiam & Mediolanum revocatus fuit, ubi sanctæ Inquisitionis munere & honoribus cumulatus, tandem ùt glorioſus Martyr per impium & hæreticum sicarium pro fide Catholica ex honore crucifixi JESU per plura vulnera occubuit, Anno 1253. quem plurimis coruscantem miraculis statim anno sequenti Innocentius IV. P.M. SS. Martyrum numero adscripsit, ejúsque festum die 29. Aprilis quotannis ab universa Ecclesia celebrandum ordinavit.

Ecce quomodo in omnibus angustiis & adversitatibus Christus crucifixus, qui voluntariè pro nobis in ara crucis se quondam sacrificavit : *Voluntariè sacrificabo tibi*, sit perfectissimum nobis patientiæ exemplar : *Per patientiam*, ait Apostolus, *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem &c.* Et quomodo tu, anime mi, tuam sustines crucem? Psal 55 8. Hebr. 12. 2.

CON-

CONSIDERATIO XXVI.

Samson tum in vita, tum in morte sua Christi crucifixi figuram expressit.

Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dexterâ, & alteram levâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philisthiim. Judic. 16. 29.

1.

CUm Samson mortalium omnium facilè fortissimus in Thamnata, oppidum Philistinorum se aliquando conferret, ut ibidem licèt in terra hostili de sponsa sibi provideret, pertransines vineam, immanem quemdam leonem ex specu erumpentem sibi obvium habuit, qui eum & rugitu & gestu corporis ad singulare provocavit certamen. Quid agit in arena Samson? se resolvit, aut cum sævo leonis catulo generosè congredi, aut in arena mori. Et quid multis? aggreditur hunc ferocissimum hostem suum, licet omninò intermis, & quasi imbellem hœdum in frusta dilacerat: *Irruit autem Spiritus Domini in Samson, & dilaceravit leonem, quasi hœdum in frusta discerpens.*

Jud 14. 5.

Per hunc Samsonem S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius & alii SS. Patrum Christum JESUM & hunc crucifixum subaudiunt, qui diabolum & principem tenebrarum, qui *tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, in cruce superavit, atque discerpsit, dum morte suâ devicit mortem, peccatum, dæmonem & gehennam.

1. Epist. Petr. 5. 8.

2. De eodem Samsone refert Scriptura, quòd Dalilam gentilem, vafram, perfidam & inconstantem mulierculam vehementissimo amore prosecutus sit, cujus amore inescatus ad patrem dixit: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Et licet hæc Dalila heroi tam forti fuerit causa mortis, nihilosecius eam tenerè amavit.

Jud. 14 3.

En genuinum typum crucifixi Amatoris tui, qui propter animam tuam, quam in charitate perpetua dilexit, non duntaxat cœlum sinúm-

ſinúmque Patris dimiſit, ſed & in cruce extrema, ipsámque mortem pro tua ſalute perpeſſus eſt: *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Gal. 2. 20. Samſoni nonnemo Academicorum Dalilam ſuam perditè amanti pro lemmate inſcripſit: *Amando pereo*; hoc anima chriſtiana, longè meliori jure & titulo Amori tuo crucifixo JESU pro epigraphe poteris inſcribere; *Amando pereo.*

3. Samſon, ubi à Philiſtæis inimicis capitaliſſimis ligatus, illuſus, irriſus & oculis privatus fuit, demum vinctus catenis in Gazam ductus eſt, ubi clauſus in carcere, velut jumentum, diù graviſſimam molam traxit. Accidit, ut ſucceſſu temporis crines & vires illi recreſcerent, unde à Philiſtæis in templum Dagon deductus eſt, ut coram Gentilium multitudine non tam luderet, quàm & ab illis illuderetur. Verùm Samſon duas domûs columnas, quibus tota fabrica & pondus innitebatur, ambabus manibus fortiter apprehendens, tam forti niſu in modum crucis eas concuſſit, ut facili conatu domum univerſam dejiceret, & omnes tunc ibidem præſentes Philiſtæos interficeret, cum quibus & ipſe moriens exclamavit: *Moriatur anima mea cum Philiſtiim: concuſſisque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes & cæteram multitudinem, quæ ibi erat; multóque plures interfecit moriens, quàm antè vivus occiderat.* Judic. 16. 29. Cui pro lemmate inſcribo: *Moriendo triumphat.*

En hìc iterum perelegentem typum in Chriſto crucem bajulante, & in ea moriente adimpletum: *Samſon!*, ait hìc Cornelius, *typus fuit Chriſti, manus extendentis ad duo crucis extrema, quibus colliſit & oppreſſit dæmones, peccatum & gehennam*, qui moriens cum Samſone plures, quàm vivus interfecit, & ſua morte mortem omnium ſuperavit, vitámque æternam nobis reconciliavit. Cornel. hìc.

4. Videamus nunc, Lector prudens, mirabilem Samſonem inter & Chriſtum crucifixum analogiam. 1. Samſon unicâ aſini maxillâ mille viros ſolus ſubegit: *Invenítque maxillam, id eſt mandibulam aſini, quæ jacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Judic. 15. 15. Chriſtus non ferro, ſed ligno, viliſſimo inſtrumento, domuit, & ſubegit ſibi orbem univerſum. 2. Samſon poſt cruentum agonem & prælium cum Philiſtæis peractum ſitiens, de dente molari aſini aquam ſufficientem impetravit: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis refocillavit ſpiritum.* Judic. 15. 18. Chriſtus in cruce in cruento illo agone ſitiens, felle & aceto potatus eſt: *Cùm ergo accepiſſet acetum, dixit:* Joan. 19. 30. *Conſummatum eſt.* 3. Samſon in faucibus occiſi Leonis favum mellis invenit, de quo & aliis diſtribuit. Chriſtus ſe ipſum in SS. Euchariſtia in cibum nobis reliquit. Dic modò, quid ſortius hoc Leone, & quid dulcius hoc melle? 4. Samſon ab inimicis irriſus, illuſus &

mille gannitibus expositus fuit: Christo in cruce pendenti similiter illudebant Judæi: *Vah, qui destruis templum Dei?* 5. Samson, quia Nazaræus fuit, totum robur in septem crinibus capitis sui, seu in septem floccis & cicinnis capillorum habuit. Christus universorum caput, in suo capite spinis coronato septem peccata mortalia, imò peccata totius mundi portavit, quid gravius? 6. Samson denique circa medium noctis ferreas portas cum sera & postibus confregit, & in altum montem asportavit: *Dormivit autem Samson usque ad medium noctis: Et inde consurgens, apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositásque humeris suis portavit ad verticem montis, quire spicit Hebron.* Christus crucifixus de morte & inferno triumphator post medium noctis *inferni portas æreas contrivit, & vectes ferreas confregit*, de quo loco captivum Patrum senatum liberavit, & ad colles æternales traduxit: *Quem*, inquit D. Gregorius, *Samson ille significat, nisi Redemptorem? Quid Gaza civitas, nisi infernum designat? Quid per Philistæos, nisi Judæorum perfidia demonstratur? Qui cùm mortuum Dominum viderent, ejúsque corpus in sepulchro jam positum, custodes illicò deputârunt, & eum, qui auctor vitæ claruerat, in inferni claustris retentum, quasi Samsonem in Gaza se deprehendisse lætati sunt. Samson verò media nocte non solùm exiit, sed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noster ante lucem resurgens, non solùm liber de inferno exiit, sed & ipsa etiam inferni claustra destruxit, portas tulit, & montis verticem subiit &c.* Hucusque S. Gregorius de Samsone & Christo victore.

Matth. 27. 40.

Judic. 16 3.

Psal. 106. 16.

S. Gregor. homil. 2. in Evang.

5. Audiamus historiam notatu dignam. Non procul ab urbe Alexandrina immanis quidam ac truculentus Leo tempore S. Chrysostomi in campo versabatur, qui agricolis & illius loci incolis maxima quotidie damna intulit, dum & homines & pecora sine discrimine dilaceravit. Nullum tunc temporis intervallo aderat remedium, quo hic publicus viarum latro è medio tolleretur. Instituitur publica venatio, adest numerosa hominum caterva, tenduntur retia, parantur enses & hastæ, sed frustrà omnia, leo enim insolitæ magnitudinis ac ferocitatis plures horrendo suo rugitu in fugam convertit, alios unguibus discerpsit, alios devoravit, aut alio modo miserabiles reddidit. Denique cùm omnia incassùm adhiberentur, & loci incolæ jam jam abitum è regione sua pararent, aderat ex insperato S. Chrysostomus, à quo hoc acceperunt consilium, ut crucem in iis locis, ubi leo transire consueverat, erigerent, & crucifixi Domini implorarent opem ac gratiam, ut huic malo finem faceret. Et ecce mirandam salutiferæ crucis virtutem; altero die hanc immanem belluam aliàs inexpugnabilem ad basin ejusdem S. Crucis invenerunt mortuam & divinâ virtute extinctam.

In vita S. Jo. Chrys apud Surium tom. 1. Item Dauroul. cap. 1. tit. 3. num. 8.

6. O ani-

6. O anima Chriſtiana! vides hìc iterum, quantæ virtutis ſit invictiſſimum crucis trophæum contra omnes tuos, tum animæ, tum corporis adverſarios, ac præſertim contra leonem infernalem, animæ tuæ diu, noctúque inſidiantem: *Mihi credite fratres*, ſolebat dicere S. Antonius, pertimeſcit ſatanas *maximè ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cujus unico ſanctiſſimæ crucis ſigno debilitatus aufugit.* Brev. Rom. 17. Jan.

Diſce ergo ex hoc, ſi tentatio gravis, quaſi leo Samſonis, contra te inſurgit, ut ſine mora confugias ad Chriſtum JEſum crucifixum: Hunc, inquam, invoca, illius auxilium implora, & animosè tartareo leoni ejúsque inſultibus occurre: Dic citò, ſi carnalis cogitatio & turpis phantaſia mentem tuam occupat: *O crux benigna, inter ligna tu me conſigna*†, *ne peream morte malignâ*; Et experieris in tempore præſentiſſimum auxilium; Sic fiet, ut dæmon, qui priùs inſuperabilis tibi leo videbatur: nunc debilis formica inveniatur.

7. De Hercule fama eſt, quòd cruentiſſima quæque monſtra debellaverit, qui in tam periculoſis duellis non alio inſtrumento contra centauros, Lernæas Hydras & infernalem Cerberum ſeptem horrendis capitibus formidabilem uſus eſt, quàm clavâ ſuâ nodosâ, ferreis undique clavis onuſtâ, quo ponderoſo & ferrato ſtipite omnia illa monſtra feliciter ſuperavit, & ad internecionem delevit.

Clava hæc Herculea SS. Crucem Dominicam denotat, per quam verus Orci Domitor Chriſtus crucifixus dæmonem & ſeptigeminum Cerberum, hoc eſt ſeptem peccata mortalia feliciter edomuit, & debellavit; Idcircò hæc clava S. Crucis à S. Martiale D. Petri diſcipulo appellata eſt: *Armatura invicta contra Satanum*; Et S. Chryſoſtomus: *Ubicumque*, inquit, *dæmones ſignum crucis Dominicæ viderint, fugiunt, tanquam canes timentes baculum, quo plagam acceperunt.* S Martial. ep 1. cap 5. S. Chryſoſt. de laude crucis.

CONSIDERATIO XXVII.

David contra Goliam pugnans, & in aliis pulcherrima figura Christi JEsu crucifixi.

Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente, & processit ad Philistæum. 1. Reg. 17. 40.

1.

CElebratissima est illa pugna, quæ Davidem inter & Goliathum accidit. Cùm adhuc puer esset pastoritius, & contra ferocissimum gigantem se ad singulare pararet certamen, non alia arma quàm baculum suum pastoritium, fundam & quinque lapides elegit, quibus instructus animo plùs quàm virili contra hoc immane in arenam descendit portentum. Induebat quidem Rex Saul eum propriis armis ac vestimentis; verùm David hæc omnia generosè respuens: *Non possum*, inquiebat, *sic incedere, quia non usum habeo*: Idcircò æreâ galeâ & loricâ cum cæteris indumentis & armis militaribus depositis, solâ tunicâ vulgari contentus, ad pugnam se paravit: *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus, & elegit sibi quinque limpidissimos lapides de Torrente, & misit eos in peram pastoralem, quam habebat secum, & fundam manu tulit, & processit ad Philistæum.* 1. Reg. 17. 39.

Verùm enim verò quid agis ô David? non cum canibus tibi negotium est, sed cum hoste & milite exercitato ac validissimo? Ille gladio & loricâ squammatâ indutus, & tu nudus, vilis ac inermis appares? Hic galeam & hastile gestat ferratum, & tu solùm fustem ac lapidem? Ipse ocreis æreis solidatus, corpúsque æreo tegit clypeo; Et tu sine ullo scuto, gladio & hastâ audeas contra hoc immane naturæ monstrum in bellum ac singulare duellum procedere? Quid multis? David generosè vincit hostem, lapide prosternit, resecat blasphemum caput, totúmque Philistinorum solus confundit exercitum. O victoriam incomparabilem, & nec ullis unquam sæculis satis decantandam!

Respon-

Respondet ad hoc S. Ambrosius: *Quamvis David inermis oculis hominum videretur, satis tamen erat gratia divinitatis armatus.* quâ protectus, non mole corporis, sed virtute animi, imò in virtute crucifixi Domini, cujus typum & personam dessit, arrogantissimum illum hostem superavit. Quid enim baculus ille pastoritius in Davide aliud præsignavit quàm Crucem JESU, quâ Goliam infernalem Filius Davidis in arenâ Golgothæa debellavit? Audiamus S. Augustinum: *David*, inquit, *gessit typum Christi: Quis enim contra Goliath, id est diabolum pugnare poterat, ante quam Christus Dominus genus humanum de potestate diaboli liberaret? David enim interpretatur manu fortis. Quid eo fortius Fratres: qui universum mundum vicit armatus non ferro, sed ligno.* Observa prudens Lector hæc verba: Non ferro, sed ligno, quæ vidi quondam Romæ super grandem erectam crucem pro lemmate inscripta. Et quid melius? S. Ambrol. serm. 88. S. August. serm. 97.

2. Per quinque limpidissimos lapides, quos David de Torrente selectos in peram suam misit, præfigurata sunt quinque Sacratissima Salvatoris nostri Vulnera, in quorum virtute hunc suum validissimum hostem prostravit, vicit & debellavit: *Tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens, percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Ubi observandum, quòd lapis ille inter quinque ultimus fuerit; Lapidi enim primo David inscripsit nomen Abrahæ, secundo Isaac, tertio Jacob, quarto Moysis, & quinto Josue, quem ultimum primò ex pera sua extraxit, & in hostem vibravit, ac feliciter inimicum suum superavit. Nota hic nomen JOSUE, quod idem est per transpositionem litterarum, quàm O JESU, unde dixit David ad Philistæum: *Tu venis ad me cum gladio & hasta, & clypeo: Ego autem venio ad te in nomine Domini.* Carth g. de SS. Trin. arc. 1. t. ho. 9. 1. Reg. 17. 45.

O anima Christiana! Si hostes tuos, Mundum, dæmonem, carnem rebellem, ac indomitas passiones tuas quotidie te infestantes feliciter desideras debellare ac vincere: *Induc armaturam Dei, ut possis stare adversùs insidias diaboli.* Armatura autem hæc non alia est, quàm SS. nomen JESU, baculus SS. Crucis, & quinque SS. Vulnera ejus. Audi Poëtam Christianum: Ephes. 6. 11.

Fide cruci: tota hoc pendet victoria signo:
Hinc Erebi clades: hinc animæque salus.

3. Porrò David in pluribus fuit typus Christi. Primò in sedula custodia ovium sibi à patre commissarum, pro quibus tuendis se ipsum periculo exposuit, non formidans leones ac ursos, quos interfecit, unde ad Saul regem dixit: *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo* 1. Reg. 17. 34.

leo & ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum. Supra quod S. Augustinus: *David, id est, Christus leonem & ursum strangulavit, quando ad inferna descendens, omnes de eorum faucibus liberavit.*

S. August. serm. 197.

Secundò David typus fuit Christi in tot perferendis persecutionibus; quoties enim Saul & alii eum quærebant ad necem? ac tunc præsertim, dum lunceâ eum conabatur transfodere: *Tenebátque Saul lanceam, & misit eam, putans quòd configere posset David cum pariete.* David in hoc illæsus aufugit, Christus verò crudeli militis lanceâ in cruce transfixus est; unde rectè Rupertus Abb. *Nam iste quidem, in figura patiens, non confixus fugiendo evasit: Ille autem cujus passiones præfigurantur, lanceâ clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit.*

1. Reg. 18. 11.

Rup. lib. 1. in lib. Reg. c. 7.

4. Ulteriùs David typus Christi extitit in benefaciendo Sauli inimico suo accerrimo, dum maleficia illius ultus est per beneficia, quod benè agnovit Jonathas patri suo irato proponendo: *Nec pecces Rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, & opera ejus bona sunt tibi valdè; & posuit animam suam in manu sua, & percussit Philistæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israël: vidisti, & lætatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio interficiens David, qui est absque culpa?* Ita & Christus Dominus cum Pharisæorum & Judæorum odiis incensâ suâ charitate certavit, bona illis reddendo pro malis, & orando pro illis: *Et pro transgressoribus rogavit,* clamans in cruce: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O admirabilem charitatem, quâ sui suorúmque quasi oblitus dolorum, pro suis oravit carnificibus & crucifixoribus. Habes hìc anime mi, pulcherrimum exemplum, quid tibi in persecutionibus sit faciendum. Audi Veritatem: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos: Et orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est: qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.*

1. Reg. 19. 4.

Isa. 53. 12.

Matth. 5. 44.

5. Consideremus adhuc perelegantem typum Davidem inter & Christum crucifixum. Cùm vehementissima lues Solymæam devastaret civitatem, & in obvios quosque cives crudelissimè sæviret, David Rex, ut iratum Numen sibi redderet propitium, populóque placabilem, se ipsum obtulit in victimam & holocaustum: *Dixitque David ad Dominum, cùm vidisset Angelum cædentem populum. Ego sum qui peccavi &c. Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* His dictis in aream Areuna ascendit, ubi altare publicum in campo sub nudo cœlo erexit, in quo per manus Sacerdotum pacifica sacrificia & holocausta pro totius regni salute obtulit: *Et ædificavit ibi David*

2. Reg. 24. 17.

Vers. 25.

altare

altare Domino, & obtulit holocausta pacifica, & propitiatus est Dominus terræ, & cohibita est plaga ab Israël.

En perfectissimum typum in Christo JEsu crucifixo, filio Davidis suo tempore impletum, qui pro omnium salute in ara crucis se ipsum Patri æterno obtulit in victimam: *David*, inquit hic Cornelius, *sacrificans in aréâ Areunæ, iramque Dei placans, & pestem sedens, typus erat Christi, qui in eodem loco (Calvariæ enim mons vicinus est monti Moriæ, ejusque quasi pars & jugum) seipsum in hostiam pro peccato Patri immolaturus, iram ejus erat placaturus, mortémque præsentem & æternam à nobis ablaturus.*

6. In talem victimam tempore pestis etiam se obtulit S. Carolus Borromæus S. R. E. Cardinalis & Archiepiscopus Mediolani, qui ut alter David, & tanquam verus Aaron *stans inter mortuos & viventes* ut plagam desævientem averteret, ipse in publica supplicatione nudis ac cruentatis pedibus, fune in collum injecto, & grandem bajulans crucem populo præcessit, ut averteret Dei indignationem ab eis. Neque hoc contentus, & clavum Christi crucifixi in publica alia processione circumferre voluit. Erat hic ferreus clavus in summa Ecclesiæ fornice in choro suspensus, & quinque ardentes lampades assiduò circa illum collucentes, quem per Sacerdotes depositum cruci pretiosæ inseruit, atque per longissimâ viam maxima cum veneratione in civitate Mediolanensi, comitante universo clero ac populo, nudipes circumtulit, non sine pedum vulnere & sanguine inde promanante. Et ut memoriam patientis ac crucifixi JEsu altè menti suæ imprimeret, certis temporibus in solitudinem Veralli montis, ubi mysteria Passionis Dominicæ per sculptas imagines ad vivum repræsentantur, secedere erat solitus, ubi asperam quidem in jejunio, flagellis, cinere & cilicio, sed Christi dolorum meditationibus suavem vitam duxit, ac demùm 4. Novembris anno 1584. dilecto Crucifixo suo immortuus. O si nunc plures tales Carolos inter Ecclesiæ Prælatos & Sacerdotes haberemus!

Ex vita S. Carol. Borrom. Num. 16. 48.

CON-

CONSIDERATIO XXVIII.

Dulcis Jonathas insignis typus dulcissimi JESU denudati, crucifixi, & mortui.

Expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David. 1. *Reg.* 18. 4.

1.

VIx in sacris literis majorem invenies amicitiam, quà Jonatham inter & Davidem, qui sese invicem tam tenero ac intimo prosecuti sunt amore, ut propemodùm viderentur, quòd anima Jonathæ, quasi glutino animæ Davidis esset affixa, & in unum compacta; erat enim illorum una mens, una anima, una voluntas; & ut magis magisque hanc inter se stabilirent amicitiam nunquam delendam, illam non dumtaxat juramento, sed & immolatione victimarum confirmârunt: *Inierunt autem David & Jonathas fœdus. Diligebat enim eum, quasi animam suam, nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium & arcum suum, & usque ad baltheum.* Cui dulci Jonathæ ob peculiarem in Davidem amorem omnibus sese expolianti vestimentis pro lemmate inscribo: *Nihil sibi.*

1. Reg. 18. 3.

Per hunc Jonatham juxta mentem SS. Patrum & Interpretum rectè Christum JEsum & hunc crucifixum intelliges: Ita Cornelius: *Jonathas typus Christi fuit*, qui, ut palàm ostenderet, quàm intenso animam nostram prosequeretur amore, non tantùm se ipsum tunicâ ac vestimentis suis in Calvario monte coram innumerâ hominum expoliavit multitudine, sed & semetipsum pro salute nostra voluntariè obtulit in victimam, ah heu quàm cruentam! *Oblatus est, quia voluit*, nihil sibi reservans, sed omnia, imò & supremam divini cruoris guttam nobis per quinque Sacratissima Vulnera subministrans, proinde rectè Poëta Christianus:

Cornel. hic.

Isa. 53. 7.

Nil sibi: Christicolis pretiosas sanguinis undas
Plagarum Christus quinque per ora dedit.

2. Vi-

2. Videamus nunc hujus divini Jonathæ in cruce clementiam ac liberalitatem, quomodo per breve teſtamentum omnia, quæ habuis, nobis in morte ſua transmiſerit.

Vix in crucem actus eſt, & mox peccatoribus veniam ac generalem delictorum perdonationem promulgavit: *Pater dimitte illis.* Proinde rectè Apoſtolus: *Donans*, inquit, *nobis omnia delicta, delens, quod adversùs nos erat, Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci.* Luc. 13. 34. Col. 2. 13.

Exinde ad latronem pœnitentem converſus, illum liberalitate verè regiâ hæredem regni cœleſtis denominavit: *Hodie mecum eris in paradiſo.* En non petiit hic latro paradiſum, ſed tantùm ut Chriſtus in regno ſuo ſui dignaretur facere memoriam; verùm liberaliſſimus Dominus longè plura ei tribuit, quàm quæ unquàm poſtulare auſus fuiſſet: *Uberior*, ait Beda, *eſt gratia, quàm precatio, ſemper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur.* Luc. 23. 42. Beda hic in Luc.

Nec Joannis dilecti Diſcipuli ſui inter ſummos cruciatus oblivi-ſci voluit, ſed ejus tutelæ ſanctiſſimam Matrem ſuam, quâ nihil charius in vita ſua habebat, pro ultima ſua voluntate, tanquam pretioſiſſimam gemmam cuſtodiendam commiſit: *Ecce Mater tua.* Joan. 19. 27.

3. Imò nec milites, qui ipſum in crucem egerunt, ſine remuneratione abire paſſus eſt, quibus pro mercede laboris hic dulcis Jonathas pallium & veſtes ſuas diſtribuendas reliquit: *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem.* Joan 19. 24.

Nec Veronicæ oblitus eſt, cui ſudarium legavit, in quo ſacroſanctam vultûs ſui effigiem impreſſit, quod etiamnum hodie Romæ in Baſilica S. Petri in Vaticano piè aſſervatur, & certis diebus populo Chriſtiano magnâ cum devotione oſtenditur. Adricomius in 2. p. deſcrip. Jeruſ. n. 44.

Quid dico de Nicodemo, qui priùs de nocte ad Chriſtum venerat, & nunc palàm Crucifixi JESU diſcipulum ſe demonſtraverat? Huic, inquam, pro ſuo labore & fidelitate ampullam ſacratiſſimo cruore ſuo repletam legavit, illique in peculiare amoris ſignum clavos & lanceam, aliáque paſſionis inſtrumenta reliquit. Maſſon de S. Sindone.

Joſepho nobili illi Centurioni, qui eum ſepulturæ mandaverat, linteamina & ſacram ſindonem aſſignavit, in qua totius corporis ſui plagati formam impreſſit; quæ Sacratiſſima Sindon nunc Taurini in Sabaudia maximâ cum veneratione aſſervatur, & ſummo honore à fidelibus honoratur. Idem.

Lectulum ſuum divinus ille Sponſus, hoc eſt, duriſſimam crucem, in qua Mundum redimere, & mori voluit, S. Eccleſiæ Catholicæ

licæ reliquit, tanquam ditissimum thesaurum, qui nunc in mille partes divisus, omnes summè consolatur fideles.

4. Verùm pientissime JEsu! ubi est dulcissima Mater tua, quæ te hactenus usque ad crucem & mortem secuta est, quid illi legas, & pro ultima relinquis voluntate? Spiritum, inquit devotissimus Lanspergius, Patri suo cœlesti commendavit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum* Matri verò sacrosanctum corpus suum, quod ab illa priùs acceperat, pro ultimo solatio, ut illud se fatali ligno depositum in maternum sinum suum reciperet, atque à sordibus, sputis & sanguine jam concreto & coagulato ablueret, ac honestæ sepulturæ traderet, reliquit: *Ideò*, ait prædictus Lanspergius, *caput suum versùs Matrem inclinavit, quasi ultimum Ave, seu Vale dicturus, Itaque in angustiis, doloribúsque tunc constitutus, hoc signo innuit, ac si Matri eidem corpus suum vulneratum, dilaceratum, ac crudeliter nimis dissipatum commendaret.*

Lansperg. hom 52 de Pass.

Dulcissime JEsu, divine Jonatha, & amor noster crucifixe! Ergo nihil ampliùs supereſt, quod nobis, ah indignis creaturis tuis in hoc tuo pauperrimo leges testamento! Ignosce amantissime Redemptor! cum tua bona venia Longinum militem vocabo. Adest hic in tempore, & suavissimum pectus tuum crudeli lanceâ, quasi clavi ferreâ reserat: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Et quid inde promanavit? *Et continuo exivit sanguis & aqua* O anima Christiana! hic habes omnia à liberalissimo JEsu: *Sicut aqua*, ait apud Psalten, *effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Jam nihil ampliùs supereſt; qui nos potuisset redimere primâ sanguinis guttâ, dedit ultimam. O bone JEsu! quis hic non miretur infinitam tuam in nos clementiam ac bonitatem?

Jo. 19. 34.

Psal. 21 14.

5. Imò nec hìc stetit immensa ejus in cruce liberalitas, dum Longino licèt immerito non duntaxat corporis, sed & mentis tribuit sanitatem. Ita S. Vincentius Ferrerius: *Longinus*, inquit, *videre non poterat, an mortuus esset JEsus, quia caligantes habuit oculos, & accepit lanceam suam, & infixit eam in corde Christi, & continuò exivit sanguis & aqua miraculosè, & per hastam decurrens pervenit ad manus militis, & ex contactu visum accepit.* O mitissime JESU! ô dulcis Jonatha! quomodo te non expoliasti, & nihil prorsus tibi reservasti? Et hæc omnia ob amorem nostri? ah quis satis amet te? Et quis audeat te adhuc offendere, & de novo in crucem agere? ah quis? Et tu adhuc ô mi Lector? Absit hoc in æternum à te, & à me.

Vincent. Fer. de Pass. Dom.

6. Nec in vita tantùm, sed etiam post mortem hæc inviolabilis amicitia Davidis in Jonatham duravit. Accidit, ut gravissimum bellum inter Hebræos & Philistinos oriretur, in quo Israëlitæ cum Saul rege cæsi sunt, & Jonathas pariter interfectus, cujus exanime corpus hostes

hostes in alto muro Bethsan in ligno suspenderunt. Audiit hoc David per nuntium, sine mora deponitur corpus Jonathæ de infami ligno, & à Davide multis cum lacrymis in regium sepulchrum infertur; in cujus honorem David hoc triste carmen cecinit: *Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Jonathas in excelsis tuis occisus est? Doleo super te frater mi Jonatha, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* 2. Reg. 1. 25.

Vide hìc, & considera, quàm tenero amore David suum dulcem Jonatham amaverit. Imitare & tu, anime mi! hoc illustre exemplum, si crucifixum amorem tuum, dulcem tuum Jonatham in ligno pendentem aspicis, ac contemplaris: *Quomodo cecidisti fortis in prælio? doleo super te frater mi JEsu! decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut Mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam, & imposterùm te diligam.*

7. Videtur mihi hæc vera ac sincera fraternitas ac inviolabilis amicitia inter Jonatham & Davidem cùm in vita, tum in morte, ut hædera & quercus, vitis & ulmus, quarum una alteram tam amicè amplectitur, stringit, implicat & ornat, ut non immeritò veræ & sincerissimæ amicitiæ symbolum nobis repræsentent. Et licet quercus aut ulmus ob deficientem è terra humorem expallescat, moriatur ac pereat, hædera tamen aut vitis ab illius fraterno & charo amplexu neutiquàm etiam post mortem fratris sui desistit, sed illum ut priùs in vita amorosè stringit, ornat & amplectitur. Ideò huic symbolicæ fraternitati, inviolabili fœdere inter Jonatham & Davidem munitæ pro lemmate inscribimus: *Nec mors separabit.*

Ita est: *Nec mors separabit* nos à charitate Christi JESU crucifixi. Audiamus Apostolum: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio: an gladius?* Et subjungit, quòd nulla creatura neque in cœlo, neque in terra verè amantem possit à charitate DEI separare, quæ est in Christo JESU Domino nostro. Ita est, & ita statutum est. Rom. 8. 35.

CONSIDERATIO XXIX.

Filius Regis Moab ſuper murum pro ſalute populi ſui immolatus, typus Filii Dei pro nobis in cruce oblati.

Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam DEO in odorem ſuavitatis. Epheſ. 5. 2.

1.

AD extremam quondam calamitatem Rex Moabitarum cum univerſis ſuæ ditioni ſubditis devenit, dum tres Reges, videlicet Rex Iſraël, Juda, & Edom inito inter ſe fœdere, conjunctisque viribus illius invaſerunt regnum, & optima quæque demoliti ſunt. In qua miſeranda rerum facie, cùm hoſtes jam in conſpectu regiæ civitatis ſua collocaſſent caſtra, Rex Moab filium ſuum primogenitum in conſpectu totius hoſtilis exercitûs & prædictorum trium Regum ſuper muros adducit, quem altari ligneo impoſitum gladio obtruncat, & in holocauſtum pro ſua, populique ſalute Deo immolat: *Arripiénsque filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum*: quod ubi viderunt Reges confœderati, illorúmque exercitus, continuò ſolventes obſidionem, compoſita inter ſe pace, in patriam ſuam reverſi ſunt: *Et facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt ab ea, & reverſi ſunt in terram ſuam.*

4. Reg. 3. 27.

En pulcherrimum typum Filii Dei unigeniti, à patre æterno ob ſcelera noſtra in mortem traditi, & tandem in ligneo altari S. Crucis pro ſalute univerſorum in holocauſtum oblati: *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* O portentum amoris! Audi ipſam Veritatem Chriſtum, ita ad Nicodemum differentem: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret.* Obſerva hìc ex verbis Chriſti ſingularem divini in nos amoris emphaſin: *Sic*, inquit Chriſtus, hoc eſt: tanto amoris exceſſu ac vehementia *Deus*, non Imperator,

Rom. 8. 32.

Jo. 3. 16.

tor, aut Rex, aut Angelus, *dilexit* sine ullis meritis ingratum, rebellem, inimicumac toties æternæ damnationis reum *Mundum*, ut pro illius salute & redemptione *Filium* non alienum, non adoptivum, sed suum naturalem & proprium, & quod majus est, *unigenitum* & unicum *daret* non ad honores, aut regnum, aut triumphos, sed ad crudelissimam lanienam, acerbissimam mortem & infamem crucem. O grande portentum! ô extasin amoris! *Commendat*, ait Paulus, *DEus Charitatem suam in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Et consolatur valdè quod sequitur: *Ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Erige te in spem, quicunq; tandem es, anime mi! nondum de salute tua desperatum est: *Numquid obliviscì potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te*, non in manibus tantum ferreis clavis, sed & in corde meo crudeli lanceâ descripsi te. Rom. 5. 8. Isa. 49. 15.

2. Olim dicebat æterna Patris Sapientia, antequam incarneretur: *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*, & quare non cum Angelis? Fortasse quia Angelorum naturam erat assumpturus, sed hominum? Et nunquid Angelorum *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Quare ergo societatem Angelorum, qui tam fideliter ministrabant ei in cœlis, dereliquit, & hunc mundum descendit, ac homo factus est? Resp. Doctiss. Hugo: *Ex quo genus humanum exulat in mundo, & premitur à diabolo, quid mihi est hìc, id est in cœlo? quasi dicat, non reputo me aliquid habere in cœlo habendo angelicos spiritus, qui sunt quasi novem oves in deserto, nisi habeam ovem errabundam in exilio*, quam ovem perditam exinde per triginta annos & ampliùs sollicitè quæsivit, ac tandem invenit, ac gaudens in humeros suos suscepit, sed ubi? Resp. Bonaventura in cruce: *humeri isti*, inquit, *sunt brachia crucis, in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* O amor immensus, dum ipse Pastor pro ovibus suis in cruce immolari, verè Pastor bonus, relinquens exemplum omnibus animarum pastoribus, quomodo, si necesse fuerit, & ipsi se gerere debeant. Prov. 8. 31. Dan. 7. 10. Luc. 15. 5. S. Bonav. hìc

3. Elegit autem mitissimus orbis Redemptor pro passione sua & crucifixione tempus vernale & diem 25. Martii, quo tempore omnia de novo incipiunt refloreścere. Quæres hìc, cur non aliud tempus elegit? Resp. S. Bernhardinus: *Tempus Veris ad passionem suam elegit Dominus meus JEsus Christus, ut cùm in tali tempore sanguis ebulliat, ipséque facilè emitatur, totum sanguinem effunderet pro nobis, & nihil in eo maneret.* Et ideò venit ille terræ motus in fine passionis Dominicæ, ut ex montis & crucis concussione omnem è venis Christi sanguinem excuteret. Ita S. Joan- S. Bernhardin. in serm. de Pass. & S. Damasc.

nes Damascenus: *Attendas hoc mysterium, attendas precor, ipse ut totum sanguinem effunderet, factus est terræ motus magnus, quo terræ motu concussus est mons Calvariæ, concussúmque Christi corpus, quâ concussione totus sanguis exhaustus est.* O extasin amoris!

Val. Maxim. & alii. 4. De Codro ultimo Athenienſium rege recenſet Valerius Maximus: Cùm hoſtili quondam exercitu in civitate ſua regiâ undique cingeretur, ac premeretur, & nec milites, nec annona ad illam obſidionem ſolvendam, urbémque defendendam ſufficerent, ipſe ad Apollinem ſervum quemdam fidelem ablegavit, ex eo ſciſcitaturum, an nulla ſpes liberandæ civitatis, & obtinendæ affulgeret victoriæ? Reſpondit oraculum: niſi ipſe Rex proprio ſanguine ac morte ſuis ſuccurreret civibus, ſpem ſuperaſſe nullam. Quid ad hoc Codrus? ex amore ſubditorum, ut conſervarentur ab interitu, vulgari ſe induit militis gregarii habitu, irruit primus cum phalange ſua in hoſtem, occumbit in prælio multis ſaucius vulneribus, & cives ac patriam propriâ morte ab internecione liberat; unde cives, ubi regem ſuum mortuum ac vulneribus plenum vidiſſent, cum lacrymis exclamarunt: *O Codre! tu vitam dediſti, ut nos viveremus; heu! utinam morte noſtra tibi vitam comparare poſſemus.*

Cæterùm miratur hunc inſolitum Codri amorem erga ſubditos ſuos mortalitas humana, ſed quid hoc, ſi penſemus amorem crucifixi JESU erga nos miſeros & jam morti deſtinatos, dum propriâ morte ac ſanguine nos ab æterna morte & interitu liberavit? Dicamus proinde, vel ſaltem cogitemus, quoties Regem noſtrum in cruce mortuum, ac tam miſerandum in modum ob ſcelera noſtra plagatum intuemur: *O Chriſte JEſu! tu vitam dediſti, ut nos viveremus; heu! utinam morte noſtra tibi vitam comparare poſſemus.*

Ribad. in vita SS. 13. Nov. 5. Talis amator Crucifixi fuit S. Homobonus, mercator ſanctus, Cremonæ in Italia oriundus, cujus eleemoſynas DEus ſæpiùs per miracula comprobavit, cui templi januas plerúmque pandebant Angeli, ut Chriſtum & hunc crucifixum colere poſſet, ac contemplari; pro cujus honore omni horâ paratus erat quamcunque ſubire necem. Semel cùm ſuplex ante imaginem crucifixi Domini ſui ſanus ac vegetus expanſis jaceret manibus, divino amore abſorptus, cùm *Gloria in Excelſis* in Eccleſia cantaretur, bonam animam in SS. Chriſti Vulnera expiravit. Anno 1197. die 13. Novemb. O felix mors! ô bona ſors!

Ribad. 8. Jan Vadal. & ali S. Laurentius Juſtinianus Venetorum Patriarcha, vir ſanctiſſimus, & amator crucifixi Redemptoris noſtri zeloſiſſimus, cùm in juventute ſua ſtans ad deliberandum in bivio, quidnam? an mundum, honores & divitias ob nobiliſſimam familiæ ſuæ proſapiam, an verò pauperem

perem crucifixum sequeretur? intùs in animo à Christo audivit: *Me sequere;* quapropter relictis omnibus, & pauperibus erogatis, humiliter coram devota imagine Crucifixi prostratus, hanc resolutionem fecit, & lætus exclamavit? *Domine tu es spes mea, tua sequar vestigia:* Cui de nocte apparens Diviva Sapientia cœleste osculum dedit; cujus precibus steterunt Venetiæ, aliàs perituræ. qui ex hac vita nunc post sanctissimè peractum vitæ cursum ad cœlum migraturus, non in lectulo suo, sed humi in duro assere, velut in cruce, eò quòd JEsus expirasset in cruce, jacere voluit, ubi crucifixum Dominum suum arctissimè complectens, & beatam animam in manus Dei commendans, expiravit, quæ sanctissima anima inter Angelorum choros glorioſa ad cœlestem gloriam avolavit. Tantùm illi profuit, quòd se verum crucis discipulum à juventute probaverit, cujus proverbium erat: *DEus est omnia, homo verò nihil.*

Ex Spec Amor & Dolor. Conf. 22. n. 4. & ex Nadas. 8. Jan.

6. S. Laurentio Justiniano adjungo S. Lucianum Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum ac glorioſissimum Martyrem, qui in cruenta Maximini persecutione Nicomediæ in carcere super acutissimas testas, velut crucifixus extensus, supra nudatum pectus suum ultimam missam celebravit, ac SS. Martyres concaptivos Sacratissimo Viatico ad futurum cruentum certamen communivit. Altero die ubi ob Christi crucifixi fidem, quem constantissimè prædicaverat, caput illi amputatum fuit, vox in luce audita est: *Euge serve bone Luciane, veni, & suscipe coronam, olim tibi promissam*: Et ecce ingens prodigium, dum S. Episcopus de novo se erexit in pedes, & præcisum caput ad tria milliaria, comitantibus Angelis, etiam per flumen propriis manibus ad sepulturæ locum deportavit, ad quod ingens spectaculum multi Gentiles ad Christum crucifixum conversi sunt.

Vide ex hoc, quàm tenero amore omnes Sancti & Electi Christum crucifixum amaverint, pro cujus honore vitam & sanguinem læto exponebant animo, dicentes intra se: *Quis nos separabit à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro?* Et tu quid? Rom. 8. 35.

CON-

CONSIDERATIO XXX.

Christus in cruce, velut Job, vir dolorum & plenus vulneribus consideratur.

Concîdit me vulnere super vulnus. Job. 16. 15.

1.

Job. 1. 3. JOb vir ille magnus inter omnes Orientales, imò Rex, Sacerdos, Propheta & Martyr insignem quondam Christi in cruce patientis typum gessit, dum illum non duntaxat tortor stygius omnibus spoliavit bonis, sed & à planta pedis usque ad verticem capitis *ulcere pessimo* percussit, ae in omne hujus patientissimi viri corpus crudelissimè desæviit, quem tandem omninò extra domum ac civitatem suam ad sterquilinium, vilissimum locum, ubi omnes sordes à stabulis & domibus egestæ acervabantur, ejecit! audi ipsum loquentem & immensos animi corporisque dolores graphicè explicantem: *Circumdedit*, inquit, *ne lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit: effudit in terram viscera mea: concîdit me vulnere super vulnus: irruit in me quasi gigas &c.* In quo subintrat hìc Tirinus, Christi typus fuit vulneribus pleni, & extra urbem in Calvario monte crucifixi; unde dicit Isaias: *Propter scelus populi mei percussi eum*, & iterum: *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.*

Job. 2. 7.

Job. 16. 4.

Isa. 53. 8.

2. Videamus nunc inter typum & antitypum, inter Jobum & Christum pulcherrimam quandam analogiam.

Job non vulgaris homo, sed ditissimus princeps Idumææ fuit, de cujus divitiis ac possessionibus plura enumerat Scriptura: *Et fuit quoq; possessio ejus septem millia ovium, & tria millia camelorum, quingenta juga boum, & quingentæ asinæ ac familia multa nimis &c.* Christus de regia stirpe natus, princeps pacis proclamatus est, in cujus manu erant omnes fines terræ.

Job. 1. 3.

Job. 19. 13. Job in calamitate sua ab omnibus amicis erat derelictus: *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me! dereliquerunt me propinqui mei, & qui me noverant, obliti sunt mei.* Christus ab intimis amicis

amicis ac discipulis suis partim venditus, partim negatus, ac tandem ab omnibus derelictus est: *Tunc discipuli omnes, relicto eo fugerunt.* Matth 26. 56

Job in anima ingentes mœrores, terrores & anxietates tulit: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum, & terrores Domini militant contra me;* Christus in horto contristari & mœstus esse cœpit usque in finem: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Job 6. 4. Marc. 14. 34.

Job à propria sua uxore multa sustinuit, à qua irrisus, & contumeliis affectus est: *Halitum meum exhorruit uxor mea;* Christus à perfida Synagoga ejectus, accusatus, illusus, & ad mortem damnatus est: *Et repleti sunt omnes in Synagoga irâ, & surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem.* Job. 19. 17. Luc. 4. 28.

3. Job omnia bona sua perdidit: *Et irruerunt Sabæi, tulerúntque omnia &c.* Christus nudus crucem ascendit, ubi *non habuit, unde caput reclinaret.* Job. 1. 15. Matth. 8. 20.

Job cunctas ferè dolorum, morborúmque species patientissimè sustinuit, *qui testâ saniem radebat.* Christus alapas, flagra, spinas, crucem, ipsámque necem incredibili patientiâ sustinuit: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt,* Job. 2. 8. Psal. 68. 27.

Job à Satana in toto corpore plurimis percussus est plagis: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus.* Christus à vertice capitis usque ad talos & plantas à ministris Satanæ concisus est: *A planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas.* Job. 2. 7. Isa. 1. 6.

Job quàm maximè doluit, quòd ab omnibus esset desertus: *Abominati sunt me quondam consiliarii mei; & quem maximè diligebam, aversatus est me.* Christus in cruce ab omnibus derelictus ad Patrem suspiravit: *DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me?* Job. 19. 19. Marc. 15. 34.

4. Job inter omnes dolores quàm maximè conquestus est de vulnere lumborum suorum: *Posuit me sibi quasi in signum, circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea.* Christus in cruce positus est in signum, cui à malignis omnibus fuit contradictum, ubi impii Deicidæ non solùm manus & pedes durissimis clavis ferreis, sed & latus ejus crudeli lanceâ transfixerunt, ubi impleta est Scriptura: *Videbunt in quem transfixerunt.* Job. 16. 13. Jo. 19. 7.

Jobo Prophetæ vehementer condoluerunt amici ejus sinceri, ubi illum conspicati sunt à capite ad pedes usque tam crudelem in modum plagatum, excruciatum & ulceratum: *Cúmque elevassent procul oculos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt cinerem super caput suum.* O anime mi! Si servi ac subditi Domino suo Job in tanta existenti miseria tam lamentabili modo compassi sunt, quomodo, Job. 2. 12.

modo, obsecro, nos adeò simus omnis gratitudinis & pietatis immemores ac expertes, ut non Dei Filio nostri amori, atque pro nostra salute crucifixo, ex animo condoleamus? O nos miseros! Sic videlicet
Isa. 57. 1. *justus perit, & non est, qui recogitet in corde suo;* Et neque tu ô mi Lector?

5. Cæterùm Job omnibus sæculis à Deo tanquàm invictæ patientiæ speculum, in sacra Scriptura fuit propositus, ad quem debellandum Orcus omnes suos exercuit vires, omnésque tetendit laqueos, ut eum caperet ac perderet, sed his non obstantibus cunctis tentationibus, Job evasit victor & triumphator de mundo, carne, dæmone. Sed unde, quæso, tanta in infirmo virtus? Ipsum percipiamus: *Scio,*
Job. 14. 25. inquiebat, *quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Ecce Job Propheta à DEO superiori illustratus lumine, tunc in suis existens miseriis, non obscurè suum, & orbis prævidit Redemptorem, longè plura pro homine indigno patientem; hæc spes redemptionis humanæ & suæ ipsum in Oceano tormentorum natantem mirè consolabatur, & ad omnia adversa patientissimo anima toleranda excitabat.

Et quis, obsecro, in adversis constitutus & oneratus infirmitatibus, spem suam dejiciat, si pio mentis oculo Redemptorem suum in cruce suffixum contemplatur? Quid enim vides in crucifixo amore tuo, quod non suos habeat cruciatus? si caput intueris? plenum est vulneribus & aculeatis sauciatum spinis; Si oculos? natant in sanguine permixtis lacrymis; Si genas? conspurcatæ sunt sputis fœtidis & turpissimis phlegmatibus; Si aures? saturatæ sunt opprobriis & subsannationibus; Si labia? amaricata sunt felle & aceto; Si collum? inclinatum est ex tot laboribus & defatigationibus; Si humeros? pleni sunt doloribus ex tot percussionibus & ponderosæ crucis bajulatione; Si brachia? ab extensione trium horarum in cruce rigescunt, luxantur; Si manus ac pedes? perforati sunt clavis trabalibus; Si cor? transfixum est crudeli lanceâ; Si totum denique corpus? à planta pedis usque ad verticem plenum est plagis ac vulneribus; & nondum amas, ô anime mi, talem ac tantum tuum Redemptorem?

6. Job, ubi Christum, tanquam novissimum virorum & virum dolorum in spiritu prævidit in crucis statera appendendum, in qua merita & demerita universorum essetliberaturus, petiit & ipse in ca-
Job. 6. 2. lamitate sua in hac statera appendi: *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior: quasi arena maris hæc gravior appareret.* Statera, ait Ecclesia in hymno de S. Cruce, ipsa crux est Dominica: *Beata, cujus brachiis, pretium pependit sæculi: statera facta corporis, tulitque prædam tartari.*

Solet

Solet autem statera non tantùm habere crucem, sed & duas lances, in quibus omne pondus libratur, quarum si una lanx ob gravitatem rei libratæ deorsum ad terram deprimitur, lanx altera vicissim sursum & in altum erigitur, unde rectè ei pro lemmate inscribes: *Humiliat, & exaltat.* Et nunquid Christus Dominus *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis?* Et quid sequitur? *Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur &c.* Disce ex hoc quantùm te debeas in hac vita humiliare, si velis cum crucifixo Servatore tuo in altera exaltari,; si emim hîc ex una lance deprimeris, ex altera parte apud DEUM surgis & exaltaris, nam ille est, *qui pauperem facit, & ditat, humiliat, & sublevat.* Philipp. 2. 8. 1. Reg. 2. 7.

7. Job denique, velut novus Phœnix post exantlatam & superatam tantam calamitatem quasi à mortuis surrexisse sibi visus est, dum omnia bona sua duplicia cum perfecta sanitate recepit, novùsque Rex Idumæorum salutatus est. Christus devicta morte gloriosè resurgens à Patre omnia centuplicia recepit, & Rex vivorum atque mortuorum constitutus est. Vides nunc anima mea, quàm verum sit illud S. Jacobi: *Exemplum accipite fratres, exitûs mali laboris & patientiæ: Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini,; Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt: sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus & miserator &c.* Job. 42. 10. Act. 10. 24. Job. 5. 10.

CONSIDERATIO XXXI.

Jeremias in pluribus fuit typus crucifixi JEsu, pientissimi Redemptoris nostri.

Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium. Jerem. 11. 19.

I.

JEremias jam in utero matris sanctificatus, & omnis lethalis criminis per totam vitam expers, in his terris expressissimus typus Christi JESU crucifixi extitit. Videamus in utriusque vitam & mortem pulcherrimam analogiam.

Jeremias à DEO positus erat in signum, seu in scopum sagittariorum, cui per omnem vitam à Judæis & Gentilibus contradictum est:
Thren. 3. 12. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* De Christo Domino vaticinatus est S.
Luc. 2. 34. Simeon: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur:* Hoc autem signum non erat aliud, quàm crux, in qua Christus scopus factus est omnium contradictionum, tum Judæorum tum Gentilium.

Jeremias ob veritatem prædicatam in lacum limosum projectus
Jerem. 38. 6. est: *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum Melchiæ.* De Christo patiente perhibetur, quòd in torrentem Cedron projectus fuerit:
Joan. 18. 1. *Egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*, & in eundem à perfidis
Psal. 68. 2. Judæis præcipitatus est. Vide Adrichomium in descriptione Hierosol. n. 207. Unde & in Psalmis de illo dicitur: *Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.*

2. Jeremias eversionem urbis Jerosolymæ & templi devastationem amaris deploravit lacrymis; Unde venerunt illi Threni, quos
Jerem 9. 1. tantæ calamitatis spectator præsens & testis composuit: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei.* Christus non tantùm super Jerusalem flevit brevi
Luc. 19. 41. devastandam: *Videns civitatem, flevit super illam*, sed & in cruce pendens
Hebr. 5. 7. sanguineis lacrymis animarum deplanxit jacturam: *Cum clamore valido & lacrymis offerens.*

Jeremias ab impiis & rebellibus Judæis invictâ patientiâ durissimos carceres, flagella, verbera, irrisiones, famem, sitim, ipsam-
Jerem. 26. 11. que mortem sustinuit: *Judicium mortis est viro huic: quia prophetavit adversùs civitatem istam, sicut audistis auribus vestris.* Christus Dominus non dumtaxat irrisiones, famem, sitim, vituperia, vincula, carceres & flagella, sed & spineam coronam, imò integram vulnerum legionem, ac demum iniquissimum mortis judicium patientissimo animo sustiMatth. 26. 11. nuit: *At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.*

3. Jeremias inter omnes Prophetas calamitosissimus extitit, cui in carcere vinculis constricto, atque innumeris opprobriis & animæ
Thren. 3. 16. amaritudinibus repleto omnes quoque dentes erant confracti: *Fregit ad numerum dentes meos* id est ordine & singillatim unum post alterum designando, & executiendo. Christo Domino calamitosissimo ac novissimo virorum pariter per tam horrendam à manu armata factam colaphizationem dentes plures excussi fuerunt: *Atrocium colaphorum vi,*
Mancinus de Pass Dom. fol. 506. *ait Mancinus, molares dentes Christo fuerunt excussi, ruptis in gingiva venis, ac penitùs dilaceratis.*

Jere-

Jeremias, mille licet saturatus opprobriis, & affectus verberibus, mortisque reus ab ingratissimis Judæis declaratus, semper tamen agninam præsetulit mansuetudinem: *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam.* Jerem. 11. 19. Christus Dominus in omnibus tormentis & passionibus, etiam cùm ad crudelissimam mortis raperetur lanienam, semper se mitissimum ac patientissimum agnum monstravit; unde de illo vaticinatum est: *Sicus ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum.* Isa. 53. 7.

4. Jeremias loco panis ligno pastus est: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius:* Jerem. 11. 19. Hoc est, prout exponit Cornelius & alii, loco panis & ciborum porrigamus ei crucem & lignum, in quo suspendatur & pereat. Christo Domino impii Hebræi non solùm crucem comminati sunt, sed & actu ipso lignum ei in panem miserunt, unde S. Petrus ad Judæos: *Quem occiderunt, suspendentes in ligno &c.* Act. 10. 39.

Jeremias denique palo alligatus, à furente populo & ingratissimis homuncionibus, quibus verbum Dei prædicaverat, vivus lapidibus obrutus est. Ita Martyrologium Romanum: *In Ægypto Sancti Hieremiæ Prophetæ, qui à populo lapidibus obrutus, apud Taphnas occubuit, ibique sepultus est.* Martyrol. Rom. 1. Maii. Christus Dominus non tantùm palo crucis funibus alligatus, sed & quatuor ferreis clavis ligno affixus est, ubi impiorum blasphemantium linguis lapidatus, & diris obrutus est opprobriis.

5. Ex his dictis, & considerandis bene consideratis, facilè conjicies, Lector prudens, quàm insignis typus crucifixi JEsu fuerit Divus Hieremias. Sed quid tu ad ista, ad typum & ad prototypon? Heu quàm debilis adhuc es! verbulo subinde unico pugneris, vel levi aliquâ afficeris injuriâ, & hæc ob amorem Christi JEsu crucifixi æquo ac mansueto animo tolerare non potes? Ah quænam tua in adversis est mansuetudo & patientia? En Dominus ac Deus tuus pro te in cruce patitur, ridetur, contemnitur, & velut abjectissimus vermiculus impiorum proculcatur pedibus, & tu quid? Quomodo, obsecro, aliquando apparebis in conspectu illius, qui pro te *non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum?*

S. Jeremiæ anima, ubi post tam atrocem mortem à corpore fuit separata, ab Angelis ad limbum Patrum deportata est, quæ Judæ Machabæo generosissimo Hebræorum Duci in magna gloria apparuit: *Post hoc apparuisse & alium virum* (Jeremiam) *ætate & gloriâ mirabilem, & magni decoris habitudine circa illum: Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator & populi Israël: hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate, Jeremias Propheta Dei &c.* 2. Mach. 15. 14. Christus Dominus ubi in

cruce expiravit, sanctissima illius anima rectà ad eundem SS. Patrum limbum descendit: *Passus, mortuus, & sepultus, descendit ad inferos;* unde Paulus: *Quod ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ.*

Ephes. 4. 3.

6. Jeremias intercessor factus est pro Ecclesia Judaica, quæ tunc in magnis angustiis erat constituta: *Hic est, qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate;* Et quia in vita sua ingenti zelo pro salute populi Israël laboravit, ideò etiam post mortem suam exiſtens in limbo eorum memor esse voluit, ut conservarentur ab interitu. Christus advocatus noster apud Patrem factus est non tantùm in vita & in cruce: *Pater dimitte illis*, sed etiam post mortem, & nunc in cœlis. Juvat pro solatio nostro audire S. Joannem: *Filioli mei*, inquit, *hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum justum: Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi;* dum adhuc in cœlo Patri amantissimo Vulnera sua, sanguinem, crucem ac mortem pro nobis obitam repræsentat; ideò enim SS. Vulnerum cicatrices resurgens retinuit, ut eas jugiter DEO Patri tanquam Pontifex noster repræsentet, atque per eas nobis veniam ac gratiam impetret. O quantum solatium! Erige te, ô anima mea! Ecce apud Patrem advocatus tuus factus est ipse DEI Filius! O fons omnium bonorum quis non amet te? Compungere, & crucifixi pedibus provolutus veniam implora &c.

1. Ep. Joan. 2. 1.

7. De cætero Victorinus Martyr in Apoc. c. 11. existimat, S. Jeremiam Prophetam ante extremi judicii diem cum Elia de novo in mundum venturum, ut contra Antichristum pugnet, & Christum crucifixum Gentibus annuntiet: *Prophetam in Gentibus dedi te;* Unde quidam tempore Christi putabant ipsum Christum esse Jeremiam, prout habetur Matthæi 16. 14. Quid quid sit hac de re, Jeremias perfectissimus typus pientissimi Redemptoris nostri crucifixi fuit. Imitemur utrumque, quantùm possumus, meditando & gratâ memoriâ recolendo Dominicam passionem: *Qui se*, ait S. Bonaventura, *intentè & devotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria abundanter ibi inveniet nec est opus, ut extra JESUM aliquid quærat.*

Jerem. 1. 5.

S. Bonav. Colla. 7.

Hoc inter alios fecit S. Bernardus, in colligando sibi fasciculo amaritudinum crucifixi Domini sui; Unde cùm nunc cum morte luctaretur, & ad tribunal Christi vocaretur, ad diabolum adstantem, & defectus præteritos ipsi exprobrantem generoso animo dixit: *Fateor, non sum dignus ego, nec propriis meritis possum regnum obtinere cœlorum.*

Lib. vitæ cap. 12.

rum : Caterùm duplici illud jure obtinens Dominus meus, hæreditate scilicet Patris, & merito Passionis ; altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cujus dono jure illud mihi vendicans non confundor. Applica hoc tibi mi Lector Staurophile, & vade in pace.

CONSIDERATIO XXXII.

Daniel in lacum leonum missus pulcherrimus typus crucifixi Redemptoris nostri.

Adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum. Dan. 6. 16.

I.

DAniel Propheta nobilissimus, quia de regia stirpe Juda oriundus, juxtà ac sanctissimus, dum illibatam virginitatem perpetuò coluit, Christum JESUM & hunc crucifixum clarissimè prævidit, dum illum in captivitate Babylonica non tantùm Israëlitis concaptivis fratribus, sed & Chaldæis, Persis ac Medis annuntiavit venturum, orbémque terrarum per mortem crucis redempturum ; imò quod majus est, ipsum tempus denominavit, quo à proprio populo esset negandus, atque occidendus: *Post hebdomades saxaginta duas occidetur Christus ; Et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Dan. 9. 26.

2. Idem Daniel clarissimè prævidit Christum per illun lapidem qui sine manibus de monte abscissus, quadriformem statuam Nabuchodonosoris uno momento contrivit, atque comminuit: *Abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos* Per quem lapidem Christus & hic crucifixus, tanquam lapis angularis & fundamentalis adumbratus est, qui per sanctam crucem suam quatuor idolorum regna contrivit, & evertit ; imò adhuc hodie magis magisque giganteam mundi statuam comminuere, ac labefactare solet, dum regnum suum sub vexillo S. Crucis ex omni parte nunc in orbe, tum inter Gentiles & Paganos, tum inter hæreticos mirum in modum auget, & inimicos crucis confundit. Dan. 2. 34. Tirin hic & alii.

3. De

3. De eodem Daniele refert Scriptura, quòd contra edictum Regis ter de die, videlicet horâ tertiâ, sextâ & nonâ, hoc est: Manè, Meridie & vespere contra faciem Jerusalem & templum sanctum ad DEUM oraverit: *Et fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat*; Ita enim teste Lirano, quondam mos erat Judæorum, quòd ter de die ad DEum preces funderent: Manè horâ *tertiâ*, quia tunc legem à DEO in monte Sinai acceperunt: *Sextâ*, quia tunc Adam in peccatum lapsus, & eâdem horâ à Moyse serpens in palo pro salute & medela populi erectus est: *Nonâ*, quia tunc petra à Moyse virgâ bis per modum crucis percussa, populo sitienti abundantes aquas in Cades subministravit.

Dan. 6. 10.

Verùm Daniel utpote Propheta sanctissimus ac sapientissimus facilè ex hac umbra veritatem, & ex figura agnovit figuratum. Oravit itaque horâ *tertiâ*, quia eâdem horâ Christus ad mortem crucis damnatus, & Spiritus S. Ecclesiæ primitivæ datus est. *Sextâ*, quia tunc benignissimus Salvator in Calvario monte pro salute Mundi in ligno crucis affixus est. *Nonâ*, quia tunc in cruce expiravit, & ex aperto illius latere sanguinem & aquam copiosè ad redemptionem nostram subministravit; unde S. Ambrosius: *Ex illo*, ait, *corpore defuncto vita manabat: aqua enim & sanguis exivit: illa quæ diluat, iste qui redimat.*

Vide hic Tirinum.

S. Ambros. in cap. 23. Lucæ.

4. Fuit autem hæc trina oratio de die S. Danielis contra edictum Regis fomes ac causa, quòd accusantibus & invidentibus Babyloniæ proceribus vivus in lacum leonum missus fuerit: *Tunc Rex præcepit, & adduxerunt Danielem, & miserunt eum in lacum leonum, allatúsque est lapis unus, & positus est super os laci, quem obsignavit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum.* Cui divino Vati & Martyri, nunc inter feroces ac famelicos leones commoranti, & quasi vivo sepulto illud pro lemmate adscribo, quod Ecclesia Christo in cruce mortuo, & ad inferos descendenti in hymno S. Crucis applicare solet: *Tulit prædam Tartari*, dum videlicet ora leonum Dominus concluſit, prædámque adeò desideratam ex eorum faucibus eripuit, & sic quodamodò de novo Danielem ad vitam resuscitavit. In quo juxta montem Ruperti & aliorum Daniel non tantùm Martyr, sed & singularis typus Christi patientis, in cruce morientis ac dein resurgentis extitit: quem pari modo impii Judæorum proceres ex invidia per iniquam Pilati sententiam ad necem crucis adegerunt, & ita quodamodò etiam ad lacum leonum condemnarunt, in quo obsederunt eum canes & leones multi; sed ille, ut novus ac verus Daniel, eluso eorum astu & insidiis, tertiâ die gloriosus à mortuis resurrexit, *tulitque prædam tartari*, dum omnes adversarios suos redivivus, ùt Daniel, confudit, infernum spoliavit, mortem supe-

Dan. 6. 16.

Rup in Dan cap. 11.

superavit, & diabolum inferno alligavit. Adverte hìc pro doctrina morali, quod S. Augustinus tibi insinuat: *Venit ergo Christus, & alligavit diabolum. Sed dicet aliquis: Si alligatus est, quare adhuc tantùm prævalet? Verum est fratres charissimi, quia multum prævalet: sed tepidis & negligentibus, & DEUM in veritate non timentibus dominatur: alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Jam videte fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluntates & cupiditates sæculi noli conjungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest nisi volentem, non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Et tu, qui hæc legis, dabis illi cani rabido ac tartareo consensum tuum? Absit, absit? S. Aug. serm 197.

5. Daniel ulteriùs typus Christi fuit, dum erat abductus in Babylonem, factus ibidem servus. Sic & Christus, qui è cœlo in Babylonem, hoc est in hunc mundum confusione plenum, per incarnationem descendit, formam servi accipiens, omnium servus factus est, & tandem pro omnium salute in crucem actus. Dan. 1, 1.

Daniel superbum Nabuchodonosorem humiliavit, dum ei somnium de arbore succisâ interpretatus est, & Regem ad bestias relegandum prædixit. Sic Christus superbos humiliat, & exaltat humiles, & cruci cervices submittere compellit. Dan. 4 11.

Daniel Bel idolum destruxit, & immanem draconem occidit: *Et diruptus est draco.* Christus per crucem suam idola in toto mundo confregit, & diabolo, draconi illi magno vires ademit, eúmque enervavit, & quasi occidit. Proinde non incongruè S. Theodorus Studita in Canone de Adoratione S. Crucis hæc de S. Daniele posuit: *Magnus Prophetâ Daniel missus quondam in lacum leonum, manibus crucis in speciem expansis, incolumis ex faucibus bestiarum evasit, benedicens Christum Deum in sæcula.* Dan. 14. 26.

6. Ad exempla Sanctorum in novo Testamento venio. S. Sartyrus Martyr idolum unico flatu, & signo S. Crucis confregit, & ideò, quia constanter Christum pro salute nostra crucifixum prædicaverat, capite à Gentilibus amputato, grata Christi victima cecidit. Nadas. 12. Jan.

S. Aventinus Episcopus dæmonem personatum, qui in specie fœminæ plorantis, & à prædonibus spoliatam mentitæ ad ipsum venerat, ut puritati ejus laqueum pararet, signo crucis facto vicit, & in fugam egit, qui eodem salutari crucis signo fontem elicuit, pestem sedavit, lepram fratris curavit; è cujus morientis ore columba candida in cœlum evolare visa est. Nadas. 4. Febr.

S. Theodorus Dux per signum Crucis draconem interfecit; cùm ad crucem à Gentilibus raperetur, divinam hanc vocem audivit: *Macte animo,*

Idem. 7. Febr. *animo, Theodore! ego tibi adero:* Cruci deinde affixus, puerorum telis scopus factus, ad cœlum migravit.

Idem. 26. Febr. S. Porphyrius, cùm Christum in cruce pendentem ac saucium vidisset, ad eum boni latronis exemplo animatus, confidenter dixit: *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Et ecce mox Christus ad eum conversus, osculum illi præbuit, & in signum peculiaris amoris propriam Crucem ferendam ipsi consignavit.

Vita 14. Febr. S. Valentinus Episcopus, qui cùm in equuleo, tanquam in cruce suspensus, à tortoribus ad ossa usque ac nervos dirissimè cæderetur, lætus dicebat: *Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me inter servos tuos numerare dignatus es:* capite posteà plexus Martyr.

7. Vides ex his dictis, anima Christiana! quàm glorioſus finis te maneat, si pari ratione cum S. Daniele, aliisque SS. Martyribus & Servis Dei persecutiones ac tribulationes hujus mundi ob amorem Crucifixi Salvatoris tui patienti animo sustineas: *Si putas,* sunt verba S. Augustini, *te nondum habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus. Et ubi est vox Apostoli: Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patiuntur? Si ergo non pateris pro Christo ullam tribulationem, vide, ne nondum cœperis in Christo piè vivere.*

S. August. in Psal. 55.

Occurrit hic Emblema optimi cujusdam amici, qui fidelem amicum suum in tribulatione solaturus, cœlum turbidum & iratum pingi curavit, & ex illo fremenda coruscare fulgura & fulmina, cum lemmate: *Serenabit.* Sic sunt omnes hujus mundi tribulationes: *Post tenebras,* ait Job, *spero lucem.* Sic post bellum pax, post noctem dies, post pluvias serenitas, post morbum sanitas, post hyemem æstas, post luctum gaudia æterna: *Grata superveniet, quæ non sperabitur hora.*

Job. 17. 12.



CON-

CONSIDERATIO XXXIII.

Tres Pueri Babylonici in fornace ignis ardentis virtutem S. Crucis agnoverunt.

Video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei. Dan. 3. 92.

1.

NAbuchodonoſor Babyloniæ Rex, ut omnibus populis ac nationibus ſuæ ditioni ſubjectis ſuam oſtentaret potentiam ac majeſtatem, ſtatuam pergrandem ex auro puriſſimo erigi juſſit, ſeverè & ſub pœna ignis præcipiens, ut in hac ſtatua, velut Deus, à cunctis ſubditis demiſsè adoraretur. Huic impio mandato ſeſe quamprimis oppoſuerunt Tres Pueri Babylonici. Sidrach, Miſach & Abdenago, & quia Regis imperata facere recuſabant, ſine mora in ardentem fornacem miſſi ſunt, in qua ab Angelo, qui in forma Filii Dei eis apparuit, illæſi fuerunt conſervati: *Ecce ego*, clamabat Rex, viſione inſolitâ & ſtupore attonitus, *video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis Filio Dei.* Dan. 3. 92.

Quæres hìc, Lector prudens! quisnam ille Filius Dei fuerit, qui in medio ignis ardentis hos Pueros ſervavit incolumes, ac leniſſimum toris ventum illis ſubminiſtravit, ut tanquam novæ Salamandræ etiam in mediis incendiis tripudiarent: *Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deum, & benedicentes Domino.*

Per hunc Filium Dei, qui de cœlo deſcendit, & excuſſit flammam ignis, S. Hieronymus, Auguſtinus, Juſtinus, Hilarius & alii antiquiſſimorum Patrum non quemdam Angelum, ſed ipſum verum Dei Filium, Chriſtum JESUM, crucifixum Salvatorem noſtrum ſubaudiunt, qui, licèt tunc temporis nondum fuerit incarnatus, in hac tamen forma humana, tanquam Salvator mundi apparere dignatus eſt, *ut ſic*, Cornel. hìc.

ait Cornelius à Lapide, *se quodamodo ad futurum Redemptoris officium exerceret.* Sic fuit apud Moysen in mediis spinis ; sic apud Joseph in cisterna & carcere : *Descendit cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum.*

Sap. 10. 13.

S. Andr. Ep. Cretens. orat. 2. de Exalt. S. Crucis.

2. Observat hìc pereleganter ad nostrum intentum Sanctus Andreas Episcopus Cretensis, quod prænominari Tres Sancti adolescentes Babylonici in medio ignis ardentis manus & brachia in oratione sua in modum crucis extenderint, & ad Deum elevaverint: Quemadmodum quondam Moyses, cùm Josue contra Amalec pugnavit, per modum crucis brachia expandit, & ita in virtute S. Crucis insignem illam victoriam obtinuit: *Intulerunt*, ait hic S. Episcopus Cretensis, *olim manus in altum Azarias & socii in Babylonicæ fornacis igne precantes, & elatam in altum ipsius flammam extinxerunt, manuum extensione crucem exaltatam adumbrantes.* O stupendam SS. Crucis virtutem etiam jam tunc in umbra !

Exod. 17. 11.

3. Ad majora transeamus. Venit Filius hominis in mundum quærere & salvum facere quod perierat. Audiamus ipsum loquentem : *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur ?* Quæres, qualis hic ignis, quem Christus tantoperè petiit, ut in nobis accendatur ?

Luc. 12. 49.

S. Gregor. hom. 30. in Evang. Ecclesia in Sabb. Pentec.

Resp. S. Gregorius: hic ignis Spiritus Sanctus est, & illius dona præsertim charitatis, devotionis, fervoris & zeli, quæ ipse in cordibus fidelium excitare solet, de quo sancta Mater Ecclesia: *Illo nos igne, quæsumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet, quem Dominus noster JEsus Christus misit in terram, & voluit vehementer accendi.* Hic autem ignis divinus potissimùm accenditur, ait V. Vincentius Caraffa Societatis JESU dignissimus quondam Præpositus Generalis, ex contemplatione SS. Vulnerum Christi JESU crucifixi: *Venit*, inquit, *Dominus ad accendendum & inflammandum mundum igne divini amoris; & hic ignis prodiit ex quinque fornacibus accensis, quæ sunt divina Vulnera. Qui vultis ab hoc igne accendi, accedite ad divina Vulnera, & inflammamini.*

Vinc. Caraffa in Fasciculo Myrrhæ l. 2. Cons. 21.

4. Tribus prædictis Pueris luxit ille ignis, non ussit, & ubi parabantur supplicia, inveniebant refrigeria, unde uno ore benedicebant Dominum dicentes : *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus: Quia eruit nos de inferno, & salvos fecit nos de manu mortis, & liberavit nos de medio ignis.* Econtra Chaldæos, qui circumsteterant fornacem ardentem, combussit & consumpsit : *Erupit ignis, & incendit quos reperit juxta fornacem de Chaldæis.* O felices juvenes in hac fornace Babylonica inclusi ! Felices & illi, qui habitant in spirituali fornace sacratissimi lateris Christi & SS. Vulnerum ejus ; infelicissimi illi, qui ingredi nolunt, quia foris nulla salus, sicuti extra arcam

Dan 3. 48.

Noëmi-

Noëmicam, qui in illa non erat, in diluvio periit, nulla ſalus illi reſplenduit. Sic extra JESUM crucifixum nulla ſalus.

Refert idem V. Vincentius Caraffa, quòd Chriſtus Dominus viro cuidam eximiæ ſanctitatis, cùm enixè precaretur DEUm pro efficaci remedio ad hunc divinum ignem impetrandum, reſponderit, ut ſe in contemplatione SS. Vulnerum exerceret: *Exerce te in humanitate mea paſſionata, vulnerata, nam in ea maximè lucet mea charitas non aliter, quàm ſol in ſuo ſplendore, roſa rutilans in ſuo odore, ignis vehemens in ſuo fragranti æſtu & ardore.* Habes hìc modum, imitare, ſi vis animam tuam ſervare. Idem loc. cit.

5. Transeamus ad exempla Amatorum crucifixi JESU in fornace ignis probatorum. S. Ephyſius inſtar Sauli, ubi clarâ die in cœlo crucem ſplendidam vidit, mirabiliter ad Chriſtum crucifixum converſus eſt, ex cujus ore hanc vocem audivit: *Ab hac hora vas dilectionis eris.* Cùm in ardentem fornacem propter fidem Chriſti à Gentilibus projiceretur, virtute S. Crucis ex illo igne illæſus evaſit, combuſtis crudelitatis miniſtris. Tandem capite plexus felicem animam expiravit. Nadaſ. 5 Jan.

S. Agnes Virgo nobiliſſima tredecim annos nata Symphronium ſponſum recuſans Chriſtum, & hunc crucifixum ſibi in Sponſum ſanguinum elegit, quem vitæ authorem tenerrimo dilexit amore; in ignem exinde conjecta, ſtans in medio flammarum expanſis in modum crucis brachiis ita ad DEum oravit: *Omnipotens, adorande, colende & tremende, benedico te, quia per Filium tuum unigenitum evaſi minas hominum, & ſpurcitias diaboli impolluto calle transivi. Te confiteor labiis, te corde, te totis viſceribus concupiſco.* Et cùm flammæ eam non audebant attingere, ad carnificem dixit: *Quid moraris? pereat corpus quod amari poteſt oculis quibus nolo.* Stetit, oravit, cervicem inflexit, & ita una hoſtia duplex martyrium ſubiit, pudoris & religionis. S. Ambroſ. in Vita.

6. S. Glyceria Romani Conſulis filia Chriſtianos vehementer hortata eſt, ut in fide Chriſti crucifixi in omni perſecutione conſtanter permanerent, ad quos dicebat: *Videte & vobis cavete, ac diligenter advertite, qualis eſt Imperator ille, cujus characterem habemus, & quali formâ in fronte* (hoc eſt ſigno S. Crucis) *ſignati ſumus, qualis denique monetæ inſcriptionem accepimus. Demus operam, ut characterem illum ab omni labe purum cuſtodiamus.* Dum Gentiles cum candelis & lampadibus ad idolorum ſacrificia properarent, & ipſa interrogaretur, ubi lampadem ſuam haberet? Crucem fronti ſuæ inſcriptam palàm oſtendit, ac Chriſtianam ſe per hoc ſalutis ſignum profeſſa eſt; quam ob cauſam certatim lapidibus impetita fuit, qui ipſam non tangebant, ſed inſtar coronæ in aëre coronabant; proinde è capillis in trabe, velut in cruce ſuſpenſa, & Nadaſ. 15. Maji. & Martyrol. Rom. 13. ejusdem.

ungulis ferreis lacerata, ac demum in ardentem fornacem injecta est, cujus tamen flammæ illi non poterant nocere, qui Angelus Domini, ùt olim in fornace Babylonica, eas excussit, & extinxit. Demùm cœlesti voce ad cœlum vocata, uno leonis morsu, cæteris illi parcentibus, sanctissimè obiit, & in cœlum migravit. Cæterùm passa est hæc B. Virgo & Martyr sub Antonio Imperatore & Sabino Præside. Percelebre fuit Heracliæ templum S. Glyceriæ, ubi sacrum ejus corpus positum, pluribus illustratum est miraculis, ex cujus ossibus jugiter salutaris liquor medendi & curandi hominum infirmitates emanat; prout auctor est Nicephorus Hist. l. 18. c. 28. & 32.

7. Vide ex his, anime mi, quàm ardenti zelo primi Christiani Christum JEsum & hunc crucifixum amabant, dum pro illius honore & amore non tantùm se offerebant tormentis, sed & illa ambiebant, ac majora exposcebant. Prout fecit S. Laurentius & alii, in quibus verificatum fuit illud Sapientis: *Tanquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Sicut enim aurum in fornace expurgatur à scoria, resplendétque fulgidiùs; ita Deus & Homo Christus crucifixus justos, quos invenit dignos se, per tribulationes & martyria à fæce venialium purgat, & fortiores reddit ac clariores; prout in enarratis patet exemplis.

Sap. 3. 6.

Quid igitur restat, nisi ut magnâ cum fiducia ad hunc gratiæ thronum, crucifixum Salvatorem nostrum accedamus, qui de se ipso ait: *Cum ipso sum in tribulatione; eripiam eum & glorificabo eum?* Si ergo Deus & Salvator noster nobiscum in omni tribulatione est: quis erit contra nos? Ecce ipse est, qui expansis brachiis, perforatis manibus & pedibus trunco affixis expectat te: quare ergo ad hunc optimum Patrem tu filius prodigus renuis venire? *Propterea*, ait Isaias, *expectat Dominus, ut misereatur vestri &c.* Et tu nondum vis?

Ps. 90. 15.

Isa. 30. 18.

CON-

CONSIDERATIO XXXIV.

Jonas Propheta in mare demersus, insignis typus Christi patientis & crucifixi.

Et tulerunt Jonam, & miserunt in mare, & stetit mare à fervore suo. Jonæ 1. 15.

1.

Cùm Ninivitæ cum Rege suo Sardanapalo in plura se projecissent scelera, ac Veneri & ventri se totos dedissent, misit Deus ad illos Jonam Prophetam, qui contra illorum delicta detonaret, ac ultimum, nisi pœnitentiam agerent, minitaretur excidium. Jonas, aut quia Regis potentiam & civitatis magnificentiam, aut hostilitatem in Hebræos, qualis ipse erat, extimuit; vel quia præsumebat Deum infinitè bonum ad pœnitentiam Ninivitarum facilè placandum, atque sic se tanquam falsum Prophetam ab omnibus illudendum, contra expressum Dei mandatum se æquori Mediterraneo commisit, ut felici vento à portu Joppensi in Tharsis transmitteret: *Et surrexit Jonas, ut surgeret in Tharsis à facie Domini.* Jonæ 1. 3.

Verùm alia sunt hominum, alia Dei judicia, qui Jonam à tergo secutus, mox ingentem in mari excitavit procellam ac tempestatem; unde nautæ ùt maris periti, quia bene observarant hanc repentinam tempestatem non esse naturalem, sed à Deo immissam, fuerunt coacti sortem inter se mittere, & quisnam reus inveniretur, in iratum pelagus præcipitaretur: *Et cecidit sors super Jonam*, qui mox se paratum exhibuit: Jonæ 2. 1. *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis*: Quem cùm viri non reluctantem in mare præcipitem agerent, extemplò omnis cessavit tempestas: *Et stetit mare à fervore suo. Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam, & erat Jonas in ventre piscis tribus diebus & tribus noctibus.*

2. Quòd per dictum Jonam mitissimus Redemptor noster fuerit præsignatus, ipse dignatus est nobis exponere: cùm enim Pharisæi ab eo signum quærerent: *Magister, volumus à te signum videre*, respondit illis: Matth. 12. 13.

Genera-

Generatio mala & adultera signum quærit: Et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ, Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: Sic erit Filius hominis in corde terræ.

Jonas à DEO ad Assyrios ac Gentiles missus est, ut eos per prædicationem suam ad DEUM verum atque ad seriam converteret pœnitentiam: *Surge, & vade in Niniven, civitatem grandem, & prædica in ea, quia ascendit malitia ejus coram me.* Jonæ 1. 2. Christus à DEO Patre missus est, ut toti terrarum orbi prædicaret pœnitentiam & remissionem peccatorum, unde primam suam concionem inchoavit à pœnitentia: *Exinde cæpit JESUS prædicare & dicere: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matth. 4. 17.

Jonas ultrò ac voluntariè se obtulit, ut mitteretur in turbulentum mare, ut sic alios, qui in navi erant, salvaret: *Tollite me, & mittite in Mare.* Christus ultrò & voluntariè se obtulit, ut in turbulentissimum passionis mare projiceretur, ut peccatores liberaret ab interitu: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Isa. 53. 7.

3. Jonas secundùm nomen suum idem significat quàm *columba*, columba autem gemit, & est Symbolum meditantis ac pœnitentis animæ: *Meditabor ut columba.* Isa. 38. 14. Christus ingemuit, ac amarè flevit, ubi civitatem Hierosolymam, in qua erat passurus, de longè aspexit: *Videns civitatem, flevit super illam.* Luc. 19. 41.

Jonas de navi in mare projectus non diu natavit in aquis, sed mox ab immani ceto exceptus, absorptus & in profundum maris deportatus est: *Et projecisti me in profundum in corde maris.* Jon. 2. 4. Christus de se ipso apud Psalm. 68. 3. Psaltem ait: *Veni in altitudinem Maris, & tempestas demersit me.* Et sicut ille, qui in irato freto naufragium patitur, de ligno aut tabula sibi sollicitè circumspicit, quo mediante vitam servet, & ad optatum deferatur littus: Sic Christus Dominus in mare passionis projectus & naufragus sibi de ligno crucis providit, cum quo tamen naufragium non evasit, sed veniens in altitudinem maris & Calvariæ rupem, tempestas demersit eum: *Et tempestas demersit me.*

4. De Jona narrant insuper Sacræ Paginæ, quòd, cùm post triduum è ventre ceti, quasi redivivus, Ninivitis pœnitentiam prædicaret, absque ulla cunctatione Rex Sardanapalus de solio suo descenderit, & saccum indutus publicam ac seriam pœnitentiam egerit, quem mox omnis populus, Regis exemplo animatus, secutus est: *Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere &c.* Jon. 3. 6.

Cæterùm mirantur hìc sacri Interpretes, quare Jonas spatio unius diei plures per concionem suam converterit animas quàm cæteri Pro-

pheta-

phetarum per plures annos? Resp. Hugo Card. *Quia Jonas Dominicæ Passionis sacramentum præfetulit:* Cùm enim ex immani illo pisce in terram aridam seminudus, pallidus, ac tremens præ frigore fuisset ejectus, à DEO secundò nunc monitus rectà Ninivem civitatem petiit, & valido clamore civibus aut pœnitendum, aut ardendum intimavit: *Adhuc 40. dies, & Ninive subvertetur.* Ad cujus Propheræ tam lamentabilem aspectum (quia expansis brachiis Christum crucifixum repræsentabat) Rex & cives conterriti, in jejunio, cilicio & cinere pœnitentiam egerunt; proinde eis DEus benignè pepercit: *Et misertus est Deus super malitiam.* Jonæ 3. 10.

Ah quoties, anima peccatrix! te monet crucifixus Salvator tuus ad seriam vitæ emendationem? Toties videlicet, quoties illum in cruce pendentem aspicis, ac contemplaris, ibi, ibi in utramque tibi aurem lamentabili voce dicit: *En homo, quæ pro te patior tormenta Redemptor: Et potes Authoris non meminisse tui?* De Jona dicit S. Hieronymus: *Jonas columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurans, mundum ad pœnitentiam revocat: Et sub nomine Ninive salutem Gentibus nuntiat.* S. Hieron. ep. ad Paulinum. Ecce in cruce plus quàm Jonas, qui vocat te, & expansis manibus expectat te: Et tu misera! cunctas ejus admonitiones & increpationes surdis pertransis auribus? Heu quid erit aliquando in morte? Timeo, ah valde timeo, ne tunc audire debeas illud fatale: *Vocavi, & renuisti: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret; despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti: Ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo.* Prov. 1. 24.

5. Viri illi, qui cum Jona in eadem navi in tanta, ac tam insolita vehebantur tempestate, ubi tot viderunt mirabibilia ac stupenda, licet fuerint Gentiles ac idololatræ, DEUM tamen Hebræorum, relictis idolis suis, tanquam verum DEUM non obscurè agnoverunt, & ad illius fidem, timorem ac venerationem conversi sunt: *Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolaverunt hostias Domino, & voverunt vota.* Jonæ. 1. 16. Ab umbra ad veritatem: Postquam Christus Dominus in mare passionis projectus inter tot admiranda prodigia (quia tenebræ factæ sunt super universam terram, terra mota est, petræ scissæ sunt super &c.) cum clamore valido expiravit, & Gentiles & Hebræi adstantes magno numero ad DEUM verum & unicum Filium ejus JESUM Christum & hunc crucifixum conversi sunt, quod satis luculenter insinuavit S. Lucas: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.* Luc. 23 48. Et quando tu, anime mi, qui hæc legis, ad Dominum ac DEum tuum seriò ac constanter reverteris? Fatere culpam tuam, & percute cum turba ista pectus

tuum, cùm crucifixum Amorem tuum intueris, dicens cum devotissimo Kempensi: *Domine JEsu! da mihi hodie bene incipere, quia nihil est, quod hactenus feci.* Ubi optimè observat S. Carolus Borromæus S.R.E. Cardinalis: *Qui vult*, inquit, *in virtute proficere, debet quotidie incipere.*

6. Ubi Christus vita nostra in cruce expiravit, observat S. Matthæus, quòd post illius obitum cum Christo crucifixo, & resurgente
Matth. 27 52. multa Sanctorum corpora de sepulchris suis resurrexerint: *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Ecce virtutem passionis Christi. Inter quos resurgentes Patres etiam fuit S. Jonas, qui præ aliis Prophetis erat aptissimus testis passionis & resurrectionis pientissimi Salvatoris nostri, dum post triduum è ventre ceti, quasi de sepulchro suo, prodiens redivivus apparuit; proinde non imeritò Corn. à Lap. hunc Jonam cũ Christo resurgentem, ita ad incredulos Judæos loquentem introducit:
Corn. in Jonam. 2. 11. *Ego sum Jonas, qui olim resurrectionem Christi prædixi, ac proinde missus sum à Deo, ut idipsum jam peractum esse tester. Testor itaque hunc esse Christum à me prænuntiatum, eúmque verè tertio die à morte suscitatum esse, sicut ego tertio die à ventre ceti suscitatus sum, ut hanc ejus suscitationem præfigurarem &c.* Finio hanc considerationem. Viri isti, qui cum Jona eodem navigio, multum pietati Jonæ erant obligati, dum pro salute ipsorum se liberè ac generosè obtulit ad mortem: *Tollite me.* Sta hìc, & considera, anime mi, quantum obligatus sis Christo JESU pro te crucifixo &c.



CON-

CONSIDERATIO XXXV.

Cithara Davidica, per quam dæmonem à Saule David fugavit, typus SS. Crucis Dominicæ.

David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus. 1. Reg. 16. 23.

1.

SAul primus Hebræorum Rex, ubi à Samulee intellexit, quòd ob demerita ſua à regno foret dejiciendus, in tantum mœrorem & inſolitam melancholiam devenit, ut nullum ampliùs humanum ſupereſſe videretur remedium, quod tanto malo adhuc poſſet mederi. Acceſſit, quòd à ſpiritu maligno quotidie miſerandum in modum exagitaretur, quem nulla vis humana ab illo poterat fugare. In hac luctuoſa rerum facie ineunt miniſtri illius conſilium, ac maturè ſtatuunt, ut ad exhilarandum obſeſſi Regis animum muſica, utpotè opportunum in ejusmodi maniâ remedium, adhiberetur. Itaque ablegantur nuntii, qui peritum quendam citharœdum in aulam vocarent; Et ecce cùm in eremum, ſylvámq; pedes inferunt, audiunt de loco non adeò remoto ſuaviſſimum citharæ ſonum. Accedunt propiùs, & inveniunt Davidem tunc 20. annorum adoleſcentem, citharâ ſuâ in gratiam lænigeræ ſuæ turbæ pſallantem, quem officiosè in urbem & aulam invitant, atque in paucis perſuadent, ut relictâ vitâ ſolitariâ & cura paſtorali, ad aulam regiam ſe conferret, ubi benignè exceptus, citharam ſuam ad cantum parare cœpit, ad cujus ſonitum ſine mora nefarius ſpiritus in fugam actus eſt: *David tollebat citharam, & percutiebat manu ſua, & refocillabatur Saul, & leviùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus malus.* 1. Reg. 16.23

S. Proſper, V. Beda, Angelomus & alii per hanc citharam Davidicam SS. Crucem Dominicam ſubaudiunt: *Non enim*, ait Angelo-

Cornel. in hunc locum.

mus apud Cornelium, *illius citharæ tanta virtus erat, sed mysterium crucis Christi per lignum extensione nervorum mysticè gerebatur, in qua etiam passio cantabatur.* Et sicut quondam in Ægypto Hebræi per sanguinem agni Paschalis ab Angelo percutiente liberati sunt, qui cruor erat typus sanguinis Christi in cruce immolandi, ita ait V. Beda, malus spiritus à Saule virtute crucis Christi futuræ pulsus est, cujus figura Davidis cithara extitit. En mirandam SS. Crucis Dominicæ virtutem, cujus umbra jam in antiquo testamento tam salutaris fuit.

Exod. 12. 23.

2. Progredior ulteriùs. Erat idem David, nunc ob devictum & interemptum Goliam factus belli dux, sæpiùs in summis constitutus periculis, quia Saul quotidie illius meditabatur mortem. Fugit proinde ad speluncam Engaddi, aliàs ad speluncam Odollam, ubi quasi in obscuro conclusus carcere, & in densa caligine cor solùm liberum habebat ad DEum, interim *foris pugnæ, intùs timores*, quia Saul armatâ eum obsederat manu, ut eum perderet. Quid interim David inter tot angustias? Currit pro more suo ad citharam suam, tanquam ad ultimum & optimum calamitatis suæ remedium, com-

Psal. 56. v. 12.

ponit psalmum quinquagesimum sextum, qui incipit: *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea*, ubi charissimam suam citharam alloquitur: *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara.*

Eccli. 22. 6.

O David! an non *musica in luctu importuna narratio?* Hostis animam tuam quærit, & ludis citharâ?

Meritò, subintrat hìc S. Augustinus, David in omni sua calamitate ad citharam suam confugit, quia ut Propheta illuminatissimus, & superiori illustratus spiritu per dictam citharam suam Christi Passionem & crucem non obscurè prævidit, quod satis ex Psalmo vi-

S. August. in Psal. 56.

gesimo primo patet. Audiamus verba S. Præsulis Hipponensis: *Caro humana, patiens cithara est Sonet psalterium, illuminentur cæci, audiant surdi, stringantur paralytici, ambulent claudi. surgant ægroti, resurgant mortui, iste est sonus psalterii. Sonet & cithara, esuriat, sitiat, dormiat, teneatur, flagelletur, irrideatur, crucifigatur, sepeliatur. Cùm ergo vides in illa carne quædam sonuisse desuper, quædam de inferiori parte, una caro resurrexit, & in una carne agnoscimus & psalterium & citharam.*

3. David orationis amantissimus sæpiùs de die citharam suam

Psal. 32. 2.

apprehendit, quâ debitam DEO laudem dixit & cantavit: *Confitemini Domino in cithara;* Et alio in loco: *Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus.* Juvat hìc audire Eucherium: *Iste puer*, inquit, *in cithara suaviter, imò fortiter canens, malignum spiritum, qui operabatur in Saule, compescuit: non quòd citheræ illius tanta virtus erat, sed figura crucis.* Observa: *figura crucis.* Est autem cithara ex ligno facta, & convenienter disposita, ex parte

Psal. 42. 4.

Eucher. cit. à Cornel. in Apoc. 14. 2.

supe-

ſuperiori brachia extendens, ex inferiori in acumen deſinens: Crux ſimiliter. In cithara chordæ ſunt in longum extenſæ, quæ, ſi peritâ pulſantur manu, ſuavem reddunt ſonum: Per quas chordas membra Chriſti in cruce extenſa intelliges. Clavi, quibus chordæ ſeu fides in cithara annectuntur, & diſtenduntur, clavos ferreos, quibus Chriſtus cruci affixus eſt, non obſcurè denotant. David in cithara ſepties (ſi aliis vel belli, vel regni ſui gubernandi negotiis non erat impeditus) DEO T.O.M. laudem decantabat: *Septies de die laudem dixi tibi.* Chriſtus Filius David in cruce ſeptem ultima verba in ſalutem noſtram cantavit, & in ſingulare ſolatium nobis perpendenda, & recantanda reliquit: 1. Pater, dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. 2. Hodie mecum eris in paradiſo. 3. Ecce filius tuus: Ecce Mater tua. 4. DEus meus, Deus meus, DEus meus, ut quid dereliquiſti me? 5. Sitio. 6. Conſummatum eſt. 7. Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. O luctuoſam citharam! ſonet hæc ſemper in auribus meis, ut non offendam te ampliùs, Dominus meus, & DEus meus, ac Amor meus crucifixus JESUS. Pſal. 118. 164.

4. Solebat autem David citharam ſuam vocare gloriam ſuam: *Exurge gloria mea, Exurge pſalterium & cithara.* Gloria noſtra, ait Gentium Doctor Paulus, crux eſt, gloria omnium Chriſtianorum: *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri* JEſu *Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Ecce jam tunc in umbra veteris teſtamenti S. Davidi, & S. Paulo in lege Evangelica, omnibúsque Sanctis atque Electis unica gloria fuit crux & crucifixus JEſus. Et in quo tu gloriaris, anime mi! an in divitiis, corporis commoditatibus, voluptatibus &c.? Abſit. Pſal. 56. 10. Gal. 6. 14.

Apprehende potiùs hanc myſticam citharam (crucifixum JEſum) qui in cunctis adverſitatibus ac tentationibus tuis, tum in vita, tum in morte erit gloria, ſalus & vita æterna. Dic proinde, & aſſueſce ſæpiùs, dum crucifixum Amorem tuum prehendis & oſcularis: *Exurge gloria mea, exurge pſalterium meum & cithara* Ita fecit S. Franciſcus Seraphicus, qui crucis citharam pluris quàm angelicam faciebat chelim, unde non incongruè de eo ille Poëta Chriſtianus ex illius perſona cecinit, dum in raptu illo & extaſi Crucifixum apprehendit:

Deſine dulciloquos ales impellere chordas,
Nam tantum nequeunt corda tenere melos.
Hac cruce ſit requies, crux hæc mihi cantet in aure,
Præſtat enim voces hujus amaſſe Lyræ.

Lyræus de Chriſt. Pat. l. 6. cap. 7.

5. Gilimer Vandalorum Rex pluribus insolens victoriis, & idcir-
Procop. lib. 4. Vand & lii. cò prosperâ fortunâ abusus, ubi tandem à Belisario acie devictus est, ad montem excelsum Numidiæ in Africa confugit, in quo exilio panem à reliquis amicis sibi mitti postulavit, quo famem saturaret, spongiam, quâ lacrymas siccaret, & citharam, quâ animi leniret dolorem. Anime mi! si in similibus constitutus es miseriis, ecce habes panem Angelorum & cibum viatorum, spongiam aceto plenam, quo crucifixus Dominus tuus in supremo crucis agone potatus est, quâ tuas siccare potes lacrymas, & citharam, Dominicam crucem, quâ tuum poteris lenire dolorem.

Hac citharâ S. Crucis comprimis usus est S. Dunstanus Episcopus, qui psalmos cum cithara, juxta mentem Davidis solebat decan-
Psal. 146. 7. tare: *Præcinite Domino in confessione, psallite Deo nostro in cithara.* Et ecce cùm aliquando citharam suam ad parietem suspendisset, & paulò pòst cubiculum suum de novo intrasset, cithara illa sine alicujus moventis impulsu per se ipsam suaviter sonare, & illam antiphonam, quam Ecclesia in festo plurimorum Martyrum in secundis vesperis adhibere so-
Petr. de Natal. in Catal. SS. lib. 8. c. 49. let, lætâ voce & proprio chorali tono decantare cœpit: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: Et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideò cùm Christo exultant sine fine.* O anime mi, & amator S. Crucis, ama hanc citharam, & cithariza quotidie in ea saltem per breve temporis spatium, & experieris in obitu tuo similem felicem
Apoc. 14. 2. tonum & prædictam antiphonam: *Gaudent in cœlis animæ Sanctorum &c.*

6. Vidit quondam in raptu dilectus ille Christi Discipulus Agnum supra montem Sion stantem, & cum eo plura Sanctorum & Electorum millia circumstantium, ac laudantium DEum, citharásque suas apprehendentes, novúmque canticum DEO & Agno ab origine mundi in suis typis occiso, & nunc post passionem suam redivivo accinentes: *Et vocem, quam audivi, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis &c.*

Observa: Citharizantes illi in cœlesti regno sunt illi, qui sese Christo crucifixo priùs in vita sua conformârunt, qui crucis mortificationem in corpore suo portârunt, qui carnem suam cum vitiis crucifixerunt; isti nunc in cœlo citharizant cum Davide DEO & Agno. Imitare horum Sanctorum exemplum, & misericordias Domini in æternum decantabis.

CON-

CONSIDERATIO XXXVI.

Crux Dominica per prodigiosam virgam Mosaicam præfigurata.

Eleva virgam tuam, & extende manum tuam super mare, & divide illud. Exod. 14. 16.

I.

MIra ac stupenda quondam DEUS per virgam Mosaicam patravit miracula. Per hanc Nilum in sanguinem converit: *Et elevans virgam, percussit aquam fluminis coram Pharaone & servis ejus, quæ versa est in sanguinem.* Exod. 7. 20.

Per hanc Amalec in Raphidim feliciter oppugnavit: *Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israël in Raphidim, dixitque Moyses ad Josue: Elige viros, & egressus, pugna contra Amalec; cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea*, ad cujus elevationem hostis fugatus & cæsus est. Exod. 17. 8.

Per hanc in summa aquarum penuria in deserto ex petra durissima vivum ac largissimum aquarum fontem sitienti populo produxit: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Psal. 77. 20.

Per eandem virgam superbiam Pharaonis fregit, mare rubrum divisit, populum Israëliticum sicco pede ad portum traduxit, & cùm Ægyptii cum universo equitatu & curribus Pharaonis post eos ingrederentur, illos ad unum usque per extensam hanc prodigiosam virgam in profundo maris submersit: *Eleva virgam tuam & extende manum tuam super mare, & divide illud, ut gradiantur filii Israël in medio mari per siccum &c.* Exod. 14. 16. Ecce stupendam hujus Mosaicæ virgæ virtutem, ad cujus conspectum mare contremiscit & fugit, viámque electo Dei populo in Palæstinam aperit, cui pro lemmate inscribimus: *In virtute tua.*

Vide hìc, & considera, prudens Lector! elegantissimam Dominicæ crucis figuram; ita S. Augustinus: *Sine crucis*, inquit, *Sacramento nullum fecit Moyses signum.* S. Aug. serm. 90. de Temp. Moyses per hanc prodigiosam virgam suam populum per mare rubrum feliciter traduxit in Palæstinam, Christus

Dux

Dux ac legifer noſter per virgam SS. Crucis ſuæ, cum qua per mare rubrum paſſionis ſuæ nobis præivit, viam aperuit ad terram illam deſiderabilem, perpetuo melle & lacte manantem.

2. Et hoc eſt, ad quod in ſpiritu quondam alluſit Vates Regius, dum crucem Dominicam virgæ virtutis ex Sion emiſſæ comparavit:

Pſal. 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: Dominare in medio inimicorum tuorum.* Sicut enim Reges orbisque Monarchæ potentiam ſuam ac majeſtatem inauratis gemmatisque virgis oſtentant; Sic pretioſiſſimus orbis Servator Chriſtus quàm maximè potentiam ſuam ac majeſtatem in virga crucis orbi manifeſtavit, hæc enim teſte S. Chryſoſtomo,

S. Chryſoſt. cit. à le Blanc. in Pſ. 109. 2. *Virga virtutis eſt, ſceptrum regiæ poteſtatis, quâ ſuſtentantur fideles; affliguntur increduli, terrentur ingrati;* Et iterùm in alio loco: *Non aberraveris, ſi crucem Domini voces virgam virtutis, hæc enim virga mare & terram convertit, & magna poteſtate complevit; Cum hac virga Apoſtoli egreſſi per univerſum orbem omnia perfecére &c.* Vides ex his, quantò magis prodigioſa ſit virga S. Crucis, quàm virga Moyſis, de qua Poëta Chriſtianus:

Crux nunc Moſaicæ ſuperat miracula virgæ:
Pandit virga ſalum: Crux veneranda polum.

3. Hæc illa prodigioſa virga eſt, quæ omnia venenata vitiorum monſtra, dracones & ſerpentes, virgásque magorum in Ægypto devoravit, extirpavitque, atque inferni tyrannum orco perpetuò alligavit:

Exod. 7. 12. *Projecerúntque ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones, ſed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Audi & antiquiſſimum Originem ita de hac myſtica virga ſcribentem:

Origen. hic apud Cornel. *Virga Moyſis*, ait, *eſt crux Chriſti, hæc poſtquam ad credulitatem & fidem hominum venit, converſa eſt in ſapientiam, & tantam ſapientiam, quæ omnem Ægyptiorum, id eſt hujus mundi ſapientiam devoraret.*

Hæc illa virga eſt, quam Angelus in manu tenuit, qui apparens Gedeoni carnes oblatas & panes azymos accendit:

Judic. 6. 21. *Extenditque Angelus Domini ſummitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes azymósque panes conſumpſit.* Per virgam hanc le Blanc & alii S. Crucem ſubaudiunt: **Crux**, ait, *eſt*

Le Blanc in Pſal. 109. 2. *virga virtutis in anima charitatem ſuccedens &c.*

4. Hæc illa virga pretioſa eſt, quam potentiſſimus Perſarum Rex Aſſuerus in ſignum regiæ benevolentiæ in illos extendit, quos ſingulari honore & gratiâ voluit condecorare:

Eſther. 4. 11. *Sive vir, ſive mulier, non vocatus interius Regis atrium intraverit, absque ulla cunctatione ſtatim interficietur, niſi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro ſigno clementiæ, atque ita poſſit vivere.*

Hæc

Hæc denique illa virga est, quam præscripsit Christus Apostolis, ut eam secum gestarent, cùm ad Evangelium prædicandum ad gentes excurrerent: *Præcepit eis, ne quidquam tollerent in via, nisi virgam tantùm*, hoc est crucis typum & memoriam, quam intrepidè prædicarunt, & innumera per illius virtutem patrarunt miracula. Cedat ergo nunc virga Moysis prodigiosæ virgæ sacratissimæ crucis, quæ orbem subjugavit universum, infernum spoliavit, Satanam devicit, & cœlum innumeris Sanctis replevit: *Virgam virtutis suæ emittet Dominus ex Sion.* Et sequitur: *Dominare in medio inimicorum.* Tunc dominatus est Dominus in medio inimicorum suorum, quando pependit in ligno pro homine indigno, & quidem in medio dæmonum, latronum, Judæorum, Gentilium, Scribarum, Pharisæorum, militum Romanorum, & aliorum sibi insultantium, titulum regium super caput suum spinis coronatum præferens: *Jesus Nazarenus Rex Judæorum.* Marc. 6. 8. Psal. 109. 2. Joan. 19. 19.

5. Per hanc SS. Crucis virgam Serenissima ac Potentissima Domus Austriaca etiam in maximis periculis ac turbulentissimis temporibus semper optatum auxilium, oportunúmque invenit remedium. Anno Domini M. CC. LXXIII. die XII. Octobris Francofordii post multam disceptationem tandem unanimi Electorum consensu in Imperatorem electus est Rudolphus Comes ab Habsburg, vir & sapientia & pietate ac magnanimitate animi nulli secundus, qui cum Aquisgrani coronaretur, solitúmque juramentum à Principibus in proposito vacillantibus exigeret, virgam crucis, in qua argentea crucifixi imago fixa erat, loco sceptri imperialis, arripuit: *Ecce*, inquiebat, *signum, in quo salvatus est mundus: hoc loco sceptri utemur*, ad quod insperatum factum Electores ac Principes Imperii commoti, crucem humili osculo venerati sunt, ac lubenti animo novo Imperatori fidelitatis juramentum supra eandem crucis virgam præstiterunt ac deposuerunt. Sandæus in Stauropbilo lib 39. tit. 13.

Idem Rudolphus, cùm gubernacula imperii nunc feliciter fuisset auspicatus, ut cultum & amorem SS. Crucis magis, magisque in subditorum implantaret animis, ad honorem ejusdem salutiferæ crucis insigne cænobium Tultiæ in Austria excitavit; Et cùm contra Ottocarum Regem Bohemiæ cruentum gereret bellum, simulacrum SS. Crucifixi in pugna sibi per Abbatem Habsburgensem præferri voluit, cujus auxilio protectus hostem feliciter superavit, & insignem ab eo victoriam reportavit; unde cognomento appellatus est *Victoriosus*. Tanti profuit Rudolpho à cruce cœpisse regimen. Idem.

6. Carolus Quintus auream crucis virgam & in ea Salvatoris nostri effigiem assiduò secum portavit, cujus ope toties contra hostes suos victoriæ palmam obtinuit, quoties cum illis in acie conflixit. Lyræus l. 5. c. 8. Sandæus lib. 39. tit. 14.

Hunc crucifixum Dominum suum in expeditione Africana summum totius exercitûs sui capitaneum denominavit; cùm enim belli Principes ac præsertim Hispani anxiè expectarent, quisnam ab Imperatore ac Rege suo omnium copiarum Generalissimus esset designandus, Carolus V. Crucifixum suum è sinu protulit: *Hic*, ajebat, *erit dux ac supremus Capitaneus noster, cujus ego sum signifer.* Quæ visa Crucifixi imago omnium Procerum & æmulorum sedavit animos, & ad bellum strenuè animavit.

Idem Carolus V. glorioſissimæ memoriæ Imperator in bello Germanico, quod contra Saxonem ad Albim fluvium gessit, cùm copias suas obequitaret, in via publica Crucifixi imaginem vidit plumbeis glandibus à Protestantibus deformatam, ac recentibus vulneribus trajectam. Stetit ad hoc Imperator, & ingemuit, vocémque ac oculos in cælum levans, ex intimo animi sui coram cæteris belli ducibus exclamavit: *Domine, si vis, injuriam hanc ulcisci potes: Ecce autem merindicem tuum paratum. Si Divinæ Majestati tuæ placet, juva conatus meos.* Sic coacto & incitato exercitu generosè in hostem ruit, cujus conjuratas vires uno prælio confregit, contudit, Ducémque vulneribus saucium in potestatem redegit; quam insignem victoriam cum cæteris Christo JESU & huic crucifixo adscripsit, in hunc finem Laredii in conspectu suorum Ducum, aulicorum & militum publicè in genua se demisit, ubi auream hanc suam Crucifixi Redemptoris effigiem pro more suo è sinu eduxit, eámque submisso osculo veneratus, hisce verbis affatus est: *Te duce toties, Christe JESU, cum hoste feliciter congressus sum, triumphos ac honores reportavi, quidquid inde decoris ac laudis est, tibi, qui tribuisti, submissè refero, utque animæ meæ brevi ex hoc corpore migraturæ felicem exitum dones, submissè rogo.* Quam exinde SS. Crucifixi imaginem (in cujus dulci amplexu & SS. Vulnerum osculo anno 1558. die 21. Septembris piissimè obiit) filio suo Philippo II. velut singularem ac præclarissimam hæreditatem cum flagello sanguine suo sæpiùs imbuto, in cistula eburnea reliquit. Et nunquid hic Philippus II. Hispaniarum Monarcha, cùm post patris obitum hanc cistulam reseravit, jure merito cum Vate Regio dicere poterat: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi?* Et quid talis pater tanto filio meliùs legare poterat, quàm Christum JEsum & hunc crucifixum?

Franc. Haræus in Annal. ad annum 1556.

Mancin. lib. 8. dissert. 2.

Psal. 15. 6.

7. A Carolo V. ad Carolum VI. transeo; Proh quales viros! ubi Quintus desinit, Sextus incipit, sed non ab alio, quàm à signo Sanctæ Crucis, cujus insignem particulam de collo ad cor appensam gestare solet, eâ sese religiosè sæpiùs ac præsertim in rebus periculosis & gravis momenti signans. Cùm anno 1716. & 1717 Solimanni Turcarum

rum Imperatoris exercitus Ungariam penè inundassèt, Carolus VI. pro more suo ad crucifixum Amorem suum confugit, quem invictissimo Eugenio Archistratego suo, & Sabaudiæ Duci contra Barbaros nunc ituro in adjutorem assignavit, prædicens illi victoriam: *In hoc signo vinces.* Bis conflixit cum hoste Eugenius, bis vicit in hoc signo, expugnato hinc Temeswario, inde Belgrado. O viros immortales! Ecce in hoc signo crucis gloria & victoria, salus & vita: *Eleva virgam &c.*

CONSIDERATIO XXXVII.

Meditatio de Christo Crucifixo animæ Christianæ summè proficua.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem. Hebr. 12. 3.

1.

ISaac Patriarcharum decus & typus Christi sæpiùs in campum solebat se conferre, ut ibidem solus & ab aliis negotiis sæcularibus abstractus, res cœlestes ac divinas meditaretur: *Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinato jam die,* in quo, ait Alcunius, Isaac fuit typus Christi, qui vespere & noctu oraturus secessit in montem, sicut pariter fuit typus Redemptoris nostri crucem bajulantis, dum ligna holocausti ad montem Moria asportavit. Gen. 24. 63.

Ex quo colliges, prudens Lector, quòd Sapientis vita sit meditatio, præsertim sit opus redemptionis nostræ, Christum passum, ac crucifixum sæpiùs per devotam meditationem ad mentem reduxerit: *Nihil,* inquit S. Augustinus, *tam salutiferum nobis est, quàm quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit DEus homo.* S. Aug serm. 61. ad Frat. in Eremo.

2. Jacob filius Isaac ovibus suis virgas populeas, & amygdalinas ex parte decorticatas in canalibus, ubi effundebatur aqua, proposuit, ex quarum intuitu & contemplatione oves similes producebant fœtus. Per has semicorticatas virgas doctissimus Quaresmius Christum in cruce pendentem, electam illam virgam de radice Jesse nudatam, decor- Gen. 30. 37.

ticatam, sanguine ac vulneribus rubicatam intelligit; Hanc, quæso, virgam & nos, tanquam oves rationales per devotam contemplationem sæpiùs intueamur, sic fieri non potest, quin non pariter electos passionis fructus pariamus; unde singulari nobis debet esse solatio; quod ab ipso Christo se didicisse refert S. Gertrudis, neminem videlicet unquam Christi crucifixi effigiem oculis compassionis aspicere, quin ab ipso Crucifixo respiciatur oculis pietatis.

Bloss. monit. spirit. c. 2.

Job. 1. 5.

3. De pientissimo Job recensent Sacræ litteræ, quòd singulis diebus holocausta pro filiis suis DEO T. O. M. obtulerit: *Consurgensque diluculò offerebat holocausta pro singulis.* Observat hìc S. Chrysostomus cum septuaginta Interpretibus: *Job offerebat sacrificium, & vitulum unum pro peccato.* Et quare hoc? Subintrat hìc antiquissimus Origenes, propterea vitulum illum Job coram filiis suis pro peccatis jugulavit, ut videntes filii, quòd pro alienis peccatis ille vitulus jugulatus moreretur, metuentes & paventes essent ab omnibus peccatis, quæ animas perimunt, & dilacerant. Alii Interpretum observant, quòd per dictum vitulum in conspectu filiorum Job occisum, Christus & hic crucifixus fuerit adumbratus: *Christus*, ait os aureum, *vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam saginatus, qui pro totius mundi salute sufficit.* Hunc ergo si respicimus, & attentiore mente contemplamur in ara crucis pro nobis immolatum & occisum, quis non abhorreat à peccatis de novo perpetrandis? Unde Job mox subjunxit: *Ne fortè peccaverint filii mei.* Audi S. Ephrem: *Contemplare*, inquit, *ô homo immaculatissimum Dominum in cruce suspensum, audesne ô imprudens & infelix homo, in deliciis ac risu universum vitæ tuæ tempus in terris transigere?* Et tu audes?

S. Chrysost. cit. à Cornel. in Luc. 1. 5. 23.

S. Ephrem tom. 3. de Pass.

4. Seraphini illi, quos quondam Isaias Prophetarum Princeps ante thronum Dei stantes & erectos conspicatus est, expansis tamen alis, quasi paratos ad volandum, Crucifixi effigiem perfectissimè adumbrabant: *Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.* Observa: Avis dum volat, extentis alis suis perfectam crucis figuram format; sic Seraphini illi alas suas expandentes veram ante thronum Dei formarunt crucem, & quare hoc? Respondet S. Germanus: *Putantes nimirum quòd nullâ figurâ, aut gestu gratiùs possent coram DEO adstare, quàm si Christum crucifixum ostentarent*, ad indicandùm nobis, quòd DEO Patri nihil magis placeat, quàm si de filio ejus pro salute generis humani crucifixo devotam instituamus meditationem: *Aspicientes*, ait Apostolus, *in Auctorem fidei & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Imitare, anima Christiana, illam alaudam, de qua narrat P. Athanasius Kircherus S. J. quòd in aëre audita sit laudem

Isa. 6. 2.

S. German. Constant. orat. de cruce.

Hebr. 12. 2.

Athanas. Kirch. Musurg l. 1. c. 14.

laudem Crucifixi hisce verbis cantilare: JESUS CHRISTUS CRUCIFIXUS.

5. Cæterùm investigant sacrarum litterarum gnari rationem, quare Centurio ille, licet Gentilis, cui Pilatus Christi in crucem acti custodiam demandaverat, tam repentè in alium hominem & in virum sanctum fuerit mutatus, dum Christum in cruce morientem vidit, cæteris interim Judæis cruci adstantibus in tenebris peccatorum & in cæcitate sua remanentibus, hinc publicè coram omnibus Christum Dei Filium confessus est: *Verè Filius Dei erat ille?* Causam assignat insignis quidam Interpres in S. Marcum, quia hic centurio stabat constans, aspiciens, & contemplans Crucifixum Dominum, & prodigia, quæ circa illum & propter illum contingebant: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat &c.* De Judæis vero observat Scriptura, quòd non diù steterint ante crucifixum, sed quòd mox præterierint: *Et prætereuntes blasphemabant eum.* En hîc pulcherrimum modum, quomodò debeas meditari Crucifixum JEsum, non mox prætereundo, sed stando firmiter, considerans, quæ ac quanta pro te & peccatis tuis sit perpessus crucifixus amor tuus: *Inspice* ait S. Augustinus, *vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. Caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc, quanta sint, cogita, hæc in statera cordis appende, ut totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce.*

Matth. 27. 54

Marc. 15. 39

S. Aug. lib. de Virgin.

6. Ita fecit, & fecerunt S. Silanus & Socii ejus Martyres Frontonius, Severinus & Severianus, qui, ubi ob fidem Catholicam & ob amorem crucifixi JEsu spinis fuerunt coronati, clavis ferreis ac sudibus transfixi, ac tandem capitibus truncati, per ingens prodigium, irruente in corpora eorum divino spiritu, abscissa capita sua super flumen, quod Yla dicitur, siccis pedibus, ac propriis manibus deportarunt, & in templo B. V. cunctis cernentibus deposuerunt.

Nadas. 2. Jan. & Bagatta fol. 120.

S. Petrus M. qui apud civitatem Aulonam, prout asserit Martyrologium Romanum, crucis supplicio interemptus est, inter omnia tormenta, crucifixum Amorem suum, tanquam antesignanum considerans, lætus decantabat: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* O si & mihi & tibi, lector Staurophile! talis sors contingeret.

Martyrol. 1. Jan & Nadal. S. J.

S. Nestor Episcopus Pergensis in Pamphilia, cùm in cruenta Decii persecutione diù noctúque orationi instaret, impensissimè rogans Deum, ut gregem suum, qui jam Christo nomen dederat, benignè custodiret, ipse comprehensus, & in equuleo jussu Præsidis Pullionis crudelissimè tortus est; & quia publicè profitebatur se semper

Martyrol. 26. Febr. & Joan. Nadal.

Christo pro salute generis humani crucifixo adhæsurum: *Cum Christo Deo meo semper fui, & sum, & ero,* in crucem actus est, ex qua crucis Cathedra Orator sanctus multa ad circumstantem populum Christianum dixit, eósque in fide solidavit; & quia populus flexis genibus ad Deum orabat, ipse in cruce orationem concludens, & dicens *Amen*, victor gloriosus migravit in cœlum.

Martyrol. 1. Febr & Jo. Nadas.

7. S. Nestori adjungo S. Ignatium Episcopum & Martyrem, qui tertius post B. Petrum Apostolum Antiochenam regebat Ecclesiam, hic inter tot primitivæ Ecclesiæ persecutiones ferè assiduò Amorem suum crucifixum meditabatur, hinc dicere solebat sæpiùs: *Amor meus crucifixus est*; Qui, ubi in persecutione Trajani Imp. damnatus jam ad bestias, Romam vinctus mitteretur, læto animo decantavit: *Nunc incipio Christi esse discipulus*, & dum præsente eodem Trajano ac circumsedente in Amphitheatro senatu immanissimis pœnarum suppliciis primò affectus, demum leonibus objiceretur devorandus, exclamavit: *Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar;* in cujus exinde corde particulatim dissecto in singulis particulis SS. Nomen JEsus aureis inscriptum litteris inventum est. Ecce quid prosit sedula crucifixi JEsu meditatio.

Finem huic Considerationi imponat B. M. Magdalena, de qua Salvator hoc testimonium perhibuit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et quam partem dices? Resp. Jugem & quotidianam Christi Amoris sui crucifixi memoriam, dum enim in sylva Massilienſi 32. annis sola moraretur, Christus S. Michaëlem ad eam ablegavit, qui illi crucem tulit, & ad ostium speluncæ erexit, ut sic horis singulis haberet quod meditaretur. Anima Christiana, erige & tu tibi in cubiculo tuo devotam Crucifixi effigiem, meditare de illo, & partem optimam elegisti.

Luc. 10. 42. Sylvestr ser. de S. M. Magdalena.

CON.

CONSIDERATIO XXXVIII.

Quomodo cum fructu de Christo crucifixo sit meditandum.

Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

1.

INspice in monte Moria, qui nomen obtinuit *Dominus videt* illustrissimum exemplum & exemplar, quod universo orbi exhibuit Patriarcharum Princeps Abraham, dum jussu Dei filium suum Isaac in voluntatem divinam resignatissimum super unum altare immolare statuit: *Posuit eum in altare, & desuper ligna composuit.* Quidnam in hoc sacrificio magis sit admirandum, an patris, an virtus filii? nescit S. Chrysostomus, quem præferre debeat, quia ambo justi, ambo sancti & divinis præceptis obtemperatissimi, ille immolando, hic sicut agnus cum summo silentio patris gladium expectando; in cujus rei memoriam illic locorum, & passim inter omnes gentes statuæ & imagines fuerunt erectæ, hoc insigne facinus repræsentantes: *Vidi*, inquit D. Gregorius Nyssenus, *sæpius descriptionis ejus* (immolationis Isaac) *imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cùm tam efficaciter, & ad vivum ob oculos historiam ejus rei poneret.* Gen. 22. 14. Cornel. hic.

Anima Christiana, si movet te hujus figuræ & antiquæ imaginis aspectus ad compatiendum, quantò magis te excitare & animare debet lamentabilis tui pientissimi Redemptoris in arâ crucis pro tuis delictis immolati aspectus & pia contemplatio? *Quisquis*, ait S. Cyrillus, *oculum animi in Christum affixum converterit, ab omni vulnere peccati illico curabitur, percutiet pectus suum: reversus per pœnitudinem ad Salvatorem.* S. Cyrill. in Evang. Joannis l. 8. c. 17.

2. Misit quondam DEUS Jeremiam Prophetam ad domum figuli, ut ibidem illius considerare opera: *Surge, & descende in domum figuli, & ibi audies verba mea:* Et subdit Jeremias: *Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotam, & dissipatum est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: Conversúsque fecit illud vas, sicut placuerat in oculis ejus,* Jerem. 8. 2.

ejus, ut faceret. Quæres, quisnam per illum figulum fuerit adumbratus? Resp. Doctissimus Quaresmius, unigenitus Dei Filius, qui secit hominem de limo terræ, & postquam hoc vas per delictum dissipatum est, hic divinus figulus in cruce, velut in rota illud refecit, & meliùs renovavit sicut placuerat in oculis ejus. Sunt, qui per vas fractum & dissipatum etiam humanitatem Christi subaudiunt, heu quot vulneribus fracta & dissipata est! Inspice & considera eam in cruce pendentem cruentis spinis redimitam, ferreis clavis confixam, & crudeli lanceâ perforatam: *Profectò*, inquit B. Petrus Damiani, *non casu sunt quinque vulnera Salvatoris lanceæ & clavorum, sed quia nos fueramus quinque sensuum vulneribus sauciati, per has quinque plagas saluti sumus perpetuæ restituti.*

Quæresm. to. 5. fol. 223.

B. Dam. Card. serm. de Pass.

3. Moyses pastor ovium, sed mox futurus pastor populi DEI, cùm oves suas in meridie ad interiora deserti minasset, derepentè vidit in monte Horeb rubum ardentem, sed tamen in medio flammæ incombustum: *Vadam*, inquiebat, *& videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus?* Et ecce cùm propiùs accedit, audit divinum Oraculum: *Ne appropies huc: Solve calceamenta de pedibus tuis.* Et quare hoc? Locus ille erat petrosus & spinosus, potiùs, si non fuisset calceatus, illi injungendum fuisset, ut de novo calcearetur, ne illius offenderentur pedes?

Exod. 3. 3.

S. Gregor. lib. 28. Mor. cap. 2.

Resp. S. Gregorius, quòd per dictum rubum in igne prorsùs illæsum nemo alius designatus sit, quàm Christus JEsus & hic crucifixus: Subintrat hîc Cornelius à Lapide: *Verbum Dei*, inquit, *in rubo, est verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas*, videlicet in monte Horeb in figura, & in Calvario monte in figurato, ubi inter spinas cruentas passionum & dolorum singulariter ejus immensa & ardens, illæsa & incombusta elucebat charitas.

Quòd autem Moyses jussus fuerit, ut calceamenta sua detraheret, si propiùs ad hunc rubum & insolitum prodigium vellet accedere, ut sic non absque læsione pedum, puncturis spinarum & cruoris effusione ad Filium Dei, qui tunc in rubo repræsentabatur, veniret, significatum fuit, ut, qui propiùs ad crucifixum JEsum per meditationem vult accedere, priùs solvat calceamenta carnalium & sæcularium cogitationum, & sic bene dispositus juxta exemplum, quod Moyses in monte Horeb monstravit, per mortificationes & pœnalitates ad Christum amorem suum crucifixum accedat: *Mortificationem JEsu in corpore nostro circumferentes, ut & vita JEsu manifestetur in corporibus nostris, semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter JEsum, ut & vita JEsu manifestetur in corporibus nostris.* O quàm pauci hoc faciunt, & intelligunt!

2. Cor. 4. 10.

4. Vide-

3. Videamus nunc modum, quomodo crucifixum JEsum cum fructu possimus meditari; Est autem Meditatio oratio mentalis, quæ memoriâ, intellectu & voluntate perficitur circa aliquod mysterium fidei, vel factum Christi ac Sanctorum, vel aliquam virtutem aut vitium &c. Partes meditationis sunt. 1. Præparatio, ut sepositò omni terreno affectu & curâ te in conspectum Dei constituas, animum colligendo, & ad id unum, quod agendum est, te applices. 2. Ut præmittas aliquam brevem orationem, quâ gratiam petas cum fructu meditandi v. g. *Veni Sancte Spiritus &c.* 3. pro imaginatione loci potes tibi ob oculos ponere montem Oliveti, in quo Christus sanguinem sudavit, montem Sion, in quo sita est civitas Hierosolyma, ubi accusatus, flagellatus, spinis coronatus, & ad mortem condemnatus est, montem Calvariæ, ubi Salvator tuus infami crucis ligno inter latrones affixus est; divide meditationem in tria puncta, prout moris est, adjunge pios affectus, ac tandem colloquium ad crucifixum JESUM. Talis meditatio, vel etiam simplex passionis Christi memoria, ait B. Albertus M. plus utilitatis homini adfert, quàm si anno integro in aqua & pane jejunaret, vel flagellis se quotidie usque ad sanguinem cæderet, aut totum psalterium quotidie recitaret. B. Albert. citatus à Lyræo & aliis.

5. Subjungo hic tibi modum summo cum fructu meditandi crucifixum JESUM, quem Sidronius de Hosche S. J. elegantibus versibus complexus est: Lege attentè, & considera.

Quis patitur? rerum Dominus, de Numine Numen.
Quid patitur? lacero corpore mille neces.
Pro quibus? ingratâ pro turbâ, & gente rebelli.
Cur? nos carnifices servet ut ipse suos.
Quis locus? infamis pœnis, & morte nocentûm.
Quando? cùm poterant facta probare Deum.
A quibus? à notis, & avito sanguine junctis.
Quomodo? non servans ullum in amore modum.

Audis hoc, & consideras, anima Christiana, quid hactenus optimo ac pretiosissimo Redemptori tuo rependisti? heu vix aliquid boni, sed plurimùm mali pro tot ac tantis bonis, & etiamnum perges peccare in Dominum ac Deum tuum, illúmque de novo cruci tradere? *Quomodò*, dicebat quondam Joseph Ægyptius, *possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Et tu audes? Gen. 39. 9.

6. Addo & praxim generalem, quomodo quodlibet Dominicæ passionis punctum, ac præsertim crucifixum Dominum nostrum sumo cum fructu possimus meditari, cum adjunctis piis affectibus, qui in tali meditatione sunt excitandi. Exemplum sit de crucifixione Domini.

Fides Credo, ac firmissimè teneo omnium Conditorem DEUM, ac hominem Christum, DEUM summæ majestatis propter nos homines, ac propter nostram salutem adeò se ipsum exinaniisse, ut latronis instar infami patibulo affigi sit dignatus. O portentum amoris!

Admiratio. Fierine potuit, ut pro tam ingratis homuncionibus, qui tantam Dei sui charitatem non agnoscent, imò contemnent, tanta majestas adeò se demittere voluerit? O abyssum charitatis! verè
Isa 54. 8. mi Domine, in charitate perpetua dilexisti me, & in misericordia sempiterna misertus es mei.

Spes Verùm cum charitas tua infinita eò etiam meâ causâ adduci potuerit, quid est, Domine Deus meus, quod ab immensa illa tua charitate meritò sperare non possim? qui tradidisti temetipsum pro me, quomodo non tecum omnia donasti?

Gratitudo. Quid interim rependam, Domine, immensæ charitati tuæ? Si meipsum tibi millies dedero, quid dabo, quod non sit titulis etiam infinitis tuum? Sed & quas gratias agam? *Dignus es Domine, accipere omnem divinitatem & gloriam &c.*

Charitas. Utinam, Domine utinam tanto tuo in me amori dignè possem rependere aliquid saltem amoris! Omninò si mihi tot forent corda, quot habent omnes homines, imò si tot forent, quot sunt in cœlo stellæ, in aëre atomi, in mari guttæ, in terra arenæ, ex illis & omnibus, & totis vellem te amare ex toto corde, ô Amor! & omne bonum meum.

Contritio Sed heu Domine, quàm infinitis illis tuis amoribus malè respondi hactenus! heu cur te toties offendi DEUM ac Redemptorem meum! ah doleo, ah Domine, ex toto corde doleo; ideoque solùm, quia tu es omni amore dignissimus. O si te nunquam offendissem; ô si nunquam! ô si nunquam!

Zelus animarum. Heu quot etiam hac horâ offendunt te Domine, quot tantis tuis laboribus sibi partam salutem negligunt? nunquid etiam eos in tuis manibus descripsisti, Domine Deus! Lege igitur scripturam, & salva eos: tui sunt.

Compassio. Sed & cùm te contemplor, bone JEsu, quàm acerba est tua in cruce paupertas, quàm amarus contemptus, quàm atrox dolor!

Imitatio. Verùm Domine, quomodo te videbo in cruce nudum, & ego quæram divitias? quomodo videbo te contemptum, & ego ambiam magnifieri? quomodo videbo te confectum doloribus, & ego carnis commoda sectabor? non, non Domine:

Absit mihi gloriari, nisi in cruce D. N. JESU Christi.

CON-

CONSIDERATIO XXXIX.

De ardenti desiderio Filii DEI in cruce redimendi perditum mundum.

Domine ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus. Psal. 37. 10.

I.

VIx Protoplasti ac protoparentes nostri pomum illud vetitum ex arbore scientiæ boni & mali contra expressum DEI mandatum degustaverant, mox Filius Dei in terrestri illo paradiso auditus est post meridiem ad auram lenem deambulans, ad cujus conspectum ac præsentiam Adam sine mora cum consorte sua sese inter densissimas abscondit arbores: *Et cùm audissent vocem Domini DEI ambulantis in paradiso ad auram post meridiem, abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini DEI in medio ligni Paradisi.* Gen. 3. 8.

Verùm ad quid ista ambulatio Filii DEI in paradiso, & quidem ad auram post meridiem; An fortasse primos istos prævaricatores ad Tartarum ablegare voluit, uti paulò antè cum Lucifero fecit: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem?* Luc. 10. 18. Minimè gentium: sed alius hîc quærendus est finis, Filius enim DEI jam tunc à mundi origine paradisi perlustravit arbores, ut sibi seligeret, ac designaret certum lignum, in quo Adamum & posteros ejus suo tempore redimeret, *ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret;* hinc rectè sancta Mater nostra Ecclesia: *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret.*

Collige ex hoc, anime mi! ardentissimum illud desiderium, quo se Servator tuus jam à prima mundi ætate promptum exhibuit, ut suo tempore pro tua, omniúmque salute in cruce moreretur. O charitas immensa! Potuisset te sine dubio justo judicio cum Angelis apostatis ob demerita tua perpetuo damnare supplicio: & ecce non dumtaxat tibi benignè pepercit, sed & decrevit pro te homo fieri, in omni inopia vivere, ac tandem in cruce pro te mori. O bonitas infinita: *In*

Isa. 54. 8. *misericordia sempiterna misertus sum tui ; dixit Redemptor tuus Dominus.* Cogita hæc, & benè perpende.

2. David, dum erat in arce & spelunca Odollam, ingenti ferebatur desiderio ex cisterna Bethlemica bibendi aquam, qui locus tunc temporis intervallo à Philistinis erat cinctus & occupatus, pro-
2. Reg. 23. 15. inde coram suis militibus in hæc verba prorupit : *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem !* Audierunt hoc Davidis desiderium tres viri fortes, Abisai, Bananias & Joathan, & ut suam in Regem fidem ac promptitudinem demonstrarent, ipso inscio per media Philistinorum castra usque in Bethlehem Davidis patriam penetrarunt, & sitienti Regi desideratam aquam attulerunt : *At ille noluit bibere : sed libavit eam Domino.*

Quæres hic, cur David tantoperè illam aquam desideraverit, & cùm allata fuisset, eam in terram effuderit, ac Domino consecraverit ? Resp. S. Ambrosius, quia David superiori illustratus spiritu totam prævidit Christi post mille annos in mundum venturi passionem, ubi in cruce, *sicut aqua effusus est &c.* Proinde *non aquarum*, inquit,
Psal. 21. 14. S. Ambros. cit. à Cornel. in 2. Reg. 23. 15. citatus Ecclesiæ Doctor, *sitiebat elementum, sed sanguinem Christi ; unde non bibit oblatam aquam, sed Domino libavit, significans sitire se Christi sacrificium, in quo esset remissio peccatorum.*

Non minori siti Christus Filius David à primo conceptionis instanti & per omnem vitam anhelabat ad suam passionem ac crucem, dum jam tunc cœlesti Patri suo sese offerebat ad mortem crucis, & in holocaustum pro peccatrice hac anima mea in ara crucis offerendum; atque ut desiderii sui in hoc opere ostenderet magnitudinem, illud
Psal. 115. 4. voto confirmavit : *Vota mea*, id est Vulnera mea, *Domino reddam.* O charitas immensa ! quis vidit, vel audivit unquam simile ? Potuisset pientissimus Salvator jam tunc & per omnem vitam omni affici honore, affluere voluptatibus, innumeris abundare divitiis &c. Et ecce meæ salutis causâ ignominiam pro honore, pro divitiis extremam paupertatem, & pro voluptate infamem elegit crucem : O amor ! ô bonitas infinita ! ô Domine ! ô Amor crucifixe ! quis satis amet te ?

3. Progrediamur ulteriùs. Perambulabat aliquando Christus Dominus Jericho civitatem, stipatus ingenti hominum turbâ, inter quos etiam erat Zachæus primus inter Publicanos, sed staturâ pusillus, qui, ut Salvatorem videre posset, præcurrens ascendit in arborem Sy-
Luc. 19. 5. comorum, ad quem mox Dominus : *Zachæe, festinans descende.* Et quare festinans ? Si bene ascenderat, cur illi dictum est *descende ?*
S. Chrysol. serm. 54. Dionys. Carth in Luc. 19. Observant sacri Interpretes, quòd per dictam Sycomorum crux Dominica fuerit præsignata, ita S. Chrysologus, Dionysius, Carthusianus,

sianus, Cornelius & alii communiter, in qua arbore & ficulnea fatua Zachæus stetit manibus adramos per modum crucis expansis, & sic quodamodò Crucifixum adumbrabat. Proinde præcepit illi mitissimus Servator: *Festinans descende*, servus non debet præcurrere Dominum, ego, ego ipse anhelo ad crucem, ego in ea exaltabor, ego per eam redimam mundum: *Hinc est*, ait citatus Carthusianus, *quòd dicitur ei festinans descende.*

Vide ex hoc, anime mi, & considera, quali affectu & siti pretiosissimus Redemptor tuus semper in vita suspiraverit ad crucem: hinc dixit: *Baptismo autem habeo baptizari; & quomodo coarctor usque dum perficiatur.* Erat autem hic baptismus non alius quàm futura passio, & cruenta mors crucis, hinc summo urgebatur desiderio, donec perficeretur. Luc. 12, 50.

4. Ad Thaboræum montem nos conferamus; Et quid video? *Transfiguratus est ante eos, & resplenduit facies ejus sicut sol:* In qua Christi transfiguratione apparuerunt & Moyses & Elias, hic ex paradiso terrestri in curru igneo Angelorum operâ transvectus, alter ex limbo, ubi illius anima morabatur, nunc cum corpore unita: *Erant autem Moyses & Elias visi in majestate*, qui in illa gloria familiariter loquebantur cum JESU. Et quid, dices, ad invicem tunc locuti sunt? Matth. 17. 2. Luc. 9. 30.

Resp. S. Lucas: *Dicebant excessum ejus, quem completurus esse in Jerusalem.* Et qualis hic erat excessus? O cœli obstupescite! Loquebatur JEsus cum duobus illis Prophetis de imminente passione sua & de acerbissima morte crucis, *erat enim*, subintrat hic S. Augustinus, *nulla materia loquendi gratior, quàm de salute & redemptione mundi tractare.* S. Aug. de 5. Hæres. c. 7.

Ubi insuper notandum, quòd S. Lucas dicat: *Dicebant excessum ejus.* Et dic, obsecro sodes! ubi major fuit amoris divini excessus quàm in cruce, dum in ea pientissimus Redemptor noster transcendit omnes limites charitatis. O anima peccatrix! quid vicissim rependis amori tuo crucifixo, pro tot affecto contumeliis, tot presso doloribus? quid rependis?

4. Pulcherrima erat illa confessio S. Petri, quam in præsentia totius collegii Apostolici de Christo fecerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi:* in cujus confessionis præmium Petrus à Domino audire meruit: *Beatus es Simon Bariona*, fecitque eum suum in his terris supremum Vicarium: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et ecce stupendam rerum metamorphosin! Vix per aliquot gressus in via processerant, ubi Christus de imminente passione sua aliquam mentionem fecit, & quia Petrus contrariam tenebat sententiam: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, sine mora à pientissimo Salvatore nostro diabolus vocatus est: *Vade post me Satana, quia scandalum es mihi, quia non sapis ea, quæ* Matth. 16. 16

Dei sunt, sed ea quæ hominum: O Petre! quàm subitò scena mutata est, priùs te canonizavit Christus: *Beatus es Simon Bariona*, nunc te Satanam appellat, & abire à se jubet: *Vade post me Sathana?*

Respondent SS. Patres & Interpretes, quia Petrus in hoc ardens Christi desiderium patiendi, & in cruce pro salute generis humani moriendi impedire voluit, dæmonem in hoc imitatus, qui pari modo per uxorem Pilati crucis mortem in Filio Dei divertere, imò totaliter impedire conatus est: *Eâdem increpatione*, ait Cajetanus, *emisit Petrum: quâ emisit diabolum tentantem: Vade Satana &c.*

Cajetan. in Matth. 4 10.

Et hæc causa erat, quòd idem Petrus etiam in monte Olivario de novo fuerit reprehensus, dum Malcho aurem amputavit: *Mitte gladium tuum in vaginam: calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Ecce Petrus novum obstaculum Christo ad mortem crucis properanti ponere voluit, dum se armatis opposuit, quibus tamem non valebat resistere! Et licet hoc ex fervore & zelo tuendi Christum, & è manibus inimicorum eum eripiendi causâ fecerit, ob temeritatem tamen à Christo hanc castigationem meruit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?*

Joan. 18. 11.

Sutius 3. Decemb.

5. Coronidem huic Considerationi imponat S. Orestes miles Christianus & gloriosissimus Martyr, qui sub Diocletiano Imp. dimicans, semper auream è collo crucem gestavit. Accidit, cùm se jaciendis missilibus cum cæteris suis commilitonibus ad scopum ipso præsente Lysiâ exercitûs duce exerceret, ut crux aurea è pectore pendula solutis nonnihil vestimentis ejus palàm appareret; Miratur Lysias in forti milite hoc insolitum crucis signum, cui Orestes intrepidè: *Christianus*, inquit, *sum, & servus crucifixi Domini mei, & gesto hoc signum ad omnia mala avertenda, quæ mihi ingruunt.* Ad quod ex mandato Lysiæ sine mora comprehensus & in vincula conjectus est; & cùm Christum crucifixum constanter prædicaret, post varia exantlata tormenta demum in candenti craticula prostratus, & in modum crucis ad imitationem Domini sui crucifixi extensus, inter has voces felicem martyrii cursum consummavit: *Domine Jesu Christe, in manus tuas commmendo spiritum meum.*

CON-

CONSIDERATIO XL.

Tota vita Christi JEsu Filii Dei in hac terra crux fuit & martyrium.

Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt. Eccles. 2. 23.

1.

ISaias Prophetarum princeps Christum Dominum & hunc crucifixum non tam verbis, quàm & moribus expressit (Isaiæ enim nomen idem est quod *Salus*, seu *Salvator Domini*) hic, inquam, Christum à Virgine conceptum, inter jumenta natum, fugientem in Ægyptum, patientem, flagellatum, crucem bajulantem, ac tandem in cruce inter sceleratos pendentem non tantùm graphicè descripsit, sed & viva imagine in se ipso expressit, dum anno ætatis suæ 126. sub Rege Manasse serrâ lignea dissectus est: *Unde patet*, ait Cornel. *Isaiam morte sua per lignum præfigurasse mortem Christi in ligno crucis.* Hic ergo talis ac tantus vir de regia prosapia oriundus, ubi mirabilem illam visionem de DEO uno & trino habuit, & cùm insuper à DEO audiret: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* ut videlicet populo Israëlitico salutem, si DEUM sequerentur, secùs, si in sceleribus permanerent, interitum annuntiaret, ultrò & sine ulla mora se ipsum ad omnes labores & passiones obtulit pro honore Dei & salute proximi perferendos: *Ecce ego, mitte me.*

Cornel in Comment. in Isa.

Isa 6. 8.

En pulcherrimum typum in Christo JEsu expletum, qui Patri suo cœlesti interroganti: *Quem mittam? & quis ibit nobis* ad mundum in peccatis deperditum redimendum ac salvandum? ultrò ac voluntariè se obtulit: *Ecce ego, mitte me;* Ego, ego paratus sum pro salute hominis omnia sustinere tormenta, ac tandem in cruce mori. O abyssus bonitatis! tantáne res erat salus peccatricis animæ meæ, ut tota vita Christi JEsu crux esset & martyrium? de qua veritate plura in sequenti Consideratione videbimus.

2. Ju-

Matth. 1. 3. 2. Judas Patriarcha ex Thamar genuit Phares & Zaram, & ecce cùm Zarah nasceretur, manum de matris utero emisit, cui mox obstetrix coccinum, seu rubicundum funiculum alligavit, & ipse cum Gen. 38. 27. coccino hoc subito manum in matris uterum retraxit: *Unus protulit manum in qua obstetrix ligavit coccinum.*

S. Paschal. in c. 1. Matth. Luc. 1. 78. S. Paschasius ait, quòd Zarah idem sit quàm *Oriens*, alludens ad illud Zachariæ canticum: *Visitavit nos Oriens ex alto &c.* Observa: Oriens ille ex alto erat Christus Dominus Deus & Salvator noster, per coccinum autem intelligitur passionis Dominicæ indicium, quod Zarah retraxit ad se in matris uterum, quia Christus jam in utero materno passionem suam inchoavit, & se ad crucem paratum exhibuit: *Eleva mentem*, ait Sandæus in suo Staurophilo, *& cogita, quomodò Christus in Matris utero subeundæ passionis vinculo se obstrinxerit &c.* Juvat hic etiam audire Eminentissimum Cardinalem Robertum Bellarminum:

De Gemitu columbæ l. 2. cap 3. *Tota*, inquit, *Christi vita perpetua passio, & passio crucis dici potuit; siquidem ab ipsa conceptionis hora cognovit sibi crucem esse paratam, & semper eam ante oculos sic habuit, ut vere dici possit toto vitæ suæ tempore in cruce pependisse.*

Exod 2. 3. 3. Moyses in lucem natus in fiscella scirpea reclinatus, & in carrecto ripæ fluminis expositus est. Christus in stabulo natus in vilissimo præsepio (crucis typo) reclinari voluit, ubi duo jumenta, asinum & bovem socios habuit, in cruce verò duos latrones: *Et* Isa. 53. 12. *cum sceleratis reputatus est.*

Isa. 9. 6. De hoc divino Parvulo Isaias vaticinatus est: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus;* non erat autem alius principatus ille quàm crux, quam jam tunc in humeros suos suscepit.

Sephora acutissimam petram tulit, quâ filium suum circumcidit dicens: *Sponsus sanguinum mihi es.* Christus parvulus octavo postnativitatem die simili plagâ sauciatus est. Verè, ô mi JESU! jam tunc Sponsus sanguinum animæ meæ factus es; quæ prima sanguinis effusio illa aurora fuit, quæ nobis cruentam illam pluviam suo
3. Reg. 18. 44. tempore in passione & in cruce futuram præsagiebat: *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari;* & quid sequitur? Et facta est *pluvia grandis*, hoc est in cruce.

1. Reg. 1. 24. 4. Samuel puerulus à piis parentibus ad domum Domini in Silo adductus, & ibidem DEO oblatus est. JESUM infantem parentes ejus DEO Patri in templo Solimæo in pacis offerebant victimam, ubi Simeon illi futuram crucem, Matri verò doloris gladium prædixit: *Ecce positus est hic in signum* (hoc est crucem) *cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Cùm

Cùm interficerentur omnes filii Ochoziæ Regis, solus Joas pue- 4. Reg. 11. 2.
rulus per Josabam salvatus, & alium in locum translatus est. Christus puerulus ut subduceretur impio Herodis gladio, à Joseph de nocte intempesta Angeli monitu absconditus, & cum SS. Matre ejus in Ægyptum delatus est: *Surge, & accipe Puerum & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum.* Supra quod Salmeron: *Dum Parvulus est, fugit, magnus autem ultrò se offert petentibus eum ad mortem*, mortem autem crucis, noluit enim ferro occidi, sed ligno. Matth 2 13. Salmeron. To 3. tr. 44.

5. Tobiam juniorem, cùm in alienam profectus esset regionem, & die statuto non ad patriam reverteretur domum, parentes ejus amaris deflebant lacrymis. Christum puerum duodennem per triduum perditum, & solicitè quæsitum parentes ejus piis deplorabant lacrymis ac suspiriis; tandem eum repererunt in templo; ubi ad eum pientissima Mater: *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Per triduum illud S. Ambrosius triduum passionis intelligit, ubi fuit amissus JEsus, & tertio die in resurrectione sua de novo inventus. Et quid interim? Resp. S. Eucherius, quòd JEsus jam tunc inter alia accuratè observaverit omnes victimas Deo Patri suo immolatas, ipse enim per omnes ejusmodi cruentas victimas erat præfiguratus, in cruce aliquando, hoc est post 21. annos, immolandus: *Erat igitur JEsus*, ait memoratus S. Eucherius, *in solemnitate, qui totus erat causa solemnitatis; ipse jugulabatur in agnis, immolabatur in vitulis, & in omnibus sacrificiis offerrebatur.* Ecce quomodo JEsus semper ad crucem suspiravit. Tob. 10. 3. Luc. 2 48. S. Ambr. his in Lucam. S. Eucher. hom. in Luc. 2.

6. Adam protoparens noster de luto terræ in agro Damasceno à Deo formatus, in paradisum ab Angelo translatus est, *ut operaretur, & custodiret illum.* Et paulò pòst capite sequenti illi insinuatum est: *In sudore vultûs tui vescéris pane.* Hoc & Adam secundus longè innocentioris vitæ, Christus Dominus à prima pueritia fecit, de quo Vates Regius: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.* Et ideò in patrem nutritium sibi elegit non divitem, non Monarcham præpotentem, sed pauperculum, fabrum lignarium, ut ante oculos suos in officina semper haberet instrumenta passionis suæ, crucem, malleos, forcipes, clavos ferreos &c. *Quia*, ut ait Gerson, *ex ligno natura humana est perdita, ideò conveniebat, ut pater lignarius diceretur, pater recuperationis & restaurationis.* Gen. 2. 15. Psal. 87. 16. Gerson de nat. Mar. consid. 1.

S. Gregorius hujus nominis Papa septimus, cùm adhuc puer esset & literarum planè rudis, contemplans in officina patrem suum fabrum lignarium tam sedulò operi incumbentem & laborantem, ipse interim lignorum sarmenta collegit; ex quibus in ordinem dispositis hæc verba efformavit: *Dominabitur à mari usque ad mare.* Eventus rem probavit, dum successu temporis ab uno gradu semper ad altiorem ascendens, Nadas. 25. Maij. Psalm. 11. 8.

tandem Papa creatus est, Ecclesiasticæ libertatis propugnator acerrimus, cujus humero dextro inter sacrificandum columba candida insidere conspecta est: cui inter tot pericula & curas pastorales lacrymanti & imago B. Virginis Mariæ collacrymari visa est.

Et quid dico de Christo adolescente & juvene? Observant SS. Patres, quòd per octodecim annos cum S. Josepho strenuè tractaverit fabrilia, nunc ligna disponendo, nunc illa metiendo, nunc securi ad fabricam aptando, nunc serram cum Patre suo reciprocando, nunc ædes construendo &c. O summe Deus, qui fabricatus es auroram & solem, & qui jam tunc dominabaris à mari usque ad mare, imò ad ultimos fines terræ, quousque te abjecisti meæ salutis causâ? Addit S. Justinus Martyr: *Faciebat opera, & juga conficiens, & carpenta, quibus nos in cœlum veheret;* Carpentum autem, quo nos in cœlum veheret, non aliud erat quàm crux, ita & S. Ambrosius, qui Sanctam crucem nominare solebat *currum triumphalem.*

S Justin. M. lib de Relig. Christ.

7. Et quid dico ulteriùs? Sedebat JEsus ex itinere lassus circà meridiem, seu horâ sextâ diei ad fontem Jacob sitiens, & potum à Photina muliere Samaritana postulans: *Mulier, da mihi bibere;* & quid sitiebat fons ille omnium gratiarum ac benedictionum? Resp. S. Antonius Paduanus: *Nostram salutem, pro quapaulò post sanguinem suum fudit.* Sitiebat autem horâ sextâ, subintrat hîc iterum Divus Antonius Pad. *Ista est hora, quando JEsus sedit in fonte misericordiæ super crucem.* En continuam sitim Christi Domini, benignissimi Salvatoris tui ad crucem ac passionem, unde filiis Zebedæi primatum in regno Dei quærentibus dixit: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo; aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?*

Joan. 4. 6.

S. Ant. Pad. hic.

Marc. 10. 38.

Denique imminente passione, ubi JEsus Jerosolymam ascendit, ibat præcurrens in via suos discipulos, cum illis de sua differens passione, ubi observat S. Marcus, quòd Discipuli sibi timuerint eò ascendere: *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam: Et præcedebat illos JEsus, & stupebant, & sequentes timebant.* Supra quod Glossa interl. *Præcedebat quasi unus moriturus pro omnibus, ad mortem imperterritus: Stupebant ex hoc, quòd ita promptè & hilariter ibat ad locum passionis* Et tu quid, si crux tibi imminet, anime mi? Audi S. Augustinum: *Tota Christiani hominis vita, crux est atque martyrium.* Audis hoc?

Marc. 10. 32.

S. Aug. serm. 32. de SS.

CON-

CONSIDERATIO XLI.

JEsus Christus & hic Crucifixus quomodo in SS. Eucharistiæ Sacramento sit considerandus?

Quotiescunque manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. Cor. 11. 26.

1.

DIversos quondam ritus ac ceremonias præscripsit Deus, quomodò Agnus Paschalis sit immolandus, & Deo consecrandus. Imprimis voluit, ut comedentes illum, *tenerent baculos in manibus.* Baculus iste præfigurabat Dominicæ crucis memoriam, unde S. Augustinus: *Nos de cruce Domini pascimur, quia corpus illius manducamus.* Et in alio loco idem S. Pater: *Jacob in baculo pertransivit Jordanem, & Christus ad redimendam Ecclesiam suam detulit Crucis lignum.* Agnus ille ab Israëlitis manducari debuit cum lactucis agrestibus: *Edent carnes assas cum lactucis agrestibus.* Supra quod Thomas Kempensis: *Quis est, qui agnum assum cum lactucis manducat? Qui Christum in cruce passum dolenter cogitat, & innocenter vivendo se castigat;* lactucæ enim sunt valde amaræ, & amaritudinem Passionis Christi, ac prævium ante sumptionem SS. Eucharistiæ præsignant pœnitentiam. Exod. 12. 11. S. August. in Ps. 100 serm. 79. de temp. Tho. Kemp. conc. 32.

Agnus ille legalis typus erat Eucharistici & crucifixi JEsu, assatus in igne, & veru ligneo suspensus. Supra quod S. Justinus Martyr: *Agnus ille, quem assum jussu Dei esse oportebat, Passionis, supplicique crucis, quo Christus affigendus erat, fuit significatio.* Rogo te, Lector prudens & Staurophile! considera agnum pendentem in ligno, occisum, excoriatum, cruentatum, & exinde veru tostum, & nihil aliud invenies, nisi JESUM & hunc crucifixum igne amoris in veru ligneo S. Crucis pro nobis assatum. S. Justin M. in dial. con. Thyph.

2. Sed & hìc in SS. Eucharistia est ille Agnus divinus, qui olim pependit in cruce; proinde rectè Concilium Tridentinum: *Una eadémque*

Sess. 13. c. 5. *demque est Hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ;* quam rationem diversam paulò post subjungit eadem Sacra Synodus: *In hoc,* inquit, *divino Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.* In cruce factus est JEsus 1. Joan 2. 2. *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantùm, sed etiam* Apoc. 1. 5. *pro totius mundi.* Ibi *lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Quod idem præstat in SS. Sacrificio Missæ, & in sumptione SS. Eucharistiæ verè dispositis. O igitur *Sacrum Convivium, in quo Christus sumitur, recolitur* Ecclesia ad Magnif. in fest. Corp. Chr. *memoria Passionis ejus, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Et quid plura requiris, si hoc pignus habes?

3. Sedet Abraham Patriarcha in convalle Mambre in ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei, & circumspiciens vidit tres ad se venientes venerandos hospites, surgit, & in occursum se parat, invitans eos humiliter ad prandium, & donec paretur cibus, eos impensè rogat: Gen. 18. 4. *Requiescite sub arbore, ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum* Novarinus hoc applicat ad Mensam Eucharisticam cum memoria Passionis Novarin. Agn. Euch. sumendam: *Sub arbore crucis requiescite Eucharistiæ panem comesturus.*

4. Elias inter tot impiæ Jezabelis persecutiones, cùm ab omnibus desertus in desertum fugeret, lassus sub umbra juniperi obdormire 3. Reg. 19. 5. cœpit: *Projecitque se, & obdormivit in umbra juniperi.* Interim adest de cœlo nuntius Angelus, excitans eum de sommo, illique panem subministrans subcineritium, ex cujus vigore Propheta confortatus, *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb.*

Facta sunt hæc in figura, scripta sunt autem propter nos. Lyranus & Dionysius Carthusianus cum aliis per hunc panem subcineritium SS. Eucharistiam intelligunt, & per juniperum Dominicam crucem: *Per spinosam juniperum intelligitur crux Salvatoris.* Ecce quàm mirabiliter Panis Eucharisticus & crux convenire, & conjungi soleant; unde rectè Gentium Doctor Paulus omnibus ad Sacram Synaxin accedentibus ait: 1. Cor. 11. 26. *Quotiescunque manducabitis Panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annuntiabitis.* Supra quod pro reflexione morali eleganter Theophilactus: Theophil. hic. *Eo,* inquit, *affectu debetis esse imbuti, cùm sumitis Eucharistiam, perinde quasi in illa ipsa Christi essetis vespera, adeóque cœna, eidemque accumberetis thoro, & ab ipso Christo acciperetis Sacrum istud: illa enim ipsa est cœna, & illam ipsam mortem annuntiamus, id est demonstramus usque ad secundum ejus adventum.* Collige ex hoc extremum Christi in nos amorem, quo pro nobis mortem subire voluit, ac tam indigna pati, quorum omnium memoriale est SS. Eucharistia. Et quid nos?

5. Da-

5. David inter tot decumanas persecutiones, rerúmque ac vitæ discrimina dicere, & sic seipsum animare solebat: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala.* Et cur non, Rex Serenissime? ipse respondet: *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Et qualis virgo ac baculus? Observa: Crux Dominica & virga & baculus vocatur: Virga Moysis, quam tenens manu in monte Horeb hostes Amalecitas devicit, & baculus, quo Jacob Jordanem pertransivit; hæc, inquam, virga & baculus Prophetæ Regio in omni tribulatione solatio erant: *Ipsa me consolata sunt.* Et quid immediatè in eodem Psalmo sequitur? *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Et qualis hæc mensa? Respondent le Blanc & communiter Interpretes, *Mensa Eucharistica*, quam David jam tunc in umbra prævidit, quæ ipsum cum cruce consolata est. Ita Hugo Carensis hìc. Ex quo infert Novarinus: *Crucem meditare ad Mensam Eucharisticam accessurus.* Et hæc est optima ad Sacram Communionem dispositio; hinc primi Christiani non aliter, quàm manibus in crucis formam supra pectus compositis, ad hanc divinam Mensam solebant accedere, ut se magis Christo crucifixo conformarent; Ita S. Joannes Damascenus: *Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibúsque in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus &c.*

Psal. 22. 4.
Exod 17. 9. Gen. 32. 10.
Novarin. Agn. Euch.
S. Joan. Dam. lib 4. de fide Orthod. c. 14.

6. Imitemur Sponsam, quæ, ut suos erga Dilectum suum explicaret amores, illum fasciculo myrrhæ assimilavit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Et quomodo fasciculus myrrhæ? Resp. Ludovicus Pontanus: In SS. Eucharistia est Christus instar fasciculi myrrhæ, dum ejus recolimus Passionem & Crucem; sed mox subjungit eadem Sponsa: *Botrus cypri dilectus meus mihi;* Et quid dulcius Cypri botro? amara quidem tibi videbitur prævia ante Communionem meditatio de Christo passo, crucifixo & mortuo, sed & hæc ipsa amaritudo vertetur tibi in optatam dulcedinem; sic imitaberis sedulam apiculam, quæ ex amaris floseulis dulcissimum mel colligit, hinc lemna: *Ex amaro dulce.*

Cant. 1. 12.

7. David Rex ingenti quondam desiderio anhelabat ad aquas de cisterna Bethlemica: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem.* Christus Filius David majori adhuc desiderio sitiebat fontem passionis suæ, generisque humani redemptionem: *Desiderio desideravi manducare hoc Pascha vobiscum, antequàm patiar.* Poterat quidem Dominus hoc sacrosanctum ac divinissimum Sacramentum alio tempore instituere, sed tempus expectavit Passionis suæ, & quidem ultimam noctem, quâ imminente solemniter illud instituit, illóque se ipsum, si ita liceat dicere, & discipulos suos communivit, ut ostenderet

1. Reg. 23. 15.
Luc. 22.

nos quoque urgente aliqua afflictione, aut persecutione taliter esse roborandos.

Et hæc causa est, quòd primi fideles, cùm à tyrannis ad tormenta & cædes ob Christiani nominis confessionem raperentur, priùs hoc SS. Sacramento reficerentur, ne dolorum acerbitate victi, in illo certamine deficerent; hinc S. Cyprianus: *Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium: Et mens deficit, quam recepta Eucharistia non erigit, & accendit.* Eliam consule, de novo per panem subcineritium, prout dictum est, erectum & accensum. Si hoc olim in umbra, quid nunc in veritate?

S. Cyprian. ep. 54. ad Cornel, Pap.

Ex vita S. Bonav.

8. Pro exemplo nobis inserviat S. Bonaventura Doctor Seraphicus, Christi Crucifixi ac Dolorosæ Matris ejus amator & cultor Zelosissimus, qui vix natus annos 14. mundum valere jussit, & Ordinem S. Francisci ingressus est, sub cujus tamen umbra frustrà humilis latitare potuit, dum totius Sacri Ordinis Generalis electus, & exinde à Gregorio X. P. M. ad purpuram pertractus est. S. Thomæ Aquinati Bibliothecam illius, è qua tamen eminentem hausisset scientiam, videre cupienti, Crucifixum ostendit. Tanta erat illius pietas erga Venerabile Sacramentum, ut aliquando, cùm ex humilitate à Sacro legendo abstineret, Angelorum ministerio illo cœlesti pabulo fuerit recreatus. Moriturus, cùm vomitu laboraret, & SS. Eucharistiam sumere non posset, rogavit, ut saltem ejus pectori admoveretur; Et ecce ingens prodigium, pectus se ipsum, instar fragrantis & maturæ rosæ aperuit, & SS. Eucharistia ultrò cor ejus penetravit. Considera ex hoc, qualem ac quantam hic Seraphicus Doctor ex Vulneribus Crucifixi hauserit scientiam ac amorem. O si & tu tanto amore flagrares in Christum pendentem de cruce, vel in SS. Eucharistia delitescentem!

CON-

CONSIDERATIO XLII.

Crux in monte Olivario Christo proposita, torcular fuit, quod ante tempus ei sanguineum expressit sudorem.

Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari; Isa. 63. 2.

1.

JAcobum Patriarcham cerno cum Angelo luctantem, sed sine sanguine: *Ecce vir luctabatur cum eo usque mane.* Jonam Prophetam intueor luctantem, & laborantem, sudantem, & æstuantem, *quia mare ibat, & tumescebat super eos*, in quod nunc esset projiciendus, sed sine sanguine. Paulum aspicio Gentibus in sudore vultûs sui prædicantem, & in laboribus pluribus anhelantem: *Testis enim mihi est Deus quomodo cupiam omnes vos in visceribus JEsu Christi*, sed sine sanguine. Gen. 32. 24. Jonæ 1. 13. Philipp 1. 8.

Unum hodie Salvatorem meum aspicio, qui in monte & horto Olivario luctatur cum Angelo, sed usque ad sanguinem, usque ad mortem. O admirandam rerum immutationem! in monte Thaboræo vultus dulcissimi JEsu instar solis irradiabat, & instar nivis candicabant vestes; jam pallor faciem occupat, sanguis per omnes artus prorumpit, & ipsa vestis divino inficitur cruore. O mæstissime JEsu! an non nimis maturè hoc facis? Adhuc desunt alapæ, verbera, flagra, spinæ & ipsa crux, in qua suspensus morte tuâ mortem omnium superabis, & tu nunc jam ante tempus moreris? *Tristis est anima mea usque ad mortem?* Ecquid tandem hunc fatalem è toto corpore expressit sudorem? Certè immensus amor tuus, & misericordia mei tantum tibi dolorem inflixit; grave peccatorum meorum onus fuit terribile illud torcular, quo instar uvæ innocentissima caro tua pressa, pretiosum & salutarem illum liquorem effudit. O dulcissime JESU! quis satis amet te?

2. San-

2. Sanctus Job expressissima Christi patientis figura fuit, præsertim in illa agonia, quando à Satan gravissimâ impetitus pugnâ fuit, in qua omnia perdidit, & toto corpore sauciatus est, de quo sacer textus: *Tunc surrexit Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram adoravit &c.* Ita, inquam, Christus Dominus in monte Olivario in gravissimo illo certamen spiritûs cum carne, & carne ipsius cum morte imò cum tartareis potestatibus ad pugnandum contra illum solutis, fecisse perhibetur: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat*, scidítque vestimenta sua non quidem externa, quæ ad commodum militum reservare voluit, sed interna corporis sui, dum ex omnibus membris & poris undequaque sacer cruor copiosissimè profluxit: *Et factus est sudor ejus velut guttæ sanguinis decurrentis in terram;* Supra quod S. Bernhardus: *Non solùm*, ait, *oculis, sed quasi omnibus membris flevisse videtur, ut totum corpus ejus, quod est Ecclesia, totius lacrymis corporis purgaretur.*

Job. 1. 20.

Luc. 22. 43.

S. Bernhard. Dom. in Ram. Psalm.

3. Cæterùm dum mecum ipse mentis & fidei oculis contemplor Dominum meum JEsum genibus ac facie in terra defixis, in agonia illa luctuosa cœlestem Patrem suum orantem, & ex omni parte sui sacratissimi corporis pretiosissimum sanguinem fundentem, ad eum conversus admiratione plenus compellor cum cœlitibus illis apud Isaiam exclamare: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*

Isa. 63. 2.

Expende hìc, quantum oportuerit esse horrorem passionis & crucis in Christo, ut sudor ejus fieret quasi guttæ sanguinis decurrentis in terram, ut non solùm corpus ipsum & vestes madefecerit, sed & ipsam terram alluerit. O extasin divini amoris! ô mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ut servum redimeres, te ipsum tradidisti! O dulcis JEsu! vidisti ibidem clarissimè & singulatim mea, & totius Mundi delicta gravissima, turpissima, innumera tibi luenda, quia *in te posuit Dominus iniquitates omnium nostrûm.* Quis hæc considerans non obstupescat? O inauditum omnibus Gentibus dolorem! ô sudor pretiosissime, myrrhæ primæ & probatissimæ! Sana omnes languores & infirmitates nostras; Sana me qui dixisti: *A vulneribus tuis sanabo te.*

Isa. 53. 9.

Jerem. 30. 17.

4. O anime mi! Si vidisses Magnum illum Sacerdotem Oniam ante crepidinem altaris tam humiliter prostratum, & pro salute populi ad Deum orantem, quid dixisses? Scripturam audi: *Jam verò qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur.* Et tu nullâ commiseratione tangeris videndo JEsum tuum in monte olivarum ob tuam salutem in proprio sanguine natantem?

2. Mach. 3. 15.

Hic vidisses Eliam Prophetam humi sub Junipero se jactantem, & usque ad mortem afflictum, atque ab Angelo roboratum:

Peti-

Petivit animæ suæ, ut moreretur. Accede & tu, & consolare JESUM, & dic ei humiliter: Imposterùm ô mi JESU! ô mi Redemptor, non ampliùs offendam te, 4 Reg. 19. 4.

Hic vidisses Davidem transgredientem torrentem Cedron in summa mœstitia & animi amaritudine: *Porrò David ascendebat clivum olivarum, scandens, & flens, nudus pedibus incedens, & operto capite.* JESUS Filius David non oculis tantùm flevit, sed & omnibus membris: *Quid ergo stas ô anima*, subintrat hic S Anselmus, *accurre, suavissimas illas guttas lambe, noli dormire cum Petro, ne merearis audire: Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* 2. Reg. 15. 30.

Hic vidisses Jonam Prophetam in profundum passionis mare projectum: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.* En Jonas evasit, ille verò venit in altitudinem maris, & tempestas demersit eum. Jonæ 1. 12.

Hic denique vidisses Jocob Patriarcham ad adventum fratris sui Esau trepidum, confugientem ad orandum DEum, qui misit Angelum, à quo confirmatus est, cùm diceret: *Si contra DEum fortis fuisti, quantò magis contra hominem prævalebis?* Et discessit ab eo Angelus, sed quando? Respondetur, quando auroram vidit: *Dimitte me, jam enim ascendit aurora.* Gen. 32. 26.

Ecce in cruenta illa agonia Angelus de cœlo Christum pariter consolatus est; sed quando discessit? Resp. Ubi auroram vidit, aurora autem illa non erat alia, quàm erumpens ex omnibus membris ejus sudor sanguineus. Væ autem animæ illi, quæ cùm multis peccatorum maculis sit inquinata, hoc sanguineo sudore renuit lavari; audiat hæc aliquando ab hoc sanguinis Sponso illud Ezechielis: *Nimio labore sudatum est, & non exivit nimia rubigo ejus, neque per ignem: Immunditia tua execrabilis est, quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus.* Ezech. 24. 12.

5. Cæterùm prætereundum non est hic silentio, quòd illud sudarium, quo Christus Dominus in monte oliveti sanguineum suum absterserit sudorem, adhuc hodie integrum in monte Sancto Bavariæ conservetur, ac summâ religione à fidelibus propter notas divini sanguinis colatur. Ita P. Gretserus 2. lib. c. 1. de cruce, & Lyræus fol. 12. Vidi hoc luctuosum sudarium, & non sine animi sensu veneratus sum.

Et quàm triste hoc erat Angelis DEI spectaculum, videre universorum Dominum jam penè mortuum, in horto Gethsemani jam trium horarum spatio in agonia illa prolixiùs orantem, quod & in cruce fecit, ait Barradius & alii, ut precibus suis Patrem humanæ genti conciliaret. De oratione crucis inquit S. Paulus: *Qui in diebus*

Hebr. 5. 7. *carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* Nihil simile auditur in Olivario monte. Audi, & considera S. Matthæ-

Matth. 26. 39. um: *Procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste.* Ergo calix iste pertransiit? Minimè gentium. Et quid sequitur? *Iterùm secundò abiit, & oravit, dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Iterum abiit, & oravit tertiò eundem sermonem dicens.* Obtinuitque? Minimè: nisi ut fieret voluntas DEI, hanc pluris quàm omnia creata simul æstimavit.

Job. 1. 6. 6. Recordor hìc illius diei, quo *cùm venissent filii Dei ut assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan*, cui petenti mox concessit DEUS, ut Jobum cruciaret, sed non occideret. DEus bone! à DEO diabolus inter filios Dei comparens, impetrat contra Job amicum Dei id quod petit; Et Filius Dei à DEO Patre non impetrat id quod pro se petit? Quid ergo despondes animum, si aliquid à DEO sæpiùs flagitasti, & non impetrasti? Imitare S. Gertudem Virginem,

Blosius in monili spiri. cap. 11. quæ suæ voluntati nihil concessit, sed omnia in voluntatem Dei & Christi in monte Oliveti agonizantis transmisit! cui apparuit aliquando mitissimus Salvator Christus, unâ manu sanitatem, alterâ ægritudinem offerens, deditque ei plenissimam optionem, quidnam vellet eligere? quæ neutrum elegit, sed plicatis in crucem manibus, & in genua procumbens: *O mi Domine*, inquiebat, volo, ut non *meam, sed tuam attendas voluntatem; ego ad utrumque parata sum, tuum est disponere &c.*



CON-

CONSIDERATIO XLIII.

Crucifigendi olim priùs ante mortem acerbè flagellabantur, quod & Christo Redemptori nostro accidit.

Tunc ergo apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit.
Jo. 19. 1.

1.

JEremias Propheta innocentissimus, priusquàm occideretur, pro veritate priùs acerbè flagellatus est: *Irati principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem.* Antequam innocentissimus Salvator tuus ad mortem crucis damnaretur, ex mandato Pilati iniquissimi Romani Judicis ad columnam vinctus atrocissimè flagellatus est: *Tunc ergo apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit*: Cùm enim adverteret judex ille interessatus non posse placari Judæorum furoré, constituit insigni aliquâ pœnâ animadvertere in dulcissimum JEsum, ut hâc contenti mortem crucis non ampliùs urgerent. Hier. 37. 14. Jo. 19. 1.

Attende anime mi, quanto horrore DEUS tuus sit perculsus, cùm latâ jam à Pilato flagellationis sententiâ, vidit confertam plebem ab aula judiciaria, ùt fit, ad locum supplicii concurrere. Interim tauri pingues jam obsidebant eum; rugiebant catuli leonum ad prædam; ululabant lupi ad agnum discerpendum.

2. Quæres cur Christi flagellatio ita præter morem cruenta fuerit? Si Pilatum roges? ideò dicet, ut eâ ratione Judæorum animos ad commiserationem excitaret: Si Patrem æternum, cur eam ipse permiserit? ideò dicet: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Si Filium Dei interrogo, quare tam dirè flagellari voluerit? Respondebit: *Probatio dilectionis exhibitio est operis.* Diligebat Jonathas David quasi animam suam, & quîd fecit? *Expoliavit se tunica, quâ erat indutus, & dedit eam David, & reliqua vestimenta sua usque ad gladium, & arcum suum, & usque ad balteum.* Diligebat animam tuam JEsus, verè dulcis Jonathas, quem amorem præcipuè patefecit in flagellatione, dum nostri gratiâ 1. Reg. 18. 3.

vestibus denudari voluit, & arma reliquit, quia non restitit hostibus suis potentiâ suâ, sed permisit se usque ad sanguinis per totum corpus profusam distillationem cædi, ut ejus sanguine spiritualibus morbis sanaremur: Audi Sanctum Augustinum: *Agnosce homo quantum valeas, & quantum debeas, & dum tantum redemptionis tuæ dignitatem perspicis, ipse tibi peccandi pudorem indicito.*

S. Aug. serm. 114. de temp.

3. Placeat immensum hanc & Patris & Filii amorem egregiâ aliquâ S. Augustini similitudine explanare; hic S. Pater ubi illum sacri Evangelii textum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, emphaticè explicare voluit, dixit: Hoc *Sic*, inquit, tantumdem esse, ac si maximi cujusdam Principis servus magnis febribus æstuaret, nullúmque aliud ad ejus sanitatem remedium supereſſet, nisi balneum ex sanguine Filii Principis, Pater tunc (servi salutem consulens) Filium totius regni unicum hæredem traderet, venas incideret, sanguinem universum eliceret, vitâque privaret. Talis fuit erga nos æterni Patris dilectio, quâ ut servos pristinâ libertate ac sanitate donaret, unigenitum Filium suum tradidit, ut flagellis totus à capite ad pedes usque cæderetur, & sanguine totus aspergeretur, de mox totus fundendus spinarum, & clavorum aculeis, incisis venis, quo peccatorum sordes abstergerentur, & vulnera sanarentur. Quod expendens S. Gregorius meritò exclamat: *O mira charitatis dilectio, ut servum redimeres, Filium tradidisti*, flagellandum, inquam, & crucifigendum. Hinc Salvator ipse hæc de se aliquoties prænuntiavit: *Tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.*

Jo. 3. 16.

Math. 20. 19.

4. Quot autem, qualibúsque flagellis Dominus noster cæsus fuerit, refert S. Vincentius serm. de Passione: Primò, inquit, Dominus noster flagellatus est spinis & vepribus acutissimis; Secundò flagellis aculeatis: Tertiò catenis hamatis. Unde S. Chrysostomus super illa verba Isaiæ: *Disciplina pacis nostræ super eum*, dicit, quòd ista disciplina fuerit triplex, dura, quia virgis, & spinis: durior, quia flagellis nodatis: durissima, quia catenis ferreis.

Isa. 53. 5.

Hanc acerbitatem flagellationis, & vulnerum ex ea profunditatem clarissimè prænuntiavit Propheta Regius, dum in Reparatoris nostri persona dixit: *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Et cur, dices, hic sacer Vates acerbissimam Christi flagellationem sub fabricæ metaphora expressit? Resp. Hoc appositè factum esse: Ut enim in fabrica construenda lapis super lapidem, cementa super cementa componuntur: Ita in Christi flagellatione plaga super plagam, vulnus super vulnus, livor super livorem infligebatur; unde idem Vates: super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Psal. 128. 3.

5. Qua-

5. Quare insuper Christus tam crudeliter flagellatus fuerit, primaria causa fuit diabolus, qui jam ab initio, & in ipso Empyreo cœlo capitalissimus Christi hostis fuit, semper ipsum in hac vita persecutus, unde & tempore mortis illius appropinquante, procuravit, ut atrocissimè flagellaretur, ut per hanc flagellationem mortem crucis impediret: *Cùm paranda esset crux*, ait S. Ignatius, *tumultuabatur, & immisit pœnitentiam proditori, & suspendium docuit. Terrebat & mulierculam & uxorem Pilati, turbans eandem in somnis, & ut crucifigendo cessarent, Satanas molliebatur, qui priùs omnem lapidem moverat, ut eadem crux pararetur, quia sentiebat suam perniciem &c.* S. Ignat. M. Epist. 8 ad Philipp.

6. Recordor hìc illius Samsonis fortissimi Nazaræorum captivi, captique oculis Philistæis in fano ludentis; Et ne ulteriùs inimicis suis foret ludibrio, columnis duabus, ad quas utraque manu adhæserat, fortiter concussis, petiit animæ suæ, ut moreretur; dumodò per hanc ruinam hostibus nocere posset, eósque opprimere, & sic plures moriens, quàm antè vivens interemit. Ju dic. 16. 29

Non sic noster Nazaræus Christus captivus, & ad columnam marmoream nunc alligatus, licet virgis viridibus ac spinosis, deinde loris nodosis filo ferreo intextis, denique catenis à sex carnificibus atrocissimè flagellaretur, non tamen inimicis suis malè precatus est, sed pro omnium salute oravit, ac patientissimè istas pœnas sustinuit. Ecce quantum sint malum peccata tua, quæ remedium habent adeò violentum. Christus pro te sic affligit carnem suam innocentem, & tu tuam tam molliter tractas nocentem? Eat nunc quis, & interroget: *Quare*, ô JESU! *rubrum est indumentum, sicut calcantium in torculari?* Et dicet: O homo! en aspersus sanguis peccatorum tuorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea sceleribus tuis contaminavit. Unde rectè exclamat Rupertus Abbas: *Spectaculum grande mundo, Angelis & hominibus, ut à servis peccati Princeps libertatis servilibus modis, flagellisque cæderetur.* Isa. 63. 2.

7. Ut Christus dilectos discipulos suos ad perfectiorem animaret patientiam, illis prædixit: *Si quis percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram.* Domine JESU? quare tu ipse de unius maxillæ percussione conquestus es, & non exemplo tuo confirmasti, quod priùs verbo docueras: *Quid me cædis?* En locutus est Dominus ad alapam, qui ad flagella & spinas, ad clavos & crucem semper siluit? R. Egregiè S. Augustinus: Cùm Christus, inquit, ad columnam esset alligatus, totúsque expositus, non erat opus, ut alteram maxillam percutienti obverteret, cùm jam totum corpus, & se ipsum tradidisset, & in manu judicis esset paratus opprobriis quibuslibet saturari; unde per Matt. 5. 39. S. August l. 1 de serm Dom. in monte.

Isa. 50. 6. Isaiam dixit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* Attende hæc verba & invenies, non alteram tantùm maxillam percutienti præbuisse, sed utramque, imò se totum.

8. S. Paulus excepit contra sententiam injustam, & appellavit ad Actor. 22. 25. Cæsarem: *Cùm astrinxissent eum loris, dicit astanti Decurioni Paulus: Si hominem Romanum, & indemnatum licet vobis flagellare?* Non excepit Christus contra sententiam injustissimam, licet tanquam Dei Filius hoc privilegium potuisset prætendere, sed generoso animo dixit: *Quoniam in flagella paratus* Psal. 37. 18. *sum.* Audi pro coronide hujus considerationis S. August. qui refert, S. Aug. serm. de Pass. quòd in ista dirissima flagellatione Filii Dei unus militū diritate supplitiorum lictorum motus, accurrerit, & inclamaverit: *Nunquid interficietis eum non judicatum?* Et ubi hæc dixit, vincula, quibus ad columnam stringebatur, præsecuit; ad quod pientissimus JEsus prolapsus in terram, in proprio sanguine volutatus est, imò & pedibus impiorum proculcatus; ita devotissimus Justus Orgelitanus in caput 1. Canticorum supra illa verba: *Botrus Cypri dilectus*, sic inquit: *Christum in modum botri conculcaverunt, & sub pedibus pressérunt.* O anime mi dum JEsum pro te sic flagellatum cogitas, noli imposterùm corpus tuum tam moliter & delicatè tractare.

CONSIDERATIO XLIV.

Consideratur Crucifixus JEsus, quare cum corona spinea in cruce vivere, & cum ea mori voluerit?

Plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus.
Jo. 19. 2.

1.

BEnignissimè DEUS & universorum Dominus, ubi populum suum de tyrannide & gravissimo Pharaonis jugo liberare voluit, non dedignatus est Moysi servo suo in spinoso & ardente rubo apparere, ad quem dixit: *Vidi afflictionem populi mei . . .* Exod. 3. 7.

descen-

deſcendi, ut liberem eum. O grande prodigium DEus inter ſpinas, & in cruce inter duos latrones! Sed adverte: Tunc DEus in veteri teſtamento nec à flamma, nec à ſpinis paſſus eſt, quia pati non poterat; igitur naturam humanam aſſumpſit, ut oſtenderet quantùm ſibi cordi eſſet noſtra à ſervitute dæmonis liberatio; unde ſuccenſus charitatis igne non ſolùm in prætorio Pilati & in foro, ſed etiam in cruce horridam ſpinis coronam conſtanter usque ad mortem geſtare voluit; ita S. Birgitta: *Coronam de ſpinis, quam depoſuerant de capite ejus, cùm crucifigeretur, iterum adaptaverunt capiti ſuo ſacratiſſimo &c.* Lib. 7. c. 15. Ita & Tertullianus & ferè omnes alii, cum qua ſpinea corona & vivere & mori voluit, ut maledictum Adami ſolveret: *Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi.* Gen. 3. 17. Audi S. Cyrillum Hieroſolymitanum: *Accepit ſententiam Adam, maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos adferet tibi, propterea JEſus accepit ſpinas, ut ſolvat hanc maledictionem.* S. Cyrill. Catech. 13. O abyſſum amoris divini!

2. Hìc adimpletum fuit illud, quando Abraham Patriarcha loco Iſaac filii ſui victimam ſpinis coronatam DEO obtulit: *Elevavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Gen. 22. 13. Supra quod S. Athanaſius: *Aries iſte, qui in Sabec hærebat ad plantam, figurabat Chriſtum pro nobis in cruce immolatum.* S. Athanaſ. & S. Hieron. hìc. Et S. Hieronymus: *Iſaac manu Angeli fuit liberatus, ſed aries inter vepres fuit mactatus: Sic humanitas Chriſti inter vepres peccatorum noſtrorum eſt paſſa;* in quo ſacrificio Abraham non obſcurè prævidit ex figurante figuratum; ita Simon Caſſianus: *Inter ſpinas hærentem cornubus arietem vidit Abraham, in qua viſione Chriſtum ænigmaticè ſpinis coronatum aſpexit.* Simon do Caſſ. l. 13.

3. Quòd Jonas typus fuerit Chriſti patientis & crucifixi, ipſa veritas declaravit, cùm enim gens Hebræorum ſignum ab eo peteret, non aliud reſpondit: *Signum non dabitur ei, niſi ſignum Jonæ Prophetæ,* Matth. 12. 39. qui, cùm in ventre piſcis in mari Mediterraneo nataret, clamavit de tribulatione ſua ad Dominum: *Pelagus operuit caput meum,* Jonæ 2. 6. Jonas, quid dicis? nunquid totus! & toto corpore eras in mari, imò & in abyſſo maris? quare ergo ſolumodò de capite tuo conqueſtus es: *Pelagus operuit caput meum.* Reſp. Verſio Tygurina: *Caeſtum implicitum eſt capiti meo,* cujus ſpinæ, ais Manſius, tantum puncturis ſuis afferunt dolorem, ut meritò dici poſſit: *Magna eſt velut mare contritio tua* Thren. 2. 13. Ecce ſpinea corona erat crucifixo JESU quaſi pelagus dolorum; unde S. Vincentius Ferrerius: *Quis ſatis cogitare poteſt, quantus dolor venerandum illud caput tot aculeis confixum affecerit, ut nos vel ad unius ſpinæ puncturam intollerabili dolore vexemur?* S. Vincent. Ferr. de ferm Paraſc.

Daniel

In explic. S. Sindonis c. 13. n. 1. Daniel Mallonius in sacra Sindone, tanquam testis ocularis, duas supra septuaginta sanguinis guttas satis magnas enumeravit, quas à spinea corona extractas adhuc hodie Turini in Sabaudia aperta conjectura demonstrat. Transfixerunt quidem ferrei clavi manus & pedes JEsu, dorsum dilacerarunt & cruentarunt flagra, genas inflictæ alapæ, sputa divinam faciem, corpus constrinxerunt funes & catenæ; sed corona acutissimis spinis referta, & adinstar pilei bis sacrosancto capiti imposita summum supra cæteros dolores amantissimo Salvatori nostro addidit dolorem, ubi revera dicere poterat: *Iniquitates vestræ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.*

Psal. 37. 5.

4. David inter tot persecutiones ac tribulationes ad DEUM suspirabat: *Circumdederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in spinis.* In Christo Davidis filio hoc completum est, ubi in passione & in cruce copiosum ac mordacissimum inimicorum apum examen in eum involavit, quod velut ignis in spinis stridorem & fragorem edens, caput illius acutissimis & venenatis aculeis in suis perforavit, & aculeos suos infixos in divino illius capite reliquit, quæ dolorosissima Mater ejus, cùm de ligno crucis deponeretur dulcissimus Filius, non sine vulneribus & cruentatione manuum collegit, & sic in veritate illud impletum est: *Sanguis sanguinem tetigit.* Regia Virgo, subintrat hìc Mallonius: doloribus plena, lacrymis profusa, Filium de cruce depositum ulnis excepit, spinosúmque Filii caput suo sinu complectens, spineam coronam è Filii capite propriis manibus revulsit, ut punctionibus B. V. manus lacerarentur. O Christiane! quis non moveatur ad lacrymas, si talem ac tantam Matrem contemplatur, regium sed spinosissimum diadema è capite Filii sui extrahentem? Interea tu coronari vis rosis, & tuas sectari voluptates ac delicias corporis? Audésne te dicere Christianum & membrum sub hoc spinoso capite?

Psal. 117. 12.

Mallon. c. 12. n. 21.

Jo. 19. 14.

5. *Ecce Rex vester*, proclamavit quondam Pilatus judex Romanus ad populum Hebræorum tunc ad perdendum JESUM in prætorio, & in platea Hierosolymæ congregatum: *Ecce Rex vester*, ubi in probrum affectati regni horrendâ & spineâ redimitum coronâ, totóque corpore ob durissimam flagellationem cruentatum, eum in medium produxit: *Ecce Rex vester.*

Clamo & ego hodie in die Parasceves ad populum Christianum, proferens vobis salutis signum, hoc est, Crucifixi JESU Regis vestri luctuosam effigiem: *Ecce Rex vester*, non clarus imperio, sed plenus opprobrio, non aureo sed spineo diademate coronatum: *Ecce Rex vester!* O qualis Rex: *Rex regum & Dominus dominantium;* Agnoscite vel ex hoc miserabili habitu Regem vestrum, & coram illo vos animitùs pro-

Apoc. 19. 16

proſternite, ſalutantes illum verbis Eccleſiæ: *Ave Rex noſter, tu ſolus noſtros es miſeratus errores &c.* Invito ad hoc luctuoſiſſimum ſpectaculum omnes Angelos & creaturas univerſas ad illum adorandum: Adorent eum omnes Angeli ejus: Omnis terra adoret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo, quia dignus eſt agnus, qui occiſus, ah occiſus eſt pro veſtra, omniúmque ſalute: *Unus pro omnibus.* Venite; adoremus eum; procidamus ante faciem ejus, & ploremus coram Domino, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Et hic occiſus?

6. Nota eſt illa parabola, in qua arbores inter ſeſe convenientes ſibi Regem voluerunt conſtituere. Recuſavit hanc dignitatem ficus, vitis & oliva, oblatúmque ſibi Regnum rhamnus lubens, volens acceptavit: *Si verè me Regem vobis conſtituitis, venite, & ſub umbra mea requieſcite.* Judic. 9. 15. Cæterùm in figura hæc illis contingebant, fuit autem hæc parabola adimpleta, quando Rex Regum primò in prætorio Pilati, & exinde ſecundò in cruce ſpinis coronatus eſt; cui ſuperimpoſuerunt regium titulum: *JEſus Nazarenus Rex Judæorum;* quæ corona ſpinea adeò validè ſacratiſſimo capiti JESU impreſſa fuit, ut usque ad cerebrum & medietatem frontis penetraret: *Tam vehementer caput Filii mei pupugit,* dicebat B. Virgo ad S. Birgittam, *ut ex ſanguine fluente replereniur oculi ejus, & obſtruerentur aures, & barbatota decurrente ſanguine deturparetur; nec ipſe me aſtantem ad crucem videre potuit.* Revel. S. Birg. l. 4. c. 40. Ite nunc impii & tepidi Chriſtiani; ite: & cum ſceleratis iſtis in libro Sapientiæ annotatis, vos roſis coronate: *Coronemus nos roſis, antequàm marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra;* Sap. 2. 8. Sed videbitis aliquando in fine, quod rhamus prædixit: *Si autem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.* Judic. 9. 15. Subintrat hìc Clemens Alexandrinus: *Tunc acerbior hæc erit caſtigatio, cùm de rhamno egredietur ignis, ignis, inquam, ille, de quo Chriſtus:] Ite in ignem æternum.* Clem. Alex. lib. 2. Pædag. c. 8.

7. O doloroſiſſime JESU! quod cor tam durum, tam lapideum, quod non ſcindatur, ſi dolores & angores tuos piâ mente conſideret: *Quanùm ad recubitum,* ait S. Laurentius Juſtinianus, *non habuiſti, ubi caput tuum reclinares: imò corona ſpinea fuit pulvinar tuum.* S. Laur. Juſt. deincend. div. amor. c. 4. Hìc ſanè, ſi unquam aliàs, *Verbum Dei cecidit in ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud.* Luc. 8. 7. Hìc adimpletum eſt illud: *Sicut lilium inter ſpinas.* Cant. 2. 2. Per hoc lilium, ait Rupertus Abbas, deſignatus eſt Chriſtus, quando toleravit tot & tantas impiorum blasphemias, probra, alapas, flagella, coronam ſpineam, crucem &c. Et ſicut lilium ſpinis transfixum ſuaviùs olet, odorémque ſuum latiùs diffundit, unde lemma: *Transfixum ſuaviùs.* Rup. hic. Sic & crucifixus Dominus ſpinis coronatus odorem ſuum per univerſum terrarum orbem ſpargit, ſub quo ſpinoſo capite omnes ſanctæ ac piæ

animæ ſecurè quieſcunt. Hìc denique adimpletum eſt illuſtre illud E-
Ezech. 30.31. zechielis vaticinium: *Quæſivi de eis virum, qui interponeret ſepem pro terra, ne diſſiparem eam.* Ecce poſt tot annorum millia apparuit ille vir pendens in ligno in medio terræ, & portans coronam ſpineam, hic, inquam, interpoſuit ſepem, quâ vallavit vineam, Eccleſiam ſuam, ne Deus diſſiparet eam, ſub hoc ergo ſpinoſo capite & vivere volumus, & mori deſideramus, *ut detur nobis corona gloriæ.*

CONSIDERATIO XLV.

Veritas à Chriſto ſemper defenſa, & prædicata, eum tandem ad necem crucis promovit, ac condemnavit.

Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Jo. 18. 37.

1.

DArius Rex, & centum ac viginti ſeptem provinciarum Dominus fecit Magnatibus ſuis cœnam magnam; & cùm obdormiviſſet, diſputarunt tres juvenes corporis illius cuſtodes ſuper hoc problema: Quidnam in orbe fortiſſimum, num vinum, Rex, mulier, an veritas? Scripſerunt omnes ſuam ſententiam, ſcriptámque cervicali Regis ſuppoſuerunt. Rex ubi evigilavit curiosè illorum perlegit opiniones, ſubriſit, ſapientes vocavit, ſententiarum rationes audivit, inter quas ſolemni cum plauſu
Esdræ 3. 12. approbata eſt ſententia Zorobabelis Judæi: *Super omnia vincit veritas.*

Ita eſt: Super omnia vincit veritas: Hæc Veritas Chriſtus eſt, qui
Joan. 14. 16. de ſe ipſo ait: *Ego ſum via, & veritas & vita;* Et licet nebula ſubinde manè ſolem obſcurare ſoleat, eluctatur tamen & omnia illa aëris impedimenta diſrumpit, quæ ipſum obvelabant. An non Chriſtus ſol juſtitiæ in vita ac præſertim in paſſione obvelatus fuit denſis adverſariorum nubibus? eluctavit tamen in die reſurrectionis: *Super omnia vincit veritas,*

2. Vo-

2. Voluit Pilatus Judex Romanus, cùm ei à Synagoga præsentaretur Christus, & constanter accusaretur, quòd Cæsari rebellis affectasset regnum Judæorum, Christum audire in propria persona: *Tu es Rex Judæorum?* cui sapientissimus Magister ac Servator noster pro tunc respondit: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: Omnis qui est ex veritate, audit vocem meam.* Ad quod inexpectatum responsum Judex admiratus est vehementer, præcipuè cùm hoc audiret idioma: *Ut testimonium perhibeam veritati.* Censebat Pilatus Christum esse Philosophum, qui more Philosophico specularetur, & ita de veritate discurreret; unde totus attonitus interrogavit: *Quid est Veritas?* Ecce quàm stulta interrogatio; tanquam Judex supremus in hac causa & tribunali; qui in hoc sanguinario judicio debebat ferre sententiam, ignorat prima principia: Quid sit veritas. Ubi notandum: *Cùm hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos,* & quidem sine mora, quia noluit audire ulterius responsum. Joan. 18. 37;

Quæro hìc, quâ linguâ Pilatus cum Christo locutus sit! Resp. Mallonius: Romani in latino tantùm sermone apud exteras nationes loquebantur; Cùm igitur tantò fieret à Romanis latina locutio, credi vix potest, quòd Pilatus in actu judiciali, in quo pro tribunali sedebat, alio, quàm latino sermone sit locutus: Ergo Pilatus in lingua latina apprimè erat versatus. Sed siste hìc parumper Judex Romane, adhuc verbum habeo ad te; tu interrgasti Dominum meum JEsum: *Quid est Veritas?* Audi per anagrama responsum, quia Latinus es & sensum intelligis: *Est Vir qui adest.* O si hoc Pilatus considerasset, sine dubio ad agnitionem æternæ veritatis pervenisset. Considera saltem hoc tu, ô mi lector, quis sit ille, qualis, ac quantus, qui pro tua salute tam indignam mortis voluit perferre sententiam. Mallon. in Explic. de S. Sind. c. 10.

3. Ita est: *Veritas odium parit.* Josephum Jacobi Patriarchæ filium considerate; dixit fratribus veritatem, & accusavit eos apud patrem de crimine pessimo, ideò ab eis captus, vestibus spoliatus, in veterem cisternam projectus, & venundatus est in Ægyptum. En typum in Christo JEsu, quia constanter veritatem prædicavit, expletum: *Nunc autem,* ait ipse ad discobulos Judæos, *quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Gen. 37. 23. Joan 8. 40.

Zacharias filius Jojadæ, quia Regem & principes arguebat, eò quòd à veritate deficerent, & Dominum ac Deum suum dereliquissent, ad imperium Regis lapidibus obrutus est; de quo Christus in Evangelio: *Quem occidistis inter templum & altare,* sub quo typo Christus se ipsum indigitavit, propter veritatem prædicatam à civibus suis ingratissimis è Nazareth eliminatus: *Ejecerunt eum extra civitatem,* ut 2. Par. 24. 20. Matth. 23. 35.

eum de monte in saxa præcipitarent; & quando à Judæis in templi atrio lapidibus petitus est: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum: JEsus autem abscondit se, & exivit de templo*, quia non per lapides, sed in cruce mori voluit.

Joan. 8. 59.

4. Achab oderat Michæam Prophetam, quia dicebat ei veritatem: *Ego*, inquiebat, *odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* Cúmque ulteriùs pergeret Michæas prædicare veritatem, & alios Pseudoprophetas proclamaret, ecce veritatis propalationis hanc iniquam recepit sententiam & vindictam: *Accessit autem Sedecias filius Chanaana, & percussit Michæam in maxillam, & dixit: Méne ergo dimisit Spiritus, & locutus est tibi?* Hanc mercedem & Christus ob liberè prædicatam tulit veritatem in aula Annæ Pontificis: *Unus assistens Ministrorum dedit alapam JEsu, dicens: Sic respondes Pontifici?* O Veritas, semper pressa, & nunquam suppressa.

3. Reg. 22. 8.

3. Reg. 22. 24.

Joan 18. 22.

Samsonem cùm apprehendissent Philistiim, statim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clausum in carcere molere fecerunt. Christo Judæi oculos velarunt, multáque percussione & contumeliis per noctem onerârunt: *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus, & interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit.* Ecce sic æstimatur, & honoratur veritas; supra quod Hugo Cardinalis: *Velant Christi faciem, qui non permittunt sibi ostendi veritatem, neque pœnarum, neque judicii.* O quot sunt tales in mundo?

Judic 16. 2.

Luc. 22. 64.

5. Jeremias, quia Regi Judæ & aliis Principibus intrepidè veritatem dixit, virgis cæsus, & acerrimè flagellatus est: *Quam ob rem irati Principes contra Jeremiam, cæsum eum miserunt in carcerem.* Pilatus veritatis osor ad verbà illa Christi, quòd ideò venerit in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, mox tergum illi vertit, & exivit ad Judæos; præcepitque ut flagellaretur mitissimus, & innocentissimus JEsus: *Tunc ergo apprehendit Pilatus JEsum, & flagellavit.* O Veritas quàm misere in hoc mundo immundo tractaris!

Jerem. 37. 14.

Joan. 19. 1.

Idem Jeremias Propheta ait: *Factus sum in derisum omni populo. Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Christus damnatus ad mortem, cùm ei vestes extraherentur, factus est in derisum omni populo, repletus item amaritudinibus, quia *dederunt ei bibere cum felle mixtum.* Et nunquid latronibus ac furibus ad extremum supplicium condemnatis ex insita hominibus commiseratione generosius offerri solet vinum, sed pientissimo Redemptori nostro amarissimum fel oblatum est; causam assignat S. Isidorus Pelusiota: *Implacabili odio Judæi oderant linguam illam, quam talibus ordinaverant amaricari saporibus: memores enim erant, quoniam damnatos illorum mores arguebat.* Ecce quomodo veritas premebatur, cùm morere-

Thren. 3. v. 14. & 15.

Matth. 27. 34.

S. Isidor. l. 13. hic.

reretur in cruce, sed audi publicum Centurionis testimonium: *Verè Filius Dei erat iste.* Matth. 27. 54.

6. Achior, quia dixit veritatem, & assecuravit ducem Holofernem, quòd non posset capere Bethuliam Deo nimis devotam; ubi insuper recensuit magnalia, quæ fecerat Deus pro filiis Israël, & magnam ejus, imò infinitam esse potentiam, irati sunt omnes magistratus Holofernis, & cogitabant interficere eum, Holofernes autem indignatus vehementer, tradidit eum Bethulitis, & alligatus fuit ad arborem: *Ligaverunt Achior ad arborem manibus & pedibus, & sic vinctum restibus dimiserunt eum, & reversi sunt ad Dominum suum.* Judith 5. 26. Judith 6. 9.

O Domine JEsu! quia veritatem semper dixisti, & ideò venisti in mundum, ut testimonium perhiberes veritati, quam tandem mercedem recepisti? Ah sævus JEsu tortor nuda extitit veritas: Veritas te vinculis tradidit; Veritas tenerrimum corpus tuum columnæ alligavit; Veritas te diris discerpsit flagris; Veritas te cruentis coronavit spinis; Veritas te arbori crucis non alligavit tantùm, sed & ferreis affixit clavis. O sancta Veritas deprædicata, hæccinè est merces tua? Et quid nunc? Audite S. Thomam Villanovanum: *O nostri sæculi perditionem! ô mundi pessimam corruptelam! ô mundum mendaciis & adulationibus plenissimum! non est Veritas in Mundo, non est qui loquatur verum cum proximo suo. Quid quid hodie vulgus loquitur, fraus & adulatio est; docuerunt enim linguas suas loqui mendacium: in hac schola exercitati sunt, in hac edocti, ut discerent fallere, mentiri, adulari, exigua attollere, ex tumulis montes facere, ex culicibus elephantes. Hæc civilitas, hæc affabilitas, & inurbanus est, quisquis fallere, & mentiri non novit.* S Thom. Villan. tract de Adv. Dom.

Hæc & plura Sanctus ille Archi-Episcopus. Et nunquid verum est?

CONSIDERATIO XLVI.

Christus DEI Filius per summam injustitiam postulatur, & condemnatur ad crucis mortem.

Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Jo. 19. 16.

1.

MUltùm laboravit Rex Darius, ut Danielem innocentem à lacu leonum liberaret. Tandem ad importunam Satraparum instantiam victus, qui ei præfecturam invidebant, statuit per edictum, ut Daniel ad leones damnaretur: *Tunc Rex præcepit: Et adduxerunt Danielem & miserunt eum in lacum leonum.* Daniel in multis Christi typus fuit, sic etiam in hoc cùm à Pilato Romano Præside ad instantiam invidorum Judæorum victo, ad mortem crucis injustissimè condemnatus est, ubi reverà in lacum leonum missus fuit: *Susceperunt autem JEsum, & eduxerunt*, hoc est Christi hostes infensissimi, milites & Judæi, qui eum purpureâ veste, qua erat indutus, exutum, propriisque vestimentis cinctum non ut hospitem & peregrinum susceperunt, sed ut ipse priùs per Vatem Regium dixit: *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam.* In quem locum S. Augustinus: *Susceperunt me sicut ille adversarius circumiens, quærens quem devoret.* Ecce quàm bene crudelitas leonis famelici cum crudelitate Judæorum comparata est; sicut enim leo famelicus summa celeritate excoriat, dilaniat, ac devorat agnum: Ita Judæi in innocentissimum Redemptorem nostrum sævientes, eum brevi tempore variis supplíciorum generibus, ac tandem in infami cruce consummarunt; unde apud Sapientem: *Morte turpissima condemnemus eum.*

Dan. 6. 16.

Joan. 19. 16.

Psalm. 16. 17.

Sap. 2. 20.

2. Ad Pilatum revertor, qui postquàm prætorium intravit, ubi Dei Filius tam horrendum in modum flagellatus, spinísque coronatus est, videns eum toto dilaceratum corpore, ac cruentatum, ut Judæorum gentem ad commiserationem moveret, egressus foras Christum universo populo ostendit, dicens: *Ecce homo.* O Angeli ubi estis? Accurrite

Joan. 19. 5.

currite ad hoc cruentum spectaculum, & Regem vestrum considerate; Accurrite homines ad compassionem, imò & vos dæmones ad stuporem & confusionem vestram: *Ecce Homo*, in quo non est, nisi unum vulnus, quia toto corpore laceratus. Et quid audio? *Tolle, tolle, crucifige eum*, & iterum: *Cùm ergo vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum.* O Pater cœlestis, quid tu ad ista? Ecce universa multitudo dilectissimum Filium tuum postulat ad mortem, mortem autem crucis, quid tu ad ista? Resp. *Crucifigatur*, ita decretum, ita statutum est, & quia ipse voluit, & amor meus erga hominem vult ipsum cruci esse affixum: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret* O pientissima sed & afflictissima Mater JEsu, qui tu ad hunc feralem clamorem? Resp. *Crucifigatur*, quia voluntas Dei est, cui contradicere non possum, ut salvetur genus humanum per arcam crucis. O Angeli & quid vos? Resp. *Crucifigatur.* Ergo Rex & Deus vester crucifigatur, quid enim mali fecit? Mori debet, respondent omnes, quia sic implebit ruinas Angelorum, & loca de cœlo lapsorum. Et tu Adam protoparens noster quid hac in causa judicas? Resp. *Crucifigatur*, quia expedit, ut unus homo, & quidem hic Homo moriatur pro populo & universo genere humano, ut non tota gens pereat; Ego olim in paradiso per lignum perdidi filios meos, hic per lignum crucis meos salvabit filios, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret* Et tandem peccator, quid in hac gravissima causa proponis? Resp. *Crucifigatur*, Bene est, ergo JEsus *crucifigatur?* O amantissime JEsu, actum est de te, actum est de te.

Joan. 19. 15.

Joan. 3. 16.

3. Hic adimpletum est illud Davidicum: *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.* Pilatus licet anteà toties Christum innocentem declaraverat: *Innocens ego sum à sanguine Justi hujus*, quem insuper sciebat per invidiam Judæorum esse traditum, ærumnis maximis agitatum, toto corpore afflictum, & jam jam penè animam agentem, his tamen non obstantibus benignissimum JESUM infami crucis morti addicit: *JEsum Nazarenum abjudico vitæ & adjudico morti crucis.* O vocem funestam! homo impius & mille infernis dignus audeat Authorem vitæ & Dominum universorum ad tam crudelem, ac tam cruentam addicere mortem. O cœli obstupescite.

Psal 93. 21.

Matth. 27. 24.

S. Anselmus in dialog. de Pass.

4. Paratur igitur sedes judicii! Judex enim Romanus sedens debebat ferre mortis sententiam: *Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus dicens: Nihil tibi & justo illi? multa enim passa sum hodie per visum.* Et quid passa es Claudia Procula uxor Pilati, posteà ad Christum conversa? Observa: Nullus Evangelistarum hoc commemorat.

S. Au-

S. Aug. serm. 117. de Temp. S. Augustinus hic subintrat: *Uxor verberatur in nocte, ut admoneat virum de die.* Et fortasse etiam veris flagellis verberata est.

S. Ignat. M. ep. ad Philip. Resp. S. Ignatius M. crucem *trophæum adversùs diaboli potentiam* appellans, *principium damnationis, mortis & ruinæ ejus.* Et quemadmodùm sagax diabolus mulierem in paradiso submiserat ad perdendum genus humanum: ita multi SS. Patrum affirmant, quòd in genere redemptionis nostræ, quia vires suas per Christi passionem fractas vidit, per mulierem crucis mortem in Christo voluerit impedire, ne salvaretur ab interitu genus humanum. Sed non audivit Pilatus hujus uxoris suæ intercessionem, nisi in hoc: Matth. 27. 24. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus: vos videritis; & respondens universus populus dixit: Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.* O crudelissimi Patres, imò canes rabidissimi, quibus non sufficiebat damnatio propria, sed totam posteritatem tanto sceleri & deicidio voluit esse obnoxiam; Unde S. Vincentius Ferrerius: S. Vin. Ferr. ser. de Parasc. *O quàm horrendum testamentum fecit hic populus stultus, manet enim hoc testamentum usque in hodiernum diem: nam in signum hujus vindictæ, quando masculi Judæorum de hoc genere, qui sic clamabant, nascuntur, habent manum dexteram plenam sanguine capiti innixam.*

5. David ab Abisai sæpiùs erat monitus, ut contra Saul capitalissimum hostem suum machinaretur necem; Ingruebat tempus nocturnum, ingreditur David in summo silentio Saulis tentorium, reperit occasionem peraccommodam illum è medio tollendi, sed noluit 1. Reg. 26. 9. hoc scelus committere: *Quis enim,* inquiebat, *extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?* Et nunquid Saul ex pluribus causis promeruit mortem, qui jam tunc à DEO erat reprobatus, ne ulteriùs regnaret super Israël? Ita quidem est; sed noluit David manus suas in hujus scelerati Regis lavare sanguine.

O Pilate! quid tibi mali fecit mitissimus JESUS? Agnovisti ipsemet, & palàm testatus es eum esse justum & innoxium, cur ergo lavas manus, antequam in eum mortis proferas sententiam: Matth. 27. 24. *Acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus?* Lavit quidem manus, ait S. Ambrosius, sed facta non diluit; Judex enim nec S. Ambr. in Luc. 23. invidiæ cedere debuit, nec timori, ut sanguinem innocentis damnaret. Observa: Vocat illum justum, & tradit eum tanquam summum malefactorem in mortem crucis; qualis obsecro, Innocentiæ puritas, aqua in manibus & sanguis in conscientia. O maledictum interesse! tu hoc feciisti. Attendite Judices universi, timeo, quin in multis adhuc Isa. 1. 15. hodie verificetur illud Isaiæ: *Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt:* sed veniet tempus, quando idem hic Dominus nunc ad mortem damnatus Psalm. 74. 3. justitias vestras judicabit: *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.*

6. Cæ-

6. Cæterùm legimus in Deuteronomio Judæis hanc à Deo legem esse datam, quòd si inventum fuisset in via cadaver hominis interfecti, acciperent vitulam rufam, & primates civitatis cædentes vitulam, aquâ lavarent manus suas super vitulam, dicentes: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc: neque oculi viderunt. Propitius esto populo Israel, quem redemisti Domine.* Deut. 21. 7. Observa Lector prudens; Per omnes ejusmodi victimas mundas ac legales olim in umbra designata fuit ac præfigurata innocentissima victima (Christus JEsus) olim in ara crucis pro salute omnium immolanda; Lavit quidem manus Romanus Judex, ut suam testaretur innocentiam, sed incassùm, sed neque Judæi volebant esse interfectores Christi: *Nobis non licet occidere quemquam.* Quis ergo Christum Dominum ad mortem crucis condemnavit? O amor divine, ô amor, ô amor, tu hoc feciſti, *de Deo enim*, ait Mellifluus, *triumphavit amor.*

7. Redeo ad Pilatum natione Gallum, patriâ Lugdunensem. Fuit iis spurius, patre nobilissimo Regulo Tyro sed matre sordida natus: Adolescens & vir pessimis moribus, fratricida, seditiosus & versipellis, ab Imperatore tamen Tyberio Judææ procurator constitutus est; post Christi obitum & ascensionem in cœlum Romam citatus in exilium missus est, in quo Lugduni, divinam in se advertens ultionem, in desperationem actus, sibi ipsi mortem consciviſt, ut, qui iniqui Judicis officio functus est, dum Authorem vitæ ad crucem damnavit, ipse sibi gladio cor transverberaret, & animam in Orcum transmitteret; ita enim decebat, ait Mallonius, ut divina sic ulciscente vindicta, pessimus vir propria se manu transfoderet, cùm pejorem se judicem invenire non posset, cujus auctoritate necaretur. Advertant hoc omnes iniqui Judices. Mallon. de S. Sind. c. 10.

CONSIDERATIO XLVII.

Christus ferens crucem omnes Christianos ad sui sequelam invitat, & animat.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. 10. 38.

1.

Judic. 9. 49.

ABimelech ducem suum omnes milites secuti sunt, ubi montem Selmon ascendit, & arreptâ securi arboris ramum præcidit, humerisque impositum asportavit, ad milites suos de monte succlamans: *Quod me vidistis facere, citò facite. Igitur certatim ramos de arboribus præcidentes sequebantur ducem.*

Dux noster Christus est, præit ille, & humeris suis non arboris ramum, sed crucem gravissimam 15. pedes longam & 8. latam in montem Calvarium asportat, viámque suo sanguine signat. Sequamur & nos hunc ducem nostrum, crucémque cum eo generoso feramus animo, quia non est in aliquo alio salus, nisi in Christo JEsu crucifixo: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.*

Matth. 10. 38.

Marc. 15. 21.

2. De Simone Cyrenæo refert Sacer Scriptor: *Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum, venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, ut tolleret crucem ejus.* O si sciviſſet ille Cyrenæus & alienigena, quis esset ille homo, qui prior illam crucem portavit; O si sciviſſet pariter eandem crucem Heraclium Imperatorem summa cum veneratione humeris suis, habitu vili indutum, ac pedibus nudis portaturum, sine dubio illam exosculatus, humero paratissimo excepisset: *Salve crux pretiosa!*

Gen. 19. 15.

Loth prorsùs invitus ab Angelis ex civitate Sodoma extractus est: *Cúmque esset manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Surge, tolle uxorem tuam, & duas filias quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere civitatis.* Sed eductus paulò pòst agnovit beneficium, & gratias Deo & benefactoribus egit. Ita & Simon ex oppido Cyrene per milites & Judæos compulsus, ut Chri-

Christi crucem, ne tot fatigatus ac cruentatus vulneribus in via deficeret, in se reciperet, & ad locum deportaret supplicii; ubi à Deo in fide illustratus fuit, infinitas ei gratias egit, fuit enim Simon in hoc itinere compunctus, profectúsque exinde cum S. Paulo Apostolo in Hispaniam Dertosæ Episcopus factus est, ac vixit sanctissime, fastis Ecclesiæ adscriptus. Ex quibus satis luculenter videmus, ideò à prientissimo Redemptore nostro crucis translationem in humeros Simonis factam esse, ut intelligamus non esse satis ad nostram consequendam salutem, Christum ducem nostrum prætulisse crucem, sed insuper oportet, ut & nos crucem nostram post eum feramus, juxta illud Veritatis: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam, & sequatur me.* Hadr. Lyr. de Imit. Chr. lib. 4. cap. 1. Matth. 16. 24.

3. Immortali laude dignus est Armiger ille, qui Jonathæ principi ac hero suo in bello contra Philistinos inserviebat, ejúsque solebat portare arma, ad quem Jonathas: *Ascendamus, sequere me, tradidit enim Dominus eos in manus Israël; ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & Armiger ejus post eum.* 1. Reg. 14. 12.

Per Jonatham, prout alibi diximus, Christus dulcis ille Jonathas adumbratus est, ad petram Golgothæam & prærupta montis cacumina crucem ferens, atque præ lassitudine virium manibus & pedibus reptans. Tu anime mi, sis ille Armiger, & ascende animosè cum eo ad Calvariæ collem, portans crucem tuam post eum, & si difficilis videtur illa via, Dominus præcessit, servum oportet sequi: *Servus non est major Domino suo.* Joan. 15. 20.

4. Gedeonem virorum fortissimum adversùs Madianitas bellum gerentem, secuti sunt de nocte intempesta viri trecenti electi, cum eo tubam, lagenam ac lucernam portantes, ad quos Gedeon: *Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini, quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate Domino & Gedeoni.* Judic. 7. 17. En ascendit cum ponderosa cruce in montem plus quàm Gedeon, ipse Christus ac Dominus Deus noster, ut castra Madianitarum, Mundi ac diaboli subvertat. Eja generosi milites Christiani, ascendamus & nos post eum, & non inferamus crimen gloriæ nostræ; ascendamus, inquam, ut diabolum, mundum, carnem & peccatum vincamus: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.* Hebr. 13. 13. Imitemur illum fidelissimum Davidis servum, cui nomen Ethai, qui Dominum suum regem exulantem & profugum, posthabito omni vitæ periculo, secutus est: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex. Quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* 2. Reg. 15. 21.

5. Miror, quare Sponsa illa dilecta amantissimum Sponsum suum
Cant. 2. 9. cervo comparaverit: *Similis est Dilectus meus hinnulo cervorum.* Et quare cervo? Observa: Cervus si flumen aut torrentem trajicere discupit,
Plinius lib. 8. cap. 32. priùs vocem in sylva edit, & ad sequelam suos vocat socios, cum quibus ad ripam vadit, primúsque cornua sua, tanquam crucem supra dorsum ferens, animosè flumen intrat, quem sequitur secundus capite supra tergum ejus posito, & sic de cæteris, ubi semper unus alterius dorso caput imponit, & sic feliciter ad littus alterum transnatant. Ita Plinius; unde lemma: *Mens omnibus una sequendi*; Vel si mavis: *Alternis fa-*
Matth. 8. 19. *cilis labor;* aut illud ex S. Matthæo: *Quocunque ierit:* Talis cervus, vult dicere Sponsa, est quoque Dilectus meus, qui primus per torrentem passionis suæ ad alterum & æternæ felicitatis portum transnatavit, crucem supra dorsum suum ferens, viámque monstrans, ac omni Christiano inclamans: *Sequere me:* Et nos illi terga vertamus?

S. Ignat. S. J. Fund. hebd. 2. p. 1. 6. Hanc veritatem magnus ille Dei Servus S. Ignatius Soc. JEsu Fundator pulcherrimè per nota illa duo vexilla in sacris suis Exercitiis proposuit, ubi ex una parte Luciferum, Tartareum illum tyrannum inducit: *Imaginare,* inquit, *coram oculis tuis apud campum Babylonicum ducem impiorum, in cathedra ignea & fumosa sedare, horribilem figurâ vultúque terribilem,* qui sub signa sua milites suos vocans, eis viam latissimam rectà ad interitum aperit, in quem finem suos emissarios in omnem terram ablegat, quatenùs omne hominum genus ad peccata & imperfectiones inducant, ut sic æternùm aliquando fiant infelices: *Convocatos dæmones innumeros per totum orbem spargit, nullis civitatibus & locis, nullis per sonarum generibus immunibus relictis.*

Ex altera parte idem Sanctissimus Patriarcha Christum JEsum speciosum præ filiis hominum propè Hierusalem in amæno campo statuit, crucem, tanquam victoriæ trophæum manu tenentem, qui optimus ac summus Imperator omnes homines ad sui sequelam, vitámque
Matth 11. 28. æternam invitat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* In quem finem Apostolos suos, aliósque servos suos electos emittit, ut & ipsi pariter omne mortalium genus ad hujus cœlestis ducis sequelam, vitámque meliorem & sempiternam invitent: *Apostolos, discipulos, & ministros alios per orbem mittens, qui omni hominum generi, statui & conditioni doctrinam sacram & salutiferam impertiant.* Et quis, obsecro, hunc optimum Dominum ac ducem suum non sequatur?

7. Proponit quidem Sathan suis sequacibus dies videre bonos, carnis frui illecebris, amorem proprium & divitiarum, superbiam vitæ, honores, & plura alia mundana, ut sic elati miseri illi mortales in omne vitiorum genus ruant præcipites. Christus econtrà invitat suos ad humili-

militatem, contemptum sui, paupertatem, carnis mortificationem, crucémque patienter ferendam, ut sic in omni virtute proficientes melius ad vitam disponantur æternam, atque sic perpetuâ cum Amore suo Crucifixo perfruantur gloriâ ac beatitudine. O anima mea, erige te, ad quid moraris? Considera ad quid creata sis; *Et quousque claudicabis in duas partes? Si Dominus est Deus tuus, cur illum non sequeris?* 3 Reg. 18. 21.

8. Avis, quia dulcem aucupis fistulam sequitur, & ob spem paucorum granorum in aream incauta volat, ex improviso irretitur, & venatori in prædam cedit: *Fistula dulce canit, volucrem cùm decipit auceps.* Piscis, dum in undis vermiculum hamo affixum sequitur, se ipsum decipit, & interimit, unde lemma: *Capio capientem.* Ovis, dum à facie pastoris remota pinguia sequitur pascua, à lupo capitur, & devoratur: En similem faciem illorum, qui dæmonem, mundum & carnem sequuntur, *quorum Deus venter est, & finis interitus.* Non sic sequela Christi, non sic, dum priùs per aspera, sed dein ad prospera vocat; priùs fel, sed exinde mel propinat; priùs per spinas, sed tandem ad rosas ducit. O quàm bonum igitur est, sequi vestigia Christi præsertim crucem bajulantis! Philipp 3. 19.

9. Talis fuit S. Martinus Episcopus Turonensis: Quia pauperculum adhuc miles suâ vestis parte contexit, Dominum suum crucifixum ad Angelos dicentem audire meruit: *Martinus adhuc Catechumenus, hac me veste contexit;* Cui paulò pòst Satanas glorioſus & purpuratus in specie Christi apparuit, ad quem Sanctus: *Christum ego nullum novi, nisi Crucifixum, tu facesse.* Ad Julianum Apostatam audacter dixit: *Ego signo crucis non clypeo protectus, aut galeâ, hostium cuneos penetrabo securus.* In Episcopatu suo fidem longè latéque propagans, arborem vastissimam & succisam, in se proruentem, signo crucis in alteram partem detorsit, & dæmonem confudit; ad quem in agone rediens dixit: *Quid adstas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies*, & facto signo crucis eum fugavit. Vide ex his, quomodo omnia cooperentur in bonum illis, qui Christi castra sequuntur. In Vita S. Martin. Ep.

CONSIDERATIO XLVIII.

Christus crucem ferens cur dixerit piis Mulieribus: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete?

Sequebatur illum multa turba populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Luc. 23. 27.

1.

JOab, ubi Absolomum cum Davide patre reconciliare voluit, Thecuam misit, & tulit inde mulierem sapientem, quæ in habitu lugubri ad Regem ingressa, eum mirum in modum placavit: *Sis quasi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum, & ingredieris ad Regem, & loqueris ad eum sermones hujuscemodi &c.* Quis, obsecro, iste mortuus, quem plurimo, imò toto vitæ tempore lugere debet homo Christianus? Resp. Homo iste Christus est, Deus & Homo, qui pro nobis tanta passus, in cruce mortuus, ac sepultus est, hunc, inquam, debemus omni vitæ tempore lugere, illique compati ex animo, quòd tam indigna pro nobis indignis pati dignatus sit.

2. Reg. 14. 3.

Jonghen. supt agnip 1. Labor. 10.

Non Thecuitem aliquam propono hodie, sed Sionidas, pias mulieres, quæ amarissimo planctu Christum ad cadaverosum Calvariæ montem sub cruce ambulantem deplorabant, tristem morituro JEsu lessum canentes: *Sequebatur illum*, ait Evangelista, *turba multa populi & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum.* Quid verò Salvator noster de hac conploratione? *Conversus autem ad illas JEsus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros.* Ecce Dominus JEsus non desiderat, ut doleamus super dolore suo, sed super potissima causâ doloris ejus, hoc est, ut de sceleribus nostris intimè tristemur. Quis igitur nobis dabit aquas, imò quis omnes venas, arterias, nervos, ossa, membra universa corporis nostri vertet in Oceanum lacrymarum? ut plangamus in amarissima amaritudine animæ omnes iniquitates nostras propter JEsum offensum?

Luc. 23. 27.

2. Da-

2. David Rex in Israël piè plorantium agmen ducat; hic quantùm defleverit geminum suum peccatum licet à Deo jam condonatum, ipse pluries fassus est. Vix poculum ori admovit sitibundus, & fontana temperando vino fluxit ex siphone oculo, hinc illud ejus testimonium: *Potum meum cum fletu miscebam.* Neque hic stetit optimi Regis pœnitentia; sed quia interdiu plerúmque animum sibi rapiebant negotia domestica, civilia, bellica, quo minus indulgere posset deplorandæ culpæ, idcircò compensaturus nocturnis tenebris, quod claro sole neglexerat: *Lavabo* solebat dicere, *per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum rigabo.* Pulchrè ad propositum S. Chrysostomus: *Cùm omnes quietem & otium agerent, solus ille tunc Deum interpellabat, & aderat sopiri nescius oculus ploranti, suáque profitenti mala.* O quàm multùm ab hoc pœnitente distamus! Psal. 101. 10. Psalm. 9. 7. S. Chrysost. concione 1. de Lazaro.

3. Hunc pium Regem peccatis suis constantissimè illacrymantem, laudandâ æmulatione S. Petrus Apostolorum caput imitari voluit. Cùm enim ab imbelli una ancillula ad trinam Domini abnegationem dejectus esset, improvidus æquè ac meticulosus pugil, simul ut gallum accinentem audiit: *Petrus flevit amarè.* Heu! quàm longè à Petro absumus! multi post deflenda sanguineis lacrymis facinora, cùm Heraclitii esse deberent, Democriti fiunt, & quidquid domi cachinnorum habent, largissimè effundunt, atque, quod Sapiens deplorat, *lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Sed veniet aliquando tempus, ubi & illud verificabitur: *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupabit.* S. Petrus non contentus unâ criminis deploratione fuit, repetivit eandem sæpiùs, erátque illi solenne, per omnem deinde vitam quotidie ad primum galli cantum strato levare corpusculum, provolvi in genua, & per noctis reliquias inter vota, precésque patratam olim culpam jugiter deflere; factúmque est, ut ex continuo stillantium oculorum fluxu sulcos in genis acciperet, binósque velut canales, præclarum dolentis animi honestamentum. Luc. 22. 62. Prov. 2. 14. Prov 14. 13. Clemens Alex. lib. 1. Recognit.

4. Jungamus lacrymanti Petro sociam Magdalenam. Hæc ut orbi constaret, quantùm priora luxuriantis vitæ iterata damnaret scelera, Magistro suo JESU, cujus doctrinâ dedisscere cœpit turpitudinem, novo atque insolenti exemplo balneum paravit, sed ex iis aquis, quas oculi ministrârunt, & verissimus de noxis dolor. *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* Eliæ sacrificium igne cœlesti absumptum est, sed priùs aquâ ter affusâ; ita Magdalenæ cor igne cœlesti absumitur, cùm *dilexit multum*, sed multis lacrymis priùs effusis. Luc 7. 38. 3. Reg. 18. 38.

O si vidissemus hanc pœnitentem Magdalenam sub cruce stantem, ac patientem & demortuum Filium DEI plorantem! Flevit

Agar

Gen. 21. 16. Agar in deserto morientem filium suum Ismaëlem sub arbore sedens,
Gen. 37. 34. & noluit consolari. Flevit Jacob elevatâ voce, ubi inaudiit Josephum
Gen. 43. 30. dilectissimum filium à ferâ pessimâ devoratum. Flevit Joseph Ægypti
Pro-Rex, & commota sunt omnia viscera ejus super fratre suo Benja-
1. Reg. 20. 41. min. Flevit Jonathas & David se invicem osculantes, David autem
Judic. 2. 1. amplius. Flevit Israël universus, ubi Angelus Domini venit ad locum
flentium, & improperavit filiis Israël beneficia, quæ à Deo receperant, & peccata quæ commiserant, *& elevaverunt vocem & fleverunt.* Flevit & Magdalena & quidem amplius, stans sub arbore crucis, & ad sepulchrum Domini, Amoris sui crucifixi. Flevit quidem in domo Simonis Leprosi, sed tunc adhuc ignorabat quàm carô, imò immenso divini sanguinis pretio essent luenda illa, quæ patraverat peccata: verùm ubi nunc vidit in cruce pendentem JEsum, desolatum, mortuum & toto corpore plagatum, in quem firmâ fide credidit Deum esse & Hominem, ac pro salute omnium tam indigna passum; ah quis dicet, quantùm doluerit; tunc de illa poterat verificari illud Davidis: *Exitus*
Ps. 118. 136. *aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.*

5. Quòd Christus non solùm super Jerusalem, & Lazarum fleverit, sed etiam in cruce, de fide est, imò observant SS. Patres, Christum nunquam sine lacrymis orasse; & sicut Job de se ipso testatur:
Job 16. 21. *Ad Deum stillat oculus meus*, ita & in Christo, dum sæpius pernoctabat in oratione Dei, stillabant pretiosæ lacrymæ de facie ejus; unde rectè
Psal. 55. 9. Vates Regius: *Deus vitam meam annuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* O pretiosæ lacrymæ! Arca Noëmica per aquas diluvii à terra alevata est in sublime; ita animus in limo profundi constitutus, & luto delictorum defixus, extollitur exundantiâ lacrymarum: *Quando o-*
Tob. 12. 12. *rabas cum lacrymis*, dicebat quondam Raphaël Archangelus ad Seniorem Tobiam, *ego obtuli orationem tuam*, & S. Hieronymus: *Oratio Deum*
S. Hieron. in Isa. 38. *lenit, sed lacryma cogit.*

6. Cæcum illum à nativitate hominem Christus misit ad natatoria
Joan. 9. 7. Siloë, ut ibidem se lavaret: *Abiit ergo, & lavit, & venit videns*: Supra quod
S. Bernhard. ser. 4. de 8. Beatitud. S. Bernhardinus: Lacrymæ sunt natatorium Siloë, ubi cœcus illuminatur, & Stapletonius: Ut enim ille, qui se in natatoria Siloë lavit, à cœcitate corporis curatus est, ita qui se in lacrymis lavant, oculos mentis sibi aperiri advertent. Proba, & videbis.

Ubi Veritas Christus cœnam ultimam cum discipulis suis celebrare voluit, Petrum & Joannem in urbem præmisit, ut pararent pascha: eisque signum dedit, in quo loco cuncta pararent necessaria:
Luc. 22. 10. *Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans.* Et quare hoc? Resp. de Rampelogis: Homo amphoram aquæ

portans

portans est peccator pœnitens, cor lacrymis plenum ferens, quem sequentes Angeli intrant ejus hospitium, & parant pascha Domino.

Et quis non obstupescat, quòd Christus Dominus universorum *cœpit lavare pedes Discipulorum?* Et quare non etiam suos? Resp. S. Ambrosius: Christus lavit pedes Discipulorum, non suos, quia eos nobis lacrymis lavandos reliquit. Jo. 13. 5. S. Amb. l. 6. in Luc.

7. O quot causas habemus Christi JESU Crucifixi lacrymis nostris sacratos lavandi pedes! De ipso dicit S. Lucas: *Et factus in agonia, prolixiùs orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* Ecce quomodò amaverit nos, subinfert hìc Mellifluus, dum non tantùm oculis, sed & membris omnibus fleverit. Tanti ponderis erat salus nostra. Luc. 22. 43. S. Bernh ser. 3. D. Psalm.

B. Margaritha Hungarica, Virgo sanctissima genas habebat fluxu lacrymarum adustas, quas solebat coram Crucifixo amore suo profundere. S. Franciscа Romana cùm amarissimam Redemptoris nostri passionem & dolores meditaretur, tam effusè plorabat, ut timerent domestici, ne ob doloris vehementiam animam expiraret. Boll. 23. Jan.

B. Ludwina Virgo lacrymas sanguineas amore Crucifixi fundebat, quas rosas suas vocabat. O anima Christiana! quid nos agimus, dum in cruce pendentem vitam nostrã spectamus: *Et erit vita tua quasi pendens ante te?* Et si quidem Crucifixum Dominum tuum non dignum æstimas unâ lacrymulâ, quomodò non ploras propter peccata tua, quæ causa fuerunt tam cruentæ passionis? Ah nos miseros! Moyses *percussit petram, & fluxerunt aquæ.* Millies nos Moyses flagellaverit virgâ suâ, nec semel ex his saxis guttam extundet ad diluenda nostra peccata: *Beati qui lugent*, ait Veritas, supra quod Os aureum: Non illi beati, qui lugent mortuum, non jacturam, sed peccatum, nihil enim in hoc orbe fletu & amarissimo luctu dignum est, nisi cùm offenditur Creator omnium rerum. Deut. 28. 66. Psal. 77. 20. Matth. 5. 5. S. Chrysost. hom. 22. ad popul.

CONSIDERATIO XLIX.

Cur Christus Dominus cum bajulans, cruentam suam faciem in sudario S. Veronicæ impressam reliquerit?

Respice in faciem Christi tui. Psal. 83. 10.

1.

VIdit quondam Isaias Prophetarum Princeps non tam corporis, ait S. Augustinus, quàm & mentis oculis mirabilem ac plane magnificam apparitionem, de qua ipse sic loquitur: Isa. 6. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant: & clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEus exercituum, plena est omnis terra gloria ejus.*

Quæres hìc, quare Seraphini illi faciem Domini & pedes ejus pennis suis extentis velaverint? Resp. Rupert. Abbas: facies, ait, Rup. hic. est divinitas Christi, pedes sunt ejus humanitas, passio & crux, quod altissimum verbi incarnati mysterium ipsis etiam Seraphinis erat tunc inpenetrabile, nunc in tanta gloria videre universorum Dominum, & paulò pòst in passione faciem ejus tam miserandum in modum cruentatam ac deformatam. Hinc S. Ephrem loquens de impio ministro, qui coram Caipha tam horrendam Christo alapam inflixit: S. Ephrem. cit. à Cornel. hic in Isa. *Contremuerunt*, inquit, *cæli, fundamenta orbis concussa sunt, expaverunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel & Michael facies suas alis contexerunt, Cherubim trementia sub rotis se addiderunt. Seraphim illâ horâ alas ad invicem collisisse visa sunt, cùm daret minister iniquitatis alapam Domino majestatis*, quæ alapa adhuc hodie in facie & Sudario S. Veronicæ impressa cernitur. O quoties tu, ô peccator, tales cruentas inflixisti alapas Christo JESU? toties videlicet, quoties voluntarium mortale peccatum commisisti: Et nondum times, ac cessas? Væ aliquando tibi. Sed pergamus ulteriùs & ad alia adhuc majora.

2. Idem

2. Idem Isaias Dominum gloriæ vidit inter duos principaliores Seraphinos & inter innumeros circumstantes Angelos, lætâ voce illud trisagium ipsi acclamantes: *Sanctus, sanctus, sanctus.* Ah quid ego video! Isa. 6. 3. non ampliùs Dominum gloriæ, sed abjectissimum virorum, non inter Seraphinos, sed inter latrones crucem suam ad Calvarium montem bajulantem! nihil hìc auditur de illo trisagio, sed triste illud: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Et ecce ubi venit ad domum Berenicis, vulgò S. Veronicæ, quæ devota Christi erat discipula, accurrit illa per turbas & carnifices, per enses & hastas, & detecto sibi capitis velamine Bombycino, illud offert pientissimo Salvatori, quo sanguinem, sputa & sordes in facie sua abstergeret, cui Dominus in sudario illo faciei suæ imaginem, ah quàm miserandum in modum cruentatam perfectè impressit, & in singulare amoris sui pignus illi, & Ecclesiæ suæ reliquit: O anime mi, *Respice in faciem Christi tui.* Psal 83. 10.

Vidi quondam Romæ in Paraseeve in Vaticano S. Petri Ap. hanc sacratissimam Christi crucem ad locum tormentorum bajulantis faciem, vidi, inquam, sed non sine sacro horrore ac lacrymis: Hæccinè, pensabam apud me, sit illa divina facies, in quam desiderant Angeli prospicere? O bone JEsu! quantùm mutatus à te ipso es, ut meritò de te dixerit Propheta memoratus & Evangelicus: *Non est ei species, neque decor; aspeximus eum, & non erat aspectus,* & rursùs: *Aspectus hominis in eo non est,* ita enim divinam illam frontem, suavissimas illas genas, rutilantes illos oculos, purpurea illa labra, eloquentissimum illud os alapæ & colaphi, tunsiones & virgæ, livores & tumores, cruor & lacrymæ fœdaverant, ut homo in homine esset quærendus, unde & Præses Romanus dixit: *Ecce homo.* O quantum doloris ac mœroris ex tam miserando aspectu hausit, ac percepit dolorosissima Virgo ac Mater Christi! dicat qui potest, ego non possum, nec valeo. Isa. 53. 2.

3. Moyses quondam instanter à Deo petiit: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam.* Sed pro responso tulit: *Videbis posteriora mea,* hoc est humanitatem Filii Dei, *faciem autem meam videre non poteris,* id est: Essentiam divinam. Enim verò vidit Moyses faciem Domini in monte Thaboræo, ubi Christi facies resplenduit ut sol: *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes.* Exod. 33. 13. Matth. 17. 3.

Sed à Thaboræo conferamus nos ad Calvarium montem. Superi! quid hìc vides Moyses? Priùs loquebaris cum Christo de excessu passionis, quem completurus erat in Jerusalem, hoc est quo genere mortis Christus esset moriturus. Et ecce jam advenit illud tempus; Enrepit pedibus ac manibus Salvator tuus nunc ad mortem crucis ob scelera nostra condemnatus, ad dictum Calvariæ montem, gravissimo Luc. 9. 31.

oneratus patibulo : *Respice in faciem Christi tui ;* & quid vides ? Moyses obvelat faciem suam , & ob extasin admirationis loqui non potest.

Fernand. & Cornel hic. Exod. 33. 93. Fernandius ait : *Moysen vidisse Christum, flagellis cæsum, & spinis coronatum, qualem Pilatus populo exhibuit, dicens : Ecce homo : item eum vidisse cruci affixum, unde exclamavit : Misericors , clemens , multæ miserationis &c.*

4. David, ubi in spiritu prævidit hunc universorum Dominum ac orbis Redemptorem , ex considerata illius divinæ faciei pulchri-

Ps 144. 3. tudine satiari non poterat, unde exclamavit : *Speciosus forma præ filiis hominum : diffusa est gratia in labiis tuis &c.* Audiamus hìc verba B. Vir-

S. Birgitta lib. 6. c. 1. ginis : *Filius meus tanta pulchritudine præditus erat , ut quicunque eum inspiceret, consolaretur à dolore cordis , quem habebat. Ideò & multi Judæi dicebant ad invicem : Eamus ad videndum filium Mariæ , ut consolari possimus.*

Eamus & nos ad Filium Mariæ, ut consolari possimus ; Speciosus enim est formâ præ cunctis filiis hominum. 1. Ob divinitatem. 2. Ob animam. 3. Ob corpus, ait Bellarminus. Si respicis divinitatem, infinita pulchritudine præditus est: Si spiritualem animæ pulchritudinem , speciosus est præ omnibus Angelis ac hominibus : Si splendorem corporis ejus glorificati , pulchrior sole est, & pulchritudinem ejus sol & luna mirantur.

Verum enim verò consulamus hìc paulisper Isaiam Prophetam

Isa. 53. 2. Evangelicum , & quid dicit de Christi pulchritudine ? *Non est species ei , neque decor : & vidimus eum , & non erat aspectus : & desideravimus eum ? despectum & novissimum virorum , virum dolorum , & scientem infirmitatem ; & quasi absconditus vultus ejus , & despectus , unde nec reputavimus eum.* O bonum Numen ! hæc vaticinia non indigent explicatione , qui vultum dolorosissimi JEsu in sudario S. Veronicæ impressum aliquando vidit ; sed potiùs hìc opus est pia meditatione , vivaci sensu ac piis lacrymis , quia tam horrendum in modum vulneratus est propter iniquitates nostras , & attritus propter scelera nostra , cujus tamen livore sanati sumus. O anima peccatrix, quid rependes huic pientissimo Redemptori tuo ? Si nondum amas , vade ad infernum.

Baron. Lyræus & alii. 5. Eminentissimus Cardinalis Cæsar Baronius refert, ad annum Christi 34. n. 138. quòd libellus antiquissimus Romæ in Bibliotheca Vaticana manuscriptus asservetur , in quo sequentia leguntur : *Veronica Hierosolymitana matrona nobilitate & sanctimoniâ insignis , Romam se contulit , ac sacrum sudarium secum deportavit , quo gravi morbo laborantem Tiberium Imperatorem sanâsse fertur , qui tanti posteà beneficii non immemor Christo divinos honores decrevisse dicitur , verùm quòd inconsulto Senatu statuerat , posteà rescissum fuit.*

6. Mi-

6. Misit quondam Abagarus Rex Edessenorum, ubi de Christi miraculis nuntium accepit, pictorem suum, qui Salvatoris vultum vivis exprimeret coloribus. Ardebat quidem pictor ille ingenti desiderio, ut inter concionandum Christi faciem adumbraret, sed divinus ille splendor, qui ex facie illius promicabat, laborem omnem irritum fecit. Dum ergo desperat labore pictor, Christus linteum poscit, faciei admovet, figuram imprimit, & pictori reddit, & ille Regi Edessenorum, per quam sacram divini vultûs effigiem Edessa civitas sæpiùs ab incendio, & Roma simili modo per sudarium S. Veronicæ liberata est. Mollon. c. 1. & 3. de S. Sind.

Si vis anime mi, ab æternis salvari incendiis, respice sæpiùs in faciem Christi tui, prout fecit in Hispania piissima quædam Virgo Joanna nomine de nobilissima prosapia à Vasquez oriunda, quæ dum in hebdomate sacra coram devota S. Veronicæ icone, Sudarium Christi præseferente oraret, advertit, quòd dilectus animæ Sponsus, candidus & rubicundus subitò sanguinolentam & afflictissimam faciem suam mutaret in venustissimam; ubi simul hæc verba à cæsti Sponso audivit: *Te in sponsam meam assumam.* Quibus auditis abiit lætabunda ad Parthenonem S. Mariæ à cruce, & Sponso suo ad finem usque vitæ fideliter inserviit. Anime mi, respice nunc sæpiùs in faciem Christi tui, nunc quidem in emblemate, tunc autem à facie ad faciem. Lyræus de Chr pat lib. 5 cap. 3.



CONSIDERATIO L.

Christus sub ponderosa cruce corruens, pedibus impiorum conculcatur, & stimulis agitatur.

Conculcaverunt me inimici tota die: quoniam multi bellantes adversùm me. Psal. 55. 3.

1.

2. Cor. 7. 5. ERat David in arcta custodia & spelunca Odollam, omnibus spoliatus honoribus ac bonis: *Foris pugnæ, intùs timores;* Saul eum conterere, & conculcare voluit tanquam vilissimum ac contemptibilem homuncionem & insidiatorem regni? unde ad DEUM auxiliatorem suum levans vocem exclamavit:

Psal. 55. 2. & 3. *Miserere mei* DEus *quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans tribulavit me;* Et pergit: *Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversùm me.* Christus per hunc Davidem præfiguratus est, qui in passione sua tam cruenta, tam indigna jure merito queritur: *Conculcavit*

Hugo Card. le Blanc & alii. *me homo;* Et quis ille homo? Resp. Le Blanc, quòd hoc de Juda explicandum sit, qui diabolo pessimo obsessus, in monte Olivario Christum Dominum suum, cùm caperetur, pedibus calcavit. O quot sunt peccatores pessimi, inveterati & ingratissimi, quorum antesignanus Judas est, qui etiammum dulcissimum JEsum vitâ & moribus in cruce, ac præsertim in SS. Eucharistia conculcant, de quibus

Matth. 21. 10. Veritas: *Quoniam multi bellantes adversùm me.* Audiamus plura.

2. Ad solemnem Christi ingressum in Jerusalem in die Palmatum commota est tota civitas propter tam insolitum triumphum; ita in egressu illius, cùm ponderosa cruce oneratus ad montem Calvarium ad redimendum hominem à diaboli jugo, exiret, rursus commota est universa civitas, ut videret Prophetam illum magnum tot prodigiis celebrem educi, & calcibus carnificum propelli ad mortem; ô luctuosum spectaculum, quale nunquam vidit orbis.

Ver-

Vermis humi reptans sine misericordia calcatur ab hominibus. Audi mitissimum Redemptorem tuum: *Ego autem sum vermis, & non homo: opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Ps. 21. 7. Eductus est inter blasphemias & convitia, inter impulsus & verbera, jam pedibus, jam lateribus, jam humeris & capiti inflicta, quasi semianimis, capite & collo depresso: *Circumgestans*, ait S. Augustinus, *pondere gravem longo itinere, grave quidem pondus corpori, sed leve charitati;* unde in sinistro humero adeò magnum contraxit vulnus, ut inter reliqua senserit hoc esse molestissimum, hinc ad 80. gressus procedens sub tanto ac tam gravi pondere concidit: hìc verificatum est illud Isaiæ: *Quia corruit in platea Veritas.* Isa. 59. 14. Tanti ponderis erat peccatum meum ac tuum, ô mi Lector!

3. De Amasa strenuo belli duce, quem Joab dolo occidit, dicit Scriptura: *Amasa autem conspersus sanguine jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum, operuitque vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12.

Ecce Salvator tuus, optimus JEsus conspersus sanguine jacet in media via in Jerusalem, nullus eum amovit, nullus secursum præbuit, sed pueri projiciebant lutum & lapides & ligna in eum, & ductores calcibus eum protundebant, ac propellebant, & ubi eum à lapsu in pedes erexerunt, de novo illi gravissimam imposuerunt crucem, quod trabale lignum peramanter amplexus est.

Et quid interim impia & ingratissima Judæorum Synagoga? *Egredere, egredere vir sanguinum, & vir Belial, ecce premunt te mala, quoniam vir sanguinum es.* 2. Reg. 16. 7. Sic Uva & oliva calcatur in torculari, unde Dominus apud Isaiam ait: *Torcular calcavi solus, & non est vir mecum,* qui patiatur, vel compatiatur, & necessarii quoque mei recesserunt à me. Isa 63. 3. Job. 6. 13.

4. Josue invictissimus, juxta ac pientissimus belli Dux, ubi in celeberrima illa Gabaonica contra quinq; Reges victoria solem astrorum Regem in cœlo stare fecit, consummato prælio, Reges illos in spelunca latentes, & captos in medium produci fecit pedibúsque calcari, ac tandem in ligno suspendi: *Ite, & ponite pedes super colla Regum istorum.* Josue 10. 24. En antiquissimum morem Judæorum, qui cùm victores in bello existerent, victos & prostratos hostes pedibus solebant calcare.

Simili modo calcatus est Christus ab impiis Judæis ac Deicidis in primo, secundo & tertio lapsu sub cruce, ubi sicut miles victus, & ut hostis eorum in acie lapsus, protritus est pedibus eorum. O pientissime JEsu, Fili altissimi, an potuisti magis humiliari? *Attritus est propter scelera nostra* Isa. 53. 5. O Christiane Lector! considera peccata tua, quæ magna pars illius exercitûs extiterunt, qui in Christum irruit, quia *posuit in eo iniquitatem omnium nostrum.* Isa. 53 6.

5. Paa-

5. Paulus Doctor Gentium, ubi ad Hebræos scribit, eos monet, ac docet, non hostias Aaronicas, licet permultas, sed unam Christi Mediatoris nostri in cruce hostiam expiare peccata omnia. Exinde à dogmatibus ad mores transiens, infert & urge Hebræos, ut in fide Christi constanter permaneant; & adducit exemplum de lege Moysis violata, si enim vel unicum præceptum Moysis olim Hebræi transgrediebantur, gravissimè, & sæpiùs ipsâ morte puniebantur: *Quantò magis*, pergit idem Apostolus, *putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit.* Et quinam sunt illi, qui Filium Dei conculcant?

Hebr. 10. 29.

Resp. Galenus & alii: Hi sunt qui peccatum mortale liberè admittunt, per hoc enim implicitè & interpretativè contemnunt, & quasi conculcant gratiam, redemptionem, mortem & sanguinem Christi. 2. Hi sunt, qui nimiùm superbiunt, & proximum aspernantur. 3. Hi sunt, qui indignè accedunt ad SS. Sacramenta, & præcipuè ad SS. Eucharistiam, tales erunt rei corporis & sanguinis Christi; Supra quod S. Chrysost. *Reus est talis cædis Dominicæ, ac si Dominum occidisset, & Christi sanguinem effudisset.* 4. Hi sunt, qui Christi membra, id est, viros justos calcant, ac persequuntur. 5. Hi sunt blasphemi, perjuri, injusti, luxurioši, avari, temulenti & similis farinæ homines: qui per peccata sua quotidiana Christum calcant; sed caveant hi miseri, ne puniantur à DEO, sicut prædixit S. Paulus: *Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit?*

1. Cor. 11. 28.

Hebr. 10. 29.

6. Si uva in torculari calcatur, & premitur, homo inde ditatur, & reficitur: Ita Christus sub, & in torculari crucis calcatus & pressus fudit sanguinem, sed homo inde ditatus est: *Uva*, inquit Honorius Augustodunensis, *in prælo duobus lignis expressa in vinum liquatur: Et Christus duobus lignis Crucis pressus, sanguis ejus in potum fidelibus fundebatur.* O peccatrix anima, quid rependis amantissimo Redemptori tuo pro te tot contumeliis, tot doloribus affecto, tot vulneribus saucio, tot cruciatibus presso? Ah quid rependis; Et nondum amas crucifixum JESUM? Vade, anathema es.

Honor. Aug. lib. 1. c. 33.

Refert Bernhardinus de Busto de scelerato Juvene, qui licet à fido amico de seria facienda pœnitentia sæpiùs moneretur, eam semper elusit. Paulò post in gravem morbum incidit, admonetur iterum de instituenda confessione, sed frustra omnia. Interim tristis rediit amicus domum, & in nocturna quiete hanc visionem habuit: Visus est sibi videre Christum Dominum lacerato toto flagellis corpore, plenum vulneribus, & spineâ redimitum coronâ accedere ad ægrotum, & hisce verbis eum alloquentem: *Ecce lacerum spinis caput, & totum vulneribus saucium corpus, sed & apertum latus! his tibi etsi indigno parta, paratá-*

Bernhardin. de Busto ser. 7. part. 3.

que

que est Dei misericordia, si modò vitam tuam præteritam detestatus ad me convertaris. Mansit obstinatus heu! ille miser, tum Christus iratus expressum de dextro lateris vulnere sanguinem in moribundi faciem projiciens: *Hic*, inquit, *Sanguis meus in die judicii testis erit oblatæ tibi à me misericordiæ, quam contempsisti* Expergefactus hoc viso amicus accurrit; reperit mortuum, & faciē ejus recenti respersam sanguine. O non sic, ô bone JEsu apud me.

CONSIDERATIO LI.

Christus præferens crucem omnes fideles animat, ut & ipsi ferendo crucem suam, sequantur.

Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Matth. 10. 38.

I.

VOlebant quondam filii Prophetarum, qui ob sanctitatem vitæ & famam virtutis sequebantur ducem suum Eliseum, sibi nova construere tuguria, in quibus commodè habitarent, & Deo suo (tanquam primi Religiosi) inservirent. Et ecce dum ad Jordanem ligna secarent, accidit, ut uni illorum ferrum securis caderet in aquam. Et quid ille pauperculus? Clamavit ad Eliseum: *Heu, heu, heu Domine mi: & hoc ipsum mutuò acceperam.* Et quid Eliseus? *Præcidit lignum, & misit illuc: natavitque ferrum;* Angelus enim juxta mentem Abulensis, lignum ab Eliseo præcisum, & in manubrium adaptatum apprehendit, in fundum aquæ detulit, ferro inseruit, in altum extulit, ac securim ibi fluitantem sustentavit, donec eam lignator apprehenderet. Et quare hæc omnia? Resp. *Facta sunt nobis in figura.* 4. Reg. 6. 5. Abulens. hic & alii.

Eliseus Christum adumbravit, ferrum in profundum cadens peccatorem, lignum illuc missum Dominicam crucem, per quam ex inferni barathro liberati & extracti sumus. Ita S. Augustinus: *Veniens verò Eliseus misit lignum, & natavit ferrum. Quid est lignum mittere, & ferrum* S. Aug. serm. 20. de Temp.

in medium producere, nisi patibulum crucis ascendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis mysterium liberare? Discipuli illi Magistrum suum Eliseum pro possibili secuti sunt; faciamus hoc & nos in sequela Christi JEsu crucem ferentes; unde nos monet:

Matth. 10. 38 *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus* Et Sanctus Hiero-

S Hieron. To. 4. Ep 24. nymus ad quendam Militem nobilem: *Si Christum cœperis sequi, & in ejus servitio perseveraveris militare, finis militiæ tuæ erit regnum non terræ & temporis, sed æternitatis & cœli.*

2. Cor. 6. 5. 2. Rectè Gentium Doctor Paulus: *Quæ conventio Christi ad Belial?* Volebant hoc quondam evincere Philistæi, dum arcam Dei captatam intulerunt in templum Dagon, eámque juxta hoc statuebant idolum; sed cùm surrexissent diluculò Azotii: Ecce Dagon jacebat pronus in terra coram arca Domini, caput autem illius & duæ palmæ manuum

1. Reg. 5. 3. abscissæ erant super limen: *Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo &c.* Quæ conventio Christi ad Belial?

Apagite cum hoc immundo Dagone: *Non possum,* dicebat quondam B. Arsenius, *me dividere Deo & hominibus; non possum Regis gratiam & Dei simul aucupari.* Porrò unum est necessarium, ut Deum sequamur & Filium ejus JEsum Christum cum illo libenter crucem nostram, quam nobis imposuit, usque ad finem fortiter, & quotidie portando. Unde Tho-

Tho. Kemp. lib. de Imit. Chr. l. 2 c. 12 mas Kempensis: *Tolle crucem tuam, & sequere JEsum, & ibis in vitam æternam: præcessit ille bajulans sibi crucem & mortuus est pro te in cruce, ut & tu tuam portes crucem, & mori affectes in cruce.*

3. Chusai vir probus & egregius, ubi David Rex à facie Absolonis profugus in montem Olivarum ascendit, ut ibidem in tanto periculo adoraret Deum, venit ad eum scissâ veste, & terrâ pleno capite, su-

2. Reg. 15. 32. am demonstrans fidelitatem & sequelam in adversis omnibus: *Ecce occurrit ei Chusai Arachites &c* Observa hìc cum Mendoza, non occurrit Regi suo triumphanti, sed exulanti, ut fidem suam etiam in adversis testaretur. En habes typum veri & sinceri Christiani; ad quid enim

S Chrysost. in Psalm 7. Christianus es, nisi Christum ducem tuum sequi velis? audi S. Chrysostomum: *Chusai vir probus, Davidis amicus, suam in eum amicitiam perpetuò conservavit: Et cùm nihil aliud posset, lacrymarum affert consolationem: non enim erat amicus temporum, nec potentiæ, sed virtutis.* Vides hoc, & pensas tepide Christiane, qualem te exhibere debeas Christo, sub ejus cruento

2. Tim. 2. 3. militans crucis vexillo? *Labora sicut bonus miles Christi JEsu;* ille præcedit cum cruce, & tu sine cruce vis venire ad cœlum? *Malus miles est,* ait

Seneca Ep. 105. Seneca, *qui Imperatorem gemens sequitur.*

4. Seba filius Bochri, vir Jemineus periculosam contra David subornavit seditionem, quia ægrè ferebat regnum à Saule & tribu sua Ben-

jamin

jamin ad tribum Juda, ex qua David oriundus erat, esse translatum; unde buccinâ cecinit, & ad se majorem populi partem attraxit, qui omnes jugo Davidico in gratiam hujus rebellis renuntiarunt; & observat Scriptura: *Et separatus est omnis Israel à David, secutúsque est Seba filium Bochri: Viri autem Judæ adhæsernnt Regi suo.* Ecce quid possit unus homo rebellis, qui fuit typus Luciferi.

Hoc prudentissimè consideravit, & annotavit S. Ignatius Societatis JEsu Fundator glorioſissimus, unde omnibus de salute sua meditantibus præscripsit duo Vexilla, tuum quidem D. N. JEsu Christi, Regis nostri optimi, alterum verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi. Uterque omnes ad se vocat sub suo vexillo congregandos; Lucifer offert divitias, honores, voluptates, & quid tandem? infernum. Christus Rex & Magister humilitatis oppositis artibus diabolum expugnandum docet, & ipse suis præit cum cruce, exemplo paupertatis & humilitatis, vitámque promittit æternam: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: Et ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Et quis, obsecro, talem ducem non sequatur? *Vocat mundus*, ait Didacus Stella, *ut decipiat, vocat caro, ut fœdet; dæmon ut perdat: accurritur undique. Vocat Christus, ut salvet; & pauci sequuntur.* O cœcitatem hominum plenè deplorandam! *Frustra*, ait S. Leo I. *appellamur Christiani, si imitatores non sumus Christi.* Jo. 12. 26. Stella in Luc. 9 23. S. Leo ser. 5. de Nativ.

5. *Quod me facere videritis*, dicebat quondam Gedeon ad trecentos suos probatos & selectos milites, *hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini;* Et sic irruit cum illis trecentis de media nocte in castra Madianatarum, tubis, lagenis ac lucernis armatus, & universum illorum exercitum subvertit. Judic. 7. 17.

Gedeon liberator & victor, ait Cornelius & alii, Christi typum expressit. 1. Gedeon destruxit aram Baal: Christus Synagogam subvertit, & idola destruxit. 2. Gedeon purgavit frumenta in torculari: in Christi manu ventilabrum est, ut purget aream suam, quod fecit, & etiamnùm facit in torculari crucis, quod quotidie hìc Biberbachii ad Thaumaturgum nostrum Crucifixum cernimus, & experimur: *Torcular calcavi solus.* 3. Gedeon omnes formidulosos de exercitu suo dimisit, & solùm sibi trecentos egregios commilitones reservavit; Observa hìc mysterium: Græca litera T. Trecentorum est nota, quæ exprimit crucis formam, in hoc enim signo Gedeon hostes suos superavit. 4. Gedeon cuilibet ex trecentis istis tubam dedit, vas testaceum & ignem: *Cúmque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamaverúntque, Gladius Domini & Gedeonis.* Christus pugnans cum diabolo, morte & peccato, quasi tuba in cruento illo certamine exaltavit vocem suam: Cornel. in Isa. 9 5. Matth 3. 12. Isa. 63. 3. Judic. 7. 20.

Hbr 5. 7. Matth.27. 50. suam: *Cum clamore valido, & clamans expiravit* in cruce, quia Verbum erat.

5. Gedeon lagenas testaceas, in quibus ignis erat absconditus, confringi fecit: Lagena confracta, subintrat hìc S. Gregorius M. humanitas Christi est, plagis confecta, & vulneribus plena. 6. Lucerna abscondita immensam Redemptoris nostri adumbravit charitatem, unde voluit, ut & *Lucernæ ardentes* sint in manibus, imò & in cordibus nostris. 7. Gedeon mandavit, ut se præeuntem ad prælium & cæteri sequerentur generosi milites: hoc & Christus Dominus præcepit: *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Collige ex hoc, quomodò possis de hostibus tuis, tum animæ, tum corporis triumphare.

Luc. 12 35.

Luc. 9. 23.

Ex vita.

6. Hoc fecit S. Ignatius Societatis JESU Fundator dignissimus, quem DEUS singulariter contra novos Madianitas & Hæreticos expugnandos, quasi novum Gedeonem elegit, ut cum omni Societate sua ejusmodi sese opponeret lupis ac Sectariis. Natus hic erat genere Nobili Anno Christi 1491. Aulam & exinde militiam Catholici Regis secutus, in obsidione Pampelonensi ut Gubernator ex pede læsus Anno 1521. ex Lectione Vitæ Sanctorum respirans, asperrimam vitæ rationem cœpit. Anno 1523. Hierosolymam ad loca sancta profectus, ter ibidem Christum gravi cruce oneratum videre meruit, & cùm Romam peteret, in ædicula deserta à Christo crucem suam iterum bajulante audivit: *Ego vobis Romæ propitius ero.* Anno 1540. Paulus III. Pontifex Maximus, plurimis se nequicquam opponentibus & contra nitentibus, Societatem ab Ignatio institutam confirmavit. Exinde orbis universus sanctiorem ubique induit faciem. Pro insigni & sigillo totius Societatis non aliud gentilitium scutum elegit, quàm SS. Nomen JESU, tres clavos & supernè crucem eminentem, cui nonnemto hoc distichon subscripsit:

Sandæus in Stauroph lib. 33. Tit. 4.

Quisque sibi titulos, & quæ vult nomina quærat:

Diva Cohors Domini sub cruce tuta latet.

Tandem ipse virtutum omnium ornamentis excultissimus in cœlum abiit Anno 1556. ætatis 65.

CON-

CONSIDERATIO LII.

Christus in cruce exaltatus, est aquila provocans nos ad volandum.

Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas Deut. 32. 11.

1.

POstquam Deus T. O. M. populum Israëliticum ingenti prodigio per mare Rubrum transvexit, & hostilem Ægyptiorum exercitum in profundo illius submersit, Moysen ad se in montem Sina advocavit, mandavitque, ut post egressum ex Ægypto in illo monte in memoriam perennem tanti facti prodigii sacrificaret, ad quem Deus: *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portaverim vos super alas aquilarum &c.* Et cur super alas aquilarum? Exod. 19. 4.

Observa: Aquila quasi clypeum se opponit pro pullis suis, quos non unguibus & pedibus, sed super alas ac dorsum imponit, vectátque adeò altè, quò nullum telum eos possit offendere. Sic Deus alis providentiæ suæ sustulit Hebræos, dum eos à cunctis hostibus reddidit tutissimos, quia aquilæ singularis est amor in pullos, ita Dei in homines. Quæ omnia adaptat S. Ambrosius Filio Dei & hominis pro nobis crucifixo. Videamus, & consideremus perlegantes de hac veritate analogias. S. Ambros. lib. 2 de Salom. c. 2.

2. *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis.* Ita Moyses brevi nunc moriturus ad inconstantem & ingratum suum populum, quibus verbis Filium Dei suo tempore salutem universorum in cruce operaturum pereleganter adumbravit: in cruce enim exaltatus traxit ad se omnia, provocans nos ad volandum; ibi super nos expansis alis volitat, ibi assumit nos, & portat in humeris, ibi tuetur nos ab hostibus, ibi per mare rubrum passionis suæ transfert nos usque ad cœlestem patriam. O charitatis immensæ prodigium! Deut. 32. 11.

LeBlancTo. 5. Psalm. 102. v. 5.

Aquila studiosè alit proles suas non tantùm in nido, sed etiam à nido exclusas; Quod experimentum capiunt illi, qui ad lucrum suum, ut Principibus possint deservire, captos aquilæ pullos ad palum alligant, quibus parentes peculiari solicitudine quotidie afferunt cibos, quibus non duntaxat pulli aquilarum, sed & ipsi ac filii eorum possunt enutriri. Ita refert B. Albertus Magnus, quòd aquilæ parentes prolibus suis plusquam trecentas anates, & supra centum anseres, lepores circiter quadraginta, & plurimos magnos pisces ad nidum attulerint. En singularem providentiam divinæ aquilæ, Christi Redemptoris nostri! amat nos, fovet nos, & propriâ carne pascit nos; & licet & ipse palo crucis sit alligatus, curam tamen omnium habet: *Quoniam ipsi est cura de omnibus.*

3. Aquila inimica serpentum & draconum est, quorum venenum devorat, & interno concoquit calore. Solet autem aquila draconem, prout refert Philippus Picinelli in Mundo Symbolico, unguibus prehensum in sublime evehere, ut cœlo aperto eum jugulet, & publicam ab eo reportet victoriam, unde lemma: *Cœlo vincendus aperto*: Christus in sublimi cruce serpentem ac draconem infernalem, qui peccati veneno orbem infecerat universum, superavit. Juvat

S. Ambros. loc. cit.

hic audire S. Ambrosium: *Ut aquila*, inquit, *serpentes devorat, & eorum venena calore concoquit interno, ita & Christus Dominus noster dracone percusso, id est, diabolo lacerato, dum humanum sibi corpus assumit, peccatum illud, quod hominem tenebat obnoxium, tanquam pernicioſum virus extinxit.*

4. Aquila proles suas non duntaxat propriis pennis adversùs draconis insultus defendit, sed insuper, ne siti pereant, proprium pectus rastro sauciat, illásque hausto exinde cruore enutrit ac conservat, unde lemma: *Dat sanguine vitam.* Plus dedit Divina Aquila nostra in cruce, dum pro nostra, omniúmque salute omnem profudit sanguinem, pectúsque sibi crudeli lanceâ adaperiri voluit, ut nobis veneno peccati emortuis vitam conferret sempiternam: *Quis pastor*, ait S. Joannes Chrysostomus, *oves proprio pascit cruore? & quid dico Pastor? Matres multæ sunt, quæ post partûs dolores filios aliis tradunt nutricibus. Hoc autem ipse non est passus, sed ipse nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

S. Chrysost. hom. 6. ad populum.

Job. 39. 29.

5. De Aquila ulteriùs recenset Job: *Aquila de rupibus contemplatur escam, & de longè oculi ejus respiciunt*, habet enim aquila, licet altissimè volet, visum acutissimum, undique circumspicientem, quem nec lepus sub frutice umbroso latitans, licet pedibus celerrimus, poterit effugere. Audiamus hìc iterum D. Ambrosium: *Aquila*, inquit, *cùm*

S. Ambr. apud Cornel. in Deutr. c 32. v. 11.

aliquid

aliquid rapere voluerit, non vestigiis ambulat terras sed excelsum elegit locum: Sic & Christus altâ cruce suspensus, tonante strepitu & terribili volatu impetum ab inferis fecit, sanctósque rapiens ad superna remeavit.

6. Solent Romani Imperatores pro Symbolo suo præseferre aquilam bicipitem, quæ Orientem & Occidentem respicit; uno pede palmam & altero fulmen gerentem cum inscripto lemmate: *In opportunitate utrumque.* Aquila mystica Christus est in cruce biceps, quia divinâ & humanâ constat naturâ, & tamen unus est Christus; ita fides nos docet: *Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus*; Respicit in cruce Orientem & Occidentem, ad quas terræ plagas brachia & manus extendit, ut in unam eas coadunet Ecclesiam. Sed, quod bene observandum est, Divina hæc aquila ex una parte palmam, & ex altera fulmen gestat cum eodem addito lemmate: *In opportunitate utrumque.* Latrones cum eo crucifixos consule, unus accepit palmam, alter fulmen expertus est. Hoc Symbolum tibi applica, Lector prudens! *Aut palmam, aut fulmen.* Symb. S. Athanas.

7. Aquila sicut altissimè volat, & nubes penetrat, ita & in profundissimam abyssum sese demittit. Refert gravissimus Author Athanasius Nycenus, quòd in Scythia horrenda quædam reperiatur vorago, rupibus ac montibus prælatis undique cincta, in hac generantur unionns pretiosi ac gemmæ diversæ; & quia illius regionis incolæ eò descendere non possunt, solent tenerrimum mactare & excoriare agnum, quem leviter assum & adhuc viscosum in profundissimam illam scrobem præcipitant, ex cujus suavi odore allecta aquila veloci volatu se deorsum demittit, agnum rapit, & supra montes ac rupes in altum attolens, avidissimè devorat; & quia pretiosæ gemmæ ac margarithæ agno illi viscoso adhærent, post discessum aquilæ Scythicis omnia in prædam cedunt. Athanas. Nycen. & alii.

Per profundissimam illam Scythiæ abyssum rectè limbum ac purgatorium poteris intelligere, ubi animæ SS. Patriarcharum, Prophetarum aliorúmque, pretiosi sanè uniones, erant detentæ. Per agnum Christi humanitatem subaudies, in ara crucis igne charitatis tostam, & per velocissimam aquilam Christi sacratissimam animam, quæ sine mora post mortem crucis ad illum tenebricosum ac profundissimum lacum descendit, & cum ditissima præda Orco ereptâ, tertiâ pòst die glorioſus resurrexit. Anima Christiana! pro reflexione morali disce, sæpiùs hunc agnum divinum in SS. Sacrificio Missæ in hunc profundum lacum purgantibus animabus in solatium mittere, & sic faciendo divitem prædam capies.

8. Aqui-

Le Blanc in Psal. 102. 5.

8. Aquila denique super pullos intra nidum reclinatos sæpiùs volitat, ut sic eos ad parem volatum excitet, unde lemma: *Provocat exemplo.* Si autem pulli jam sunt vegeti, ac sufficienter ad volandum plumis instructi, eos nido expellit, & in alienas regiones dimittit. Ita Christus in cruce volatu & exemplo suo nos pullos suos provocat ad volandum: *Nos*, ait Aloysius Novarinus, *ad volandum provocavit, dum in cruce manus extenderet, & brachia in alarum modum, ut deinceps nemo imis hæreret.* Dimisit autem & Christus pullos suos in varias regiones, Petrum in Italiam, Andream in Scythiam, Jacobum in Hispaniam, Joannem in Asiam, Thomam in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, & sic de reliquis Apostolis, qui omnes Christum JEsum & hunc crucifixum prædicarunt, quia *non est in alio aliquo salus; nec aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos salvos fieri.*

Novarin. in Umbra Virg. num. 447.

Actor. 4. 12.

Cornel in Deutr. 32. 11.

9. Aquila tandem liberalissima est, quia prædam, quam cepit, cum aliis avibus communicat: ita & Christus prædam æternæ beatitudinis, quam in cruce cepit, cum Sanctis suis partitur, & liberalissimè communicat. Quid nunc restat, nisi ut & nos naturam aquilæ imitemur: *Renovabitur;* ait Vates Regius, *ut aquilæ juventus tua.* Fac & tu similiter, anime mi, talem renovationem per veram pœnitentiam, per iteratam mentis recollectionem, per vota tua sæpiùs renovando, & ad Crucifixum amorem tuum in omni tentatione ac labore volando, illiúsque exemplo disce, terrena despicere, & amare solùm cœtestia; sic cum aquila pones in arduis nidum tuum, ubi in æternum poteris esse securus.

Psal. 102. 5.

CON.

CONSIDERATIO LIII.

Peccator, quantùm in se est, de novo Christum Filium DEI in crucem agit.

Rursùm crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes. Hebr. 6. 6.

1.

VEnerat aliquando ad Davidem tunc belli ducem homo quidam Amalecites, afferens ei regium Saulis occisi diadema, asserénsque quomndo ipse in castris eum jam morti vicinum, ad mandatum dicti Regis jam agonizantis, interfecisset: *Stánsque super eum, occidi illum.* Et quid David ad hoc? præ indignatione scidit vestimenta sua, omnésque viri, qui cum eo erant, & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt usque ad vesperam super Saul &c. Tum David conversus ad illum Amalecitam: *Quare* inquiebat, *non timuisti mittere manum tuam ut occideres Christum Domini? Sanguis tuus super caput tuum.* Et præcepit uni de servis adstantibus: *Accedens irrue in eum, qui percussit illum, & mortuus est.* Quid, obsecro, dixisset, vel fecisset David; si audivisset Filium Dei, verum & unicum Christum Domini tam indignâ crucis morte fuisse interfectum? 2. Reg. 1. 10

O Christiane! quid aliud agis, cùm in peccatum mortale voluntariè ruis, quàm quòd de novo crucifigas, & occidas Filium Dei? Nunquid meritò de te dici potest: *Quare non timuisti mittere manum tuam, ut occideres Christum Domini?* Et tu, ô mi Christiane?

2. Olim in lege mandavit DEus, ut, si fortè cadaver occisi hominis in agro, aut patenti campo inveniretur, & author cruenti illius ignoraretur homicidii, majores natu & judices illius urbis egrederentur, & spatium metirentur, quæ civitas vicinior esset cadaveri, quia in eam præ aliis cadebat præsumptio, quòd aliquis ex ea illam perpetraverit cædem: *Quando inventum fuerit in terra hominis cadaver occisi &c.* Occisus est in agro, & in patenti campo Hierosolymitano unigenitus Deut. 21. 1.

Dei Filius inventus est in cruce ; Et quis, obsecro, ille talis ac tantus latro ac Deicida fuit ?

Excusat se Pilatus, lavans coram omni populo manus : *Innocens*
Matth. 27. 4. *sum à sanguine justi hujus.* Judas pessimus ille mercator facti pœnitens refundit pretium sanguinis, & suam per hanc restitutionem prætendit probare innocentiam : *Peccavi tradens sanguinem justum.* Sed & Judæi,
Matth. 27. 4 ut viderentur à cæde Christi immunes, tradiderunt eum Pilato,
Jo. 18. 31. ut ipse eum judicaret : *Nobis non licet interficere quemquam.* Quis ergo cruenti illius ac sceleratissimi Deicidii reus est ?

Ah miserum me ! ego sum reus, ego sum dignus morte & gehennâ, ego per peccata mea occidi DEI Filium, & tu unà mecum, ô mi Lector, nos hujus immanissimi rei sumus parricidii, heu quo ibimus ?

3. David ubi quondam à Nathan Propheta audivit virum quemdam divitem pauperi unicam abstuliss & occidisse oviculam, in-
2. Reg. 12. 5. dignatus sceleri hanc tulit sententiam : *Vivit Dominus quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc.* Sed mox Nathan retorsit argumentum & sententiam contra ipsum Davidem : *Tu es ille vir.*

Sta hìc bone vir, & attentiore intellectu perpende, quisnam Patri æterno unicè dilectum suum interfecit Filium, & tanquam innocentissimum agnum illum duxerit ad mortis victimam & crucis lanienam ? *Tu es ille vir*, per tua scelera eò redegisti Filium Dei. Quis eum fla-
Psal. 128. 3. gellis concidit, & toto cruentavit corpore ? *Tu es ille vir*, tua enim libido fabricavit supra dorsum ejus ; prolongavit iniquitatem suam. Quis eum cruentis ac diriss coronavit spinis ? *Tu es ille vir*, tua enim superbia & ambitio hanc rigidissimam Regi Regum imposuerunt coronam. Quis eum spoliavit vestibus, ut nudus penderet in cruce ? *Tu es ille vir*, vestium enim tuarum luxus, & quod derogas pauperi, Christum denudavit. Quis divinam illam faciem, in quam desiderant Angeli prospicere, tantoperè colaphis & sputis fœdissimis oneravit, commaculavit ? *Tu es ille vir*, tua enim maledicta, blasphemiæ, perjuria, mendacia, injustitiæ hoc fecerunt. Quis eum felle & aceto potavit ? *Tu es ille vir*, tua gula, crapula & ebrietas hoc amarissimo potu il-
Isa. 53. 8. lum saturarunt ; & sic discurre de cæteris vitiis ac delictis tuis, *propter scelus enim populi mei percussi eum.* O DEum immortalem ! & adhuc stas immotus, & nondum te pœnitet de peccatis tuis ?

4. Isaias Prophetarum princeps ubi cœpit agere de pientissimi Redemptoris nostri passione & indignissima crucis nece, non Prophetam agit sed Evangelistam, dum non futura, sed ipsa facta & visa videtur enarrare. Inter alia & hoc de Christo crucifixo prænuntiavit : *Ipse*

autem

autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isa. 53. 5.
Putabant quidem Judæi non nostri causâ, sed ob propria demerita Christum à DEO percussum, ut quondam Mariam sororem Moysis, Oziam Regem & alios plures, ob murmurationem, superbiam, rebellionem &c. Sed toto aberrabant cœlo: *Vulneratus est propter iniquitates nostras*; Ergo nostra peccata Christum crucifixerunt. Et quid dico? heu de novo rursum crucifigunt Filium Dei, ita Gentium Doctor Paulus: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Et quomodò rursum cruci- Hebr. 6. 6.
figentes? Rationem assignat Cornelius: *Quia novis peccatis novam dant causam crucis & mortis Christi, faciunt enim rursum id, propter quod Christus crucifixus est.* Et licet humanitas Christi, quæ nunc in cœlo omninò impassibilis in summa gloria ad omnipotentis Dei Patris residet dexteram, actu ipso non crucifigatur, addunt tamen peccatores, quantùm ex parte illorum est, novum, ut ita dicam, dolorem vulnerum, de quo conquestus est Dominus per Vatem suum Regium: *Quoniam quem tu* Psal. 68. 27.
percussisti, persecuti sunt; & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Et tu quoties, anime mi? & nondum cessas peccare?

5. Refert Herodotus de filio Cræsi Regis, qui à nativitate sua mutus erat, quòd, cùm aliquando furiosum quemdam vidisset militem contra amantissimum patrem suum fulminantem gladium stringentem, ut eum secaret medium, repentè ex muto factus sit perfectè loquens, proinde alta voce exclamavit: *O homo, ne occidas Regem.* Tantum potuit in filio Regis naturalis erga parentem compassio & horror tam indigni aspectûs.

Hoc idem tibi dico, peccator inveterate & obstinate: *O homo, ne occidas Regem;* Ecce plus hic in cruce, quàm olim Rex Cræsus, & tu de novo tam nefario ausu Regem ac DEum tuum per peccatum mortale crucifigas? Paulò ante mortem suam mitissimus Salvator impiis prædixerat Judæis: *Quia si hi tacuerint, lapides clamabunt,* Enim verò clama- Luc. 19. 40.
bant lapides in morte JEsu, cùm petræ ultrò scissæ sunt, terra à fundamentis concussa, sepulchra mortuorum reserata, velum templi disruptum, & omnia muta elementa ingenti prodigio indignitatem & enormitatem tanti contestata sunt sceleris: *O homo, ne occidas Regem,* imò DEUM tuum & hominem Christum. Juvat hìc audire S. Am- S. Ambr l. 12.
brosium: *O duriora,* inquit, *saxis pectora Judæorum* (imò & malorum in Luc.
Christianorum) *Finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso.* O portenta ingratitudinis! Et nunquid etiam tu ex illis es, qui hæc legis, vel audis? Absit, absit.

6. Audiamus historiam. Berythus civitas est in finibus Tyri Mancin S. J.
regioni Antiochensi subjacens: Ubi anno Christi 765. per imaginem de Passi Dom. fol. 387.

crucifixi Domini, quam quondam Nicodemus suo cœlo expressérat, sequens miraculum factum est. Hebræi illic locorum degentes fortè in hanc incidebant Christi statuam, quam caninâ rabie in terram detrahunt, de cruce deponunt, fœde conspuunt, pedibus proculcant, flagellis onerant, spinis coronant, ac demum de novo ferreis cruci affigunt clavis. Et ne quidquam opprobrii omitterent, postquam fel & acetum per spongiam ori illius porrigebant, dirâ lanceâ latus ejus transfodiunt, ex quo sine mora, ô prodigium! fons geminus sanguinis & aquæ copiosè fluere cœpit, quo spectaculo Judæi variè affecti & attoniti, ut rei exitum expectarent, ac contemplarentur, hydriam lateri ejus plagæ apponebant, quâ promanantem excipiebant sanguinem, quem ad suam deportabant Synagogam. Interea in urbe convocantur ægroti, languidi, cœci, claudi, paraclytici & diversis affecti infirmitatibus, qui omnes & singuli, cùm à Judæis hoc SS. Sanguine & aquâ perungerentur, confestim & divinitùs sanati sunt; hinc factus est concursus & fletus magnus in populo. Hebræi utriusque sexûs sine more Christo crucifixo sua dederunt nomina, & ad pedes Episcopi provoluti suam perfidiam & delicta confessi sunt, à quo post triduanum jejunium & sufficientem in fide Orthodoxa institutionem fuerunt baptizati, & Synagoga eorum in Ecclesiam solemni ritu consecrata, sanguis autem cum aqua ex imagine lateris Christi promanans, ad diversas Ecclesias per Asiam, Africam, & Europam transportatus est, festúmque publicum institutum, de quo Martyrologium Romanum: *Berythi in Syria commemoratio imaginis Salvatoris, quæ à Judæis, crucifixa, tam copiosum emisit sanguinem, ut Orientales & Occidentales Ecclesiæ ex eo ubertim acceperint &c.* Hoc considera, & abi in pace.

Martyr. Rom. 9. Novem.

CON-

CONSIDERATIO LIV.

Cur Christus Dominus ad redimendum orbem non aliud remedium, quàm mortem crucis elegerit ?

DEus qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti. Ecclesia in Præfat. de S. Cruce.

1.

VAdam (dicebat quondam Moyses, ubi in deserto rubum spinosum in monte horeb ardentem & incombustum de longè conspicatus est) *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* O verè magna visio ac prodigiosa ! DEum præsentem in ardenti videre spineto ; Sed nec minor est illa visio eundem DEum ac Hominem Christum in monte Calvario in infami crucis patibulo intueri, trabalibus affixum clavis, spineâ redimitum coronâ, vulneribus plenum, millenis affectum contumeliis, ab omnibus desertum, ac tandem miserrimâ morte pro salute peccatricis animæ meæ contabescentem. O visio magna ! *Vadam, & videbo visionem hanc magnam.* quare pientissimus Dominus ac Redemptor noster non aliud mortis genus voluerit eligere quàm crucis tormentum ? Attende Oriens & Occidens, Meridies & Septemtrio, ac considera unà mecum hoc cruentum ac miserandum spectaculum ; Ecce DEus tuus, & vita tua pendet ante te : *Et erit vita tua quasi pendens ante te.* Considera. Exod. 3. 3. Deut. 28. 66.

2. Rectè Ecclesia in Præfatione de S. Cruce : *DEus qui salutem humani generis in ligno crucis constituisti*, & mox subdit rationem : *Ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Mors per arborem, ait S. Ambrosius, vita per crucem : per lignum venditus erat homo, inquit S. Damascenus, per lignum etiam redimi debuit ; Et S. Doctor Angelicus : Quia hoc genus mortis maximè conveniens erat satisfactioni pro peccato primi parentis, quòd fuit ex eo, quòd contra mandatum Dei pomum ligni vetiti sumpsit, & ideò conveniens fuit, quòd Christus ad satisfaciendum pro illo peccato seipsum pateretur ligno affigi ; Cui consen-

S. Ambr. & S. Damasc. lib. 4. de fide c. 12. Thom. Aq. 3. p. q. 46 art. 4. S. Aug. serm. de Pass.

tit & Divus Augustinus: *Contempsit*, inquit, *Adam præceptum, accipiens ex arbore pomum, sed quidquid Adam perdidit, Christus in cruce invenit*, ac reparavit pro me & te, ô mi Lector! O prodigium amoris!

Aliam rationem insinuat Apostolus, ut nos Christus de maledicto legis redimeret, scriptum est enim: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*, quia præ omnibus aliis sontibus suspensi in cruce æstimabantur execrabiles, & à Deo maledicti ac hominibus: Christus autem in se, ac sua persona semper benedictus, reputatus est maledictus, quia personam sustinuit peccatorum, quorum delicta & execrationes in se suscepit in ligno crucis expianda; unde rursus Apostolus: *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum*, quia DEus omnes maledictiones humani generis in illum transposuit, ut pro omnibus peccatoribus, & consequenter etiam pro me & te, ô mi Lector! infame illud & execrabile subiret crucis supplicium. O prodigium iterum amoris immensi!

Deut. 21. 23.

Gal. 3. 13.

Mallon. de Sindon. c. 16.

3. Tertiam causam assignat Mallonius & alii, ut se Christus Mediatorem inter DEUM & hominem, inter cœlum & terram constitueret, ideò exaltatus in ligno crucis cœlum inter & terram mori voluit: *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt*, in qua statione crucis (ùt refert S. Athanasius apud dictum Mallonium) aërem purgavit, & dæmonem ex aëre præcipitem egit; & quia in cruce omnia patiebantur membra, copiosa apud eum facta est redemptio, ubi SS. Martyribus exemplum præbuit fortitudinis, & omnibus Christianis patientiæ in adversis luculentum documentum. Proinde S. Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolor in ore ejus, qui cùm malediceretur, non maledicebat: Cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti se injustè, Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.*

Col. 1. 20.

1. Petr. 2. 21.

Sedul. lib. 3. Carminum.

4. Quartam causam subjungit Sedulius, ut quatuor mundi partes colligeret. Adverte hìc, Lector prudens! Crux erecta seu pars ejus superior cœlum respicit, & denotat quòd mitissimus Redemptor per Sanctam Crucem suam ruinam reparaverit Angelorum, quorum numerus in dies per fideles & Electos suppletur. Pars inferior crucis limbum spectat & purgatorium, ex quo profundo lacu animas Patrum & Purgantium misericorditer eripuit. Pars dextra crucis Orientem & sinistra Occidentem signat, ex quibus terræ plagis populos collegit, & in unam coadunavit Ecclesiam; Mallonius ait: *Dextrâ collegit mundum, sinistrâ peccatores*, pro omnibus enim in cruce mortuus est, & indiscriminatim omnes optat salvos facere. Et cur non & te, anime mi!

Mallon. loc. cit.

5. Quin-

5. Quintam rationem adstruit S. Augustinus, quærens, cur Dominus tam cruentum ac pœnosum genus mortis elegerit? Volebant illum Pharisæi, ac præsertim cives Nazareni præcipitare de monte, sed transiens per medium illorum ibat. Alia vice Judæi tulerunt lapides, ut jacerent in eum, sed ipse absondit se, & exivit de templo. Tandem paratur crux, & lubentissimo eam suscipit animo. Et quare crucem? Respondet S. Pater: *Ut Christus pro reatu mundi redemptio daretur, & antiquus hostis, velut hamo crucis caperetur, ut, quos absorbuerat, evomeret*, quod factum est in resurrectione Christi. S. Aug. serm. 59. de divers.

Aliam rationem assignat idem S. Ecclesiæ Doctor: Mors Christi inquit, signum est nostræ salutis. Noluit ergo lapidari, aut gladio percuti, quia videlicet nos semper nobiscum lapides, aut ferrum ferre non possumus, quibus defendamur. Eligit verò crucem, quæ levi motu manûs exprimitur, quâ & contra inimici versutias munimur. Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum: Sanctificatur fons baptismatis: Initiantur etiam Presbyteri, & cæteri gradus Ecclesiastici, & omnia quæcunque sanctificantur, hoc signo Dominicæ crucis, cum invocatione Christi Nominis consecrantur. Huc usque S. Augustinus. S. Aug. loc. cit.

6. Sextò: Crucem elegit, in quo excelso ligno pati & mori voluit, ut omnia Elementa ac præsertim aëris naturam mundaret, Juvat hìc audire Didacum Stellam in Lucam: Sanctificaverat, inquit, Christus terram pedibus suis sanctissimis eam conculcando: Aquam super eam ambulando: Et ignem, quia sanctificandus erat in specie ejus Sanctum Paracletum mittendo Discipulis: Sed nunc aërem sanctificat, in aërem elevatus. In aëre mori voluit, quia commune est elementum, & sic mors ejus pro omnibus æqualiter offerebatur ex parte sua quoad sufficientiam: Cætera elementa suos dominos habent, ita quòd terra unius non sit alterius; nec fluvius unius, aut ignis non sit alterius, sed aër omnium est, & tantum habet pauper aëris, sicut dives, agricola sicut literatus: Sic etiam Christi passio pro omnibus fuit. Hæc Didacus Stella. Did. Stella in Lucam.

7. Mori denique in cruce voluit, ut Crux omnibus esset asylum, columna fidei, anchora spei, clavis paradisi, dux cæcorum, via errantium, baculus peregrinantium, refugium tribulatorum, & fons deniq; omnium bonorum. Ita S. Leo Papa: *Crux tua*, Domine, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum: per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* S. Leo Papa serm. 8. de Pass. Dom.

Olim omnes hostiæ Deo immolatæ elevabantur in sublime, unde de Aarone dicitur: *Tulit pectusculum, elevans illud coram Domino.* Per Levit. 8. 28.

omnes

omnes ejusmodi hostias ac victimas veteris testamenti præsignatus fuit Christus Dominus in ara crucis in conspectu totius populi suo tempore elevandus; ut ergo omnes ejusmodi figuræ adimplerentur, simili modo in cruce voluit exaltari: in quem finem non aptiùs videbatur instrumentum, quàm lignum crucis ad redimendum universum mundum, *ut exaltatus à terra traheret omnia*, vel ùt legit S. Chrysostomus, *omnes ad se ipsum* Hinc S. Augustinus: *Lignum, in quo fixa erant membra patientis, etiam cathedra fuit Magistri docentis*, in qua cathedra nos docuit, & etiamnum in sacris suis docet iconibus perfectionis Christianæ formulam: profunditatem nimirum in fide, perseverantiam in longitudine, altitudinem in spe, & in latitudine charitatem, ac denique certam obtinendæ nobis veniæ fiduciam, dum caput ad nos proclinat ad osculum, brachia ad amplexum, manus perforatas ad largiendum, cor apertum ad amandum, pedes affixos ad expectandum: *Ut cùm talia*, prout loquitur Mallonius, *pro te Christus gesserit, ut majora facere non potuerit, quid te pro ejus amore facere conveniat diligenter inspicias: se totum tibi tradidit, ut totum te illi traderes.* Fac hoc, & vives.

8 Aug. serm. 57. sup. Joan.

Mallon. in Explic. S. Sind.

CONSIDERATIO LV.

De modo, quo pientissimrs orbis Redemptor Christus in crucem actus fuit.

Ubi crucifixerunt eum. Joan. 19. 18.

1.

ATtonitus hæreo, quoties attentiore mente perpendo, quòd Sacri Scriptores grande illud redemptionis nostræ opus, ac crucifixionem D. N. J. Christi tam paucis verbis complexi sint. S. Matthæus succinctissimâ utitur descriptione: *Postquam autem crucifixerunt eum.* En quomodo hic sacer Evangelista crucifixionem Domini non quasi præsentem, sed jam præteritam enarret. S. Marcus habet: *Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus*, S. Lucas ait: *Ibi crucifixerunt eum*, & S. Joannes huic cruento præsens spectaculo? *Ubi crucifixerunt eum.* Cur, obsero, tam pauca de crucifixione

9. Matth. 27. 35.

Marc 15. 24. Luc. 23. 33. 3. Jo. 19. 18.

fixione JEsu viri illi sanctissimi mortalitati humanæ in scriptis suis reliquerunt? Quare non enarrarunt modum, quo pretiosissimus Salvator noster in Calvario jugo in infamem crucem actus est? An humi, vel in sublimi? an in terra super crucem jacentem prostratus? An in aëre, & in cruce jam erecta, ac in scrobe firmata? Altum hic est Sacrorum Scriptorum silentium; vel quia supponebant ordinarium crucifixions modum jam cunctis esse notam; vel quia præ teneritudine animi & compassione non plura poterant scribere; vel potiùs quia ita placuit Spiritui sancto, ut nobis majorem præberet ansam de tanto redemptianis mysterio cum fructu meditandi? Quidquid sit hac de re; inquiramus nos, quo modo illa tam miseranda peracta fuerit in Filio Dei crucifixo: *Attende cœlum quæ loquor, audiat terra verba oris mei.*

2. Jacob Patriarcha nunc discessurus ex hac mortali vita omnes suos ad se convocavit filios, eisque bona ac mala, quæ illis erant eventura, prophetizavit. Cùm ad Judam deveniſſet, illi hoc prædixit: *Catulus leonis Juda: ad prædam Fili mi ascendisti: requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Per generosum hunc Judam secundùm mentem S. Ambrosii & aliorum Christus Dominus ex stirpe Juda oriundus allegoricè adumbratus est, hic enim est verus ille leo de tribu Juda, qui ascendit in prædam, tulitque prædam tartari, dum crucem suam coram innumero populo in monte Golgothæo ascendit, in qua pugnavit, & mortuus est ut leo, quia morte sua totum commovit mundum, ac diabolum, mortémque moriendo destruxit. Ubi observa Lector prudens; *Ad prædam fili mi ascendisti*, ex quibus verbis & vaticinio S. Ambrosius colligit, quòd ipse Christus Dominus non vi compulsus, sed voluntariè crucem ascenderit, in qua in aëre, stans in suppedaneo, prout observat S. Justinus, Irenæus, Gregorius Turonensis, clavis quaternis affixus fuit. O anima dilecta! c[illegible]ora ex hoc quantùm te DEus tuus & amor crucifixus dilexerit.

Gen. 49. 9.

S. Ambr. l. de Benedict. Patriarch. in Benedict. Judæ. Turin. hic.

3. Hoc idem insinuat Sponsus suæ dilectæ: *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus ejus;* quæ verba communiter SS. Patres de Christo in crucem ascendente accipiunt, proinde docent, Christum non in terra, sed cruci jam erectæ, & in terra firmatæ per scalas fuisse affixum, quia hoc erat majus supplicium, majórque ignominia, & ad majorem populi circumstantis horrorem.

Cant. 7. 8.

S. Gregor. M. in c. 7. Cant.

Audiamus, quomdo S. Bonaventura hunc modum crucifixionis describat, cujus propria verba hic pono: *Hic modum crucis diligenter attende. Ponuntur duæ scalæ una retrorsum ad brachium, super quam malefici ascendunt cum clavis & martellis. ponitur etiam altera scala ex parte anteriori attingens usque ad locum, ubi debebant pedes affigi: & cogitur JEsus per illam*

S. Bonav. lib. Medit. vitæ Christi c. 78.

ascendere, & cùm ad superiorem partem illius scalæ pervenit, ad crucem renes vertit, & manus in excelsum extendens eas porrigit suis crucifixoribus. Aspicit in cœlum Patri dicens: Ecce hìc sum, Pater mi, usque ad crucem me humiliare voluisti pro amore & salute generis humani Placet, accepto, & pro eis me tibi offero, quos dedisti mihi. Qui autem retro crucem est, accipit manum ejus dextram, & eam fortiter cruci affigit. Similiter alius accipit manum sinistram, & trahendo quantum potest, crucifigit. Descendunt post hæc de scalis, removentur omnes scalæ, & alius per pedes, quantum potest, trahit corpus, & corpore sic extenso ejus pedes consigit clavo durissimo. Hæc S. Bonaventura. Et quis, obsecro, hæc considerando non condoleat optimo JEsu? En Pater æterne! vox sanguinis Fratris nostri JEsu clamat ad te de terra: Audi Pater, & vide vocem sanguinis Filii tui, & miserere nostri.

Exod. 12. 3. 4. Olim Agnus Paschalis, *quem immolabat universa multitudo filiorum Israël ad vesperam*, antequam immolaretur, in carnario tanquam in cruce erat suspensus, & extensus (prout etiamnum faciunt nostri laniones agnum ad macellum præparando) dein erat excoriatus, & in formam crucis assatus. Ita S. Justinus: *Quòd agnus Paschalis assari jubetur, crucifigendum Christum significabat, siquidem agnus in crucis formam expansus assabatur.*

S. Justinus.

Per hunc agnum legalem in Paschate ab Hebræis immolari solitum, S. Petrus Apostolus Christum agnum illum divinum & immaculatum in ara crucis in Paschate pro nostra, omniúmque salute immolatum intelligit: *Scientes quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati.* De quo divinissimo Agno ulteriùs asserit, quòd Judæi illum in patibulo suspenderint: *DEus patrum nostrorum suscitavit JEsum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.* Et in alia loco: *Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Judæorum & Jerusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno.*

1. Epist. 1. 18.

Act. 5. 30.
Act. 10. 39.

Adverte hìc Lector prudens! typum ac prototypon, ac præsertim illa S. Petri verba: *Suspendentes in ligno*, dum uterque agnus & legalis & divinus in ligno erat suspensus, & occisus; solet autem priùs lignum seu patibulum à carnificibus erigi, & firmari, antequam fontes in illud per scalas ascendant, & in eo suspendantur; ita insinuare voluit S. Petrus, Christum simili modo sublimè in patibulo crucis fuisse suspensum, clavis & laqueis affixum ac tandem occisum. Audi Nicephorum: *Postquam ad Calvariæ montem est ventum, ibi crux compingitur, Salvator in eam sustollitur, clavis affigitur, & à prætereuntibus plurimis convitiis exagitatur.*

Nicephor. lib. 1. Histor. c. 30.

5. Mitto quàm plurimos alios SS. Patres & antiquissimos, uti S. Chrysostomum, S. Cyprianum, S. Augustinum, S. Bernhardum, qui expressè docet: *Exaltato in cruce perforatnur manus & pedes viri optimi, benigni JEsu &c.* Quod & Revelationes S. Birgittæ expressè docent, Christum

S. Chrysost. in 1. ad Cor. 2.
S. Cyprian. serm de Pass.
S. Bern. tract. de pass. cap. 5.

stum per scalas ascendisse crucem, & sic in aëre fuisse cruci affixum, solent enim talia spectacula populo aspiciente fieri. Quid ergo his considerandis nunc restat: nisi ut crucifixo Amori ac Redemptori nostro animitùs condoleamus, eique infinitas agamus gratias, quòd se obtulerit æterno Patri in sacrificium totius mundi, ac nominatim pro meis ac tuis peccatis. Quid ergo rependes, anime mi, tanto amori, quo te dilexit, & tradidit semetipsum pro te? quid rependes? Cogita & statue. Revel. lib. 7. cap. 15.

6. Amici illi Job, qui solandi causâ ad eum venerant, ubi viderunt Jobum amicum suum à diabolo pessimis percussum vulneribus, & nunc sedentem in sterquilineo, & testâ radentem saniem, quem priùs ut virum optimum, multisque circumfluentem divitiis cognoverant, tanto subitò repleti sunt stupore, ut septem diebus ac noctibus cum illo humi sedentes, tenuerint silentium, nec quisquam illorum ausus sit præ animi teneritudine & commiseratione illum alloqui, videbant enim dolorem illius esse vehementem: *Cúmque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum.* Job. 2. 12.

O anima Christiana! si viri isti tanto fuerunt correpti stupore, ubi hominem & amicum suum in tam miseranda rerum facie conspicati sunt; Quid, obsecro, dixissent, & fecissent, si ipsum DEum ac hominem Christum æterni Patris Filium in infami crucis patibulo suspensum, & affixum, tot vulneribus concisum, atque innumeris plagis propter scelera nostra attritum vidissent? *Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra?* O horrendum! ô cruentum spectaculum! nunquam hactenus in orbe visum, neque ampliùs videndum: *Obstupescite cœli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer!* Isa. 53. 5. Jerem. 2. 12.

7. Collige ex hoc pro reflexione morali, quanta sit gravitas peccati mortalis, quod non nisi morte crucis ex justo Dei decreto expiari potuit; & tu audeas iterum peccare lethaliter? Collige ulteriùs, quantus fuerit amor Filii Dei in nos miseros mortales, pro quorum salute non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Collige insuper, quanti sit facienda cujuslibet hominis anima, cujus pretium fuit vita, passio & mors Christi, ita ipse eam appretiavit, ut à jugo diaboli illam redimeret. Disce denique, si non pari, saltem ingenti studio procurare animarum salutem, ne sanguis JESU Filii Dei inaniter sit effusus.

CONSIDERATIO LVI.

Quare Domino JEsu, ubi cruci affixu sest, facies atro velo tecta, & velata fuerit?

Abscondam faciem meam ab eis. Deut. 32. 20.

I.

QUòd olim nocentibus ac malefactoribus, cùm in crucem agerentur, dirisque in ligno affigerentur clavis, facies atro obvelata velo fuerit, ex Scriptura & S. Patribus liquidò constat. Morem hunc testatur dira illa jussio & feralis sententia, prout habet Livius & Cicero, & ex eis Cornelius: *Lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, infelici arbore suspendito*

Aman primum Regis Assueri præpotentem ministrum in mentem revocemus, cùm enim à justitiæ ministris ad crucem à convivio raperetur, facies illius atro velamine contecta est: *Statim operuerunt faciem ejus, dixitque Harbona unus de Eunuchis, qui stabant in ministerio Regis: En lignum quod paravarat Mardochæo, qui locutus est pro Rege, stat in domo Aman, habens altitudinem quinquaginta cubitos, cui dixit Rex: Appendite eum: Suspensus est itaque Aman in patibulo.* Ecce olim reis mortis, & condemnatis ad patibulum facies velata fuit, quod etiamnum fit reis capite plectendis, quibus velantur oculi, ne cernant fulminantem gladium in suam vibrari cervicem.

Cornel in lib. Esther. c. 7. 8.
Esther. 7. 8

Sic & Christo Salvarori nostro, cùm in monte Calvario, Supplicii loco crucis affixus est, caput velatum fuit; si enim priùs impii deicidæ Christo in foro Caiphæ velabant faciem ejus: *Et cœperunt quidam conspuere in eum, & velare faciem ejus;* Et iterum: *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus,* Ita, ait Quaresimius, & alii authores probatissimi, Christo in acerbissima crucifixione facies aliquo velamine obnubilata est; in quem finem Ecclesia sancta Catholica in Dominica Passionis in templo, aliquo velo operire solet Crucifixi imagines, quas non nisi in die Parasceves post crucifixionem & mortem Redemptoris discoperit,

Marc. 14. 67.
Luc. 22 63.
Quares. to. 2. cap 4.

rit, eúmque cuncto populo Christiano ad spectandum & adorandum proponit.

2. Vide hìc quomodo benignus Dominus peccatum Protoparentum nostrorum luere voluerit; Adam enim & Eva, primò peccarunt oculis & ore, aspiciendo & comedendo pomum vetitum: Christus ut hoc expiaret, passus est velari sibi os & oculos, non à scurris tantùm, qui in atrio Pontificis illi ptotervè insultarunt: *Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit?* Sed etiam à Romanis militibus, qui ipsum crucifixerunt; dum enim publicè & coram omni populo in cruce jam erecta, ac in scrobe firmata? prout alibi explicavimus, ipsi stantes super pegma & scalas, Christum quatuor clavis fatali ligno affixerunt, interim pro more Romano diviniſſimam faciem ejus obsoleto velamine obnubilarunt; per quod Christus velatus significare voluit se absondere faciem à Judæis, illósque fide & cognitione Dei privandos & excœcandos: *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum, generatio enim perversa est, & infideles filii.* Deut 32. 20.

3. Moyses legislator veteris legis, & typus Christi descendens cum virga sua & decalogo de monte Sinai, ex consortio divini colloquii radiantem vultum suum velo occultavit: *Posuit velamen super faciem suam.* Exod. 34. 33. Christus legislator novæ legis ascendens cum virga crucis in montem Golgothæum, ubi in conspectu totius populi in ea affixus est, pariter velamine faciem suam in ipso actu crucifixionis occultari voluit: *Et est creditu facile*, ait Fornerus, *velum hoc fuisse abjectissimum, & omnium pedibus contritum, quò major ex ejus contuitu irrisio sequeretur.* Forner. in Paradiso Malor. Punicor. O bone JEsu! quid non pro salute nostra feciſti, ac passus es? Ah quot sunt etiamnùm Christiani, & utinam non Orthodoxi, qui sacratissimam faciem tuam de novo obvolvunt, & involvunt velo, dum tam liberè peccant, & gravissimis te DEum & Hominem offendunt sceleribus, & sic secundùm mentem Aopstoli te de novo crucifigunt? O miseri! quid agitis? *An qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite* Psal. 93. 9.

4. David in exilio suo & à facie Absolonis profugus, nudis pedibus, flens, & operto capite clivum olivarum ascendit: *Porrò David ascendebat clivum olivarum, scandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite; sed omnis populus, qui erat cum eo, operto capite ascendebat plorans.* 2. Reg. 15. 30. Ecce quid possit exemplum Superiorum, dum Davidem mox subditi secuti sunt, & caput suum in illo luctu tegebant. Solebat aliàs David nudo capite incedere quasi liber & expeditus, in luctu verò caput operiebat, & tegebat, quod & subditi fecerunt. Observa hìc miram Davidis humilitatem, pœnitentiam & patientiam, quâ plorans, & tecto capite

lugens, montem ascendit, ut esset typus Christi, qui in eodem monte Oliveti Patrem orans cum lacrymis, & sudans sanguinem, inchoavit passionem, & redemptionem nostram, in clivo Calvario, ubi utroque in monte confusio & cruor cooperuit faciem ejus, tandem complevit:

Deut. 32. 20. *Abscondam faciem meam ab eis*, quia magna fuit velut mare contritio ejus, & dolor immensus; ac præsertim dum manus ac pedes ejus dirissimis terebrati sunt clavis. Et arbitratur Joannes Lanspergius, quòd manus

Homilia 41. de Passione. Domini 26. malleorum ictibus, pedes verò 36. ictibus fatali crucis ligno fuerint affixi. O peccatrix anima! quid tuo amentissimo poteris rependere Salvatori, qui pro tua salute tot contumeliis fui affectus, tot doloribus pressus, tot sauciatus vulneribus? Ecce Dominus tuus & DEus tuus suspensus est in patibulo, & tu tuæ dabis operam voluptati? an existimas quòd hoc atro tectus velamine te non

Eccli. 23. 28. videat? Ah falleris: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem.*

5. S. Paulus cùm Athenas perveniisset, in Areopago singula illius civitatis altaria & simulacra falsorum deorum perlustravit, in-

Actor. 17. 23. ter quas aras unam reperit, cui titulus inscriptus erat: *Ignoto Deo.* Quæres hic prudens Lector, quare Athenienses hoc altare Deo ignoto dedicaverint? & quis hic Deus erat ignotus?

Resp. Lyranus & alii, causam struendi hanc aram ignoto Deo fuisse Ecclypsim Solis, quæ accidit in passione & morte Christi crucifixi, quam ubi vidit Dionysius Philosophus cum Apolophane doctissimo pariter Philosopho, exclamarunt: *Aut Auctor naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Ex quibus patet, quòd Athenienses licèt ignorantes, jam tunc sub velamento Christum & hunc crucifixum coluerint, & adoraverint, quem exinde D. Paulus liberè illis prædi-

Cornel hic in Acta Ap. cavit: *Quod ignorantes colitis hoc ego annuntio vobis. Deus qui fecit mundum &c.* S. Joannes Chrysostomus & Oecumenius addunt, quòd Athenienses huic ignoto Deo in peste tunc grassante sacrificaverint: *Cúmque ipsi sacrificassent, statim curati sunt: Hunc ergo Christum JEsum esse, Deum omnium Paulus annuntiavit.*

6. O bone JESU! tu reverà ignotus DEUS eras, pendens inter

Isa 45. 15. latrones in cruce: *Verè tu es DEus absconditus; DEus Israel Salvator;* & Va-

Psal. 17. 12. tes Regius: *Qui posuit tenebras latibulum suum.* Proinde apud Isaiam Se-

Isa. 6. 2. raphini velatis oculis illi acclamabant: *Sanctus sanctus, sanctus.* Et hic DEus in cruce? O cœli, ô terra? O Oriens & Occidens, ô Meridies & Septemtrio obstupescite. Ecce post vitam tam innocenter transactam, post tot patrata miracula, post innumera in miseros mortales merita, in ipso ætatis suæ flore creator ac Redemptor tuus, benefactorum omnium maximus, exhaustis viribus & toto corpore sau-

cius

cius in conſpectu infinitæ multitudinis pendet in patibulo, & quidem velato capite: *Velaverunt eum.* Luc. 22. 64.

O Domine JEſu! ô Amor crucifixe! cum bona venia tua accedo ad te, imò proſtratus in terra, ambobus pedibus adrepto ad te ego peccatorum miſerrimus, ut divinam faciem tuam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, per tranſennam tantùm aperiam, & conſiderem: *Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus.* Pſal 79. 4.

Ah quid video remoto hoc velamine? ah quid video? Hæccinè eſt illa facies, quam diſcipuli in monte Thaboræo, ut ſolem radiantem conſpicati ſunt: *Reſplenduit facies ejus ſicut ſol?* Hæccinè eſt illa facies, Matth. 17. 2. quam quondam Moyſes videre tantoperè deſideravit: *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam?* Hæccinè eſt illa facies, quam Exod. 33. 13. Reges ac Principes, Patriarchæ & Prophetæ volebant videre, & non poterant: *Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ & juſti cupierunt videre* Matth. 13. 17. *quæ videtis, & non potuerunt, & audire quæ auditis, & non audierunt,* Hæccine inquam, eſt illa facies? Heu, heu, heu! quàm ſordidis nunc inquinata eſt ſputis, quàm duris onerata colaphis, quàm cruentis redimita ſpinis? Oculi natant in ſanguine, ita doloroſiſſima Virgo & Mater: *Filius meus cùm duceretur quaſi latro, exterſit ſanguinem ab oculis ſuis.* O afflictiſſima Virgo! habes nunc Filium tuum non ampliùs capite velatum, ſed publicè in cruce omnibus tormentis expoſitum. O Domina! ne avertas faciem tuam à nobis, ſed impetra nobis gratiam &c. Revel. S Birg. lib. 2. c. 10.

CONSIDERATIO LVII.

Cur Chriſtus Dominus in erecta cruce cœlum inter & terram medius mori voluerit?

Erit vita tua quaſi pendens ante te. Deut. 28. 66.

I.

HUnc Scripturæ textum: *Erit vita tua quaſi pendens ante te*, explicant SS. Patres de Chriſto JEſu crucifixo, erat enim Chriſtus ante oculos Judæorum quaſi vita pendens in cruce, ita S. Léo: Quaſi dicat: Chriſtus eſt vita tua, ô Judæe, qui à te viſus S. Leo ſerm. 8 de Paſſione.

visus est pendens in cruce, & tamen tu illi non credisti; & antiquissimus Tertullianus: Erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos & non credes vitæ tuæ, quæ semper in periculo posita est, proinde vera vita animæ nostræ est Christus JEsus & hic crucifixus.

Israëlitis quondam in deserto à venenatis serpentibus vulneratis vita fuit serpens ille æneus in mediis illorum castris jussu Dei in oblonga cruce erectus, *quem cùm percussi aspicerent, sanabantur* Observa: Serpens ille Christi crucifixi pulcherrima & expressa figura fuit, quia de seipso ait: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis* Serpentem illum æneum à Moyse erectum Israëlitæ sani & infirmi de longè poterant contemplari, ex cujus intuitu vitam conservabant incolumem! Christus in erecta cruce pendens, factus est nobis in salutem; hinc S. Augustinus: *Fratres ut à peccatis sanemur, Christum crucifixum intueamur, quomodo qui intuebantur serpentem æneum in deserto, non peribant morsibus serpentum*, neque tu peribis, si amator fueris crucifixi JEsu, unde S. Leo: *Sicut à reatu nullum liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.* Fac conclusionem: ergo etiam pro me.

Num. 21. 9.

Jo. 3. 4.

S. Aug. in Jo. cap. 6

S. Leo ser. de Nat.

2. Quæsivit olim DEus & misericordiarum Pater, ad parcendum nobis semper propensus, virum justum, qui mediatorem inter DEum & homines ageret, ac precibus suis iratum Numen placaret: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni.* Et quid sequitur? ô tremendum fulmen! quia mensura peccatorum erat jam tunc temporis intervallo completa, dixit DEus: *Effudi super eos indignationem meam, in igne iræ meæ consumpsi eos.* O nos felices, & DEO sint laudes infinitæ atque immensæ, vir ille justus, & justissimus justorum inventus est, qui justitiæ divinæ, ne dissiparet terram, interposuit sepem; & quid dico? qui etiamnùm hodie in cœlo interponit sepem, quia advocatus noster & mediator apud Patrem factus est. Anime mi, vis videre hunc virum justum? Ecce crucem Domini, & in ea pendentem Dei Filium, de quo Paulus: *Quem proposuit DEus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem justitiæ suæ* Observa: Justitia debet omnibus innotescere, cùm ad exemplum & communem satisfactionem exerceatur; ideò Pater æternus voluit, ut Filius sibi unicè dilectus in erecta cruce publicè, licet innocentissimus, coram tot millenis spectatoribus pro salute omnium moreretur, ut nullus calumniari posset non fuisse divinæ justitiæ de condigno satisfactum. O amor, ô amor! iterum dico ô Crucifixe JEsu: *Verè qui te non amat anathema sit.*

Ezech. 22. 30.

Rom. 3. 25

1. Cor. 16. 22.

3. Voluit autem Dei Filius in alta & erecta cruce cœlum inter & terram pendere medius. Audi rationem à S. Paulo: *Pacificans per sanguinem*

Col. 1. 20.

quinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt. En medium locum reconciliationis nostræ, quem Dei Filius inter cœlum & terram elegit. Et in alio loco: *Omnia in Christo instaurantur, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt,* Ephes. 1. 10. in cruce enim Christus restauravit sedes gloriæ, & numerum Angelorum lapsorum, ad implendum illud Davidis: *Implebit ruinas*; & in terra Psal. 109 6. restauravit, quod ab Angelis lapsum est, ut ab hominibus redderetur; unde subjungit Apostolus, & animum nobis addit: *Ergo non estis hospites* Ephes. 1. 22. *& advenæ, sed estis cives Sanctorum, & domestici Dei,* quia per Christum & hunc crucifixum Deo Patri reconciliati estis.

Voluit insuper Christus mori in aëre. Aër est commune omnibus elementum, ita aërem nuncupavit Sapiens: *Natus accepi communem aerem.* Sap 7. 3. De aqua dici potest: hæc aqua mea est; de terra: hæc est terra mea; de igne: hic est ignis meus; similem tamen sermonem de aëre non potes formare, quia omnibus est communissimus: Voluit itaque mitissimus JEsus ostendere, se communem esse in cruce omnium Redemptorem.

4. Respiciebat autem crucifixus Dominus facie sua Occidentem; ita S. Germanus Patriarcha in Theoria Rer. Eccles. *Christus*, ait, *cruci affixus ac Occidentem erat intuens, ejus verò venerandarum manuum altera in meridiem, altera in Septentrionem erat extensa* Et S. Joannes Damascenus: *Cùm in* S. Jo. Damasc. *cruce penderet, ad Occasum prospiciebat;* Et quare ad Occasum? Respondeo: lib. 4. fidei Sol justitiæ est Christus Deus noster, unde Malachiæ Prophetæ priùs Orthod. c. 13. intimatum fuit: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in* Malach. 4. 2. *pennis ejus*, hoc est in brachiis ejus in cruce extentis, ac pretioso sanguine in salutem nostram manantibus. Prospiciebat autem Occidentem, quod jam priùs in vita fecerat; Audi Evangelistam: *Vespere autem facto,* Marc. 1. 32. *cùm occidisset sol, afferebant ad eum omnes malè habentes &c.* Quos tunc in occasu solis solebat curare. S. Hieronymus per solem occidentem Christum in cruce morientem subaudit, in cruce enim moriens omnes nostros languores sanavit: *Et livore ejus sanati sumus.* Isa 53. 5.

5. Alia ratio, quare Christus patiens, & moriens in cruce Occidentem respexerit. Cùm Jacob Patriarcha jam jam moriturus filiis suis ultimum Vale dicere, illisque extrema benevolentiæ & amoris signa vellet demonstrare, eos in unum convocavit: *Congregamini filii & audite Jacob, audite Israel Patrem vestrum* Ita Christus Dominus, ut filios sibi congregaret, signum crucis erigi voluit: *Et elevabit signum in nationibus pro-* Isa. 11. 12. *cul,* seu vexillum, quia crux, sive crucifixus est signum, sub quo Christiani congregandi erant contra acies dæmonum præliaturi, capútque inclinavit ad eos, qui Occidentalem incolebant plagam; hinc S. Hiero- S. Hieron. in nymus: *Quia dorsum suum & non faciem Judæis, & perfidæ Hierusalem convertit,* cap. 15. Isaiæ.

ut averteret ab ea faciem suam, quod tantoperè formidabat David, dicens: Ne averas faciem tuam à me, ut clamantes Judæos non exaudiat, nec misereatur eis. Econtrà è quale solatium est nobis Christicolis, in plagis Occidentalibus habitantibus, ad quos Christus moriens respexit, & sanctissimam faciem, quam tantoperè antiquæ legis Patriarchæ exoptabant, convertit.

6. Cæterùm solemnissima ac publicissima fuit Christi Domini crucifixio ac mors, quia coram Deo, bonis & malis Angelis facta est; coram Deo, qui venerat ad spectandum agonem tam cruentum dilectissimi Filii sui ad illius excipiendum spiritum; Coram Angelis sanctis, qui aliàs lætantes in nativitate, & ministrantes in deserto apparuerunt, sic in luctuosissimo crucis agone flentes & dolentes sese exhibuerunt, unde
Isa. 33. 7. illud Isaiæ: *Angeli pacis amarè flebant.* Sed & Angeli mali cum Lucifero accesserunt, ut viderent finem, & JEsum in cruce observarent morientem, an reverà hic esset Salvator mundi, hinc illud Veritatis: Venit
Jo. 14. 30. *princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Ecce non casu, sed divino consilio factum est, ut Dei Filius ac Dominus noster JEsus Christus publicè in cruce moreretur.

Accedit, quòd & amantissima Parens steterit juxta crucem mœrens ac dolens, quæ plus cæteris suis doloribus, velut sagittis acutissimis, feriebat; ac dolore dilaniabat amore fauciatum Filii sui cor, unde verè illi dicere poterat: *Vulnerasti cor meum Soror mea sponsa, vulnerasti cor meum* Supra quod S. Bernardus: *Quia plus doluit de Matre quàm de se, nam multò acerbiùs ex Matris compassione doluit, quàm ex sua ipsius passione.* Hìc experta est afflictissima Mater, quàm verum fuerit illud Simeonis vaticinium: *Positus est in signum cui contradicetur.* Mitto turbam planè ingentem ad hoc insolitum spectaculum concurrentem, in qua fuerunt & ipsi Principes ac Magistratus templi & Seniores, non enim solis gentilibus Hebræi confisi erant. Tantus erat ardor ac desiderium perdendi Christum.

Cant. 4. 9. S. Bernhard hic. Luc. 2. 34.

7. Consideremus denique S. Athanasium, cur Christus in aëre elevatus spiritum emittere voluerit. Jam sanctificaverat Dominus terram pedibus suis illam calcando: Sanctificaverat aquam, dum Jordanem ingressus est, ut illius aquâ baptizaretur. Posteà ignem sanctificaturus, dum Spiritum Sanctum in specie igni misit; solùm restabat, ut
S. Athanas. lib. de incarnat. aërem sanctificaret, ideò voluit in eo elevari ac mori: *Dominus*, inquit, *ut diabolum præcipitaret, aerémque purificaret, & viam ad cœlum nobis muniret, quâniam altâ morte istud fieri poterat, nisi eâ, quam in aëre toleraret? De cruce est, quod loquor; solus enim ille in aëre moritur, qui in cruce vitam finit; quare non sine ratione eam Dominus sustinuit, ita enim sublimatus aerem purgavit ab omni diabolica infestatione.*

CON-

CONSIDERATIO LVIII.

Cur Salvator mundi nudus in cruce pendere, & nudus mori pro nobis voluerit?

Milites acceperunt vestimenta ejus. Joan. 19. 23.

1.

UT umbra corpori, sic figura in Sacra Scriptura debet correspondere suo figurato. Adam primus omnium parens Christi Domini figura & umbra fuit, prout in antecedentibus explicavimus, oportet ergo, ut & figuratum cum sua umbra correspondeat. Adam in meridie peccavit, dum manus ad arborem scientiæ boni & mali extendit: eâdem horâ Christus ad crucem manus suas expandit. Adam quia nudus erat, summoperè post lapsum erubuit: Christus hanc nuditatem in cruce luit: *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me* Adam horâ nonâ diei, hoc est apud nos, horâ tertiâ pomeridianâ nudus è paradiso ejectus est: Christus eâdem horâ nudus paradisum ingressus est. Adam erubescens nuditatem, Occidentem respiciebat, prout probat Mallonius & alii, ubi audivit vocem Domini deambulantis ad auram post meridiem: Christus, ut Patrem placeret, faciem suam in cruce ad Occidentem convertit. Adam ut tegeret nuditatem carnis, ad arbusta confugit & ad folia ficûs, quibus inferiorem partem contexit: Christus, ut aliquo modo erubescentiam suam tegeret, velo eâ parte contectus est, quam natura tegendam docet. Nescio, an tormentum ullum aliud pientissimo Redemptori nostro gravius acciderit, quàm denudatio ante crucifixionem, ubi nudus stabat coram tot efferatis hostibus. O impudici! attendite & considerate, vos causa estis hujus injuriæ & contumeliæ. Ps. 43. 16.

2. Revertor ad Adam: Ad quid, obsecro, in nuditate tua pavidus latitas in medio ligni paradisi, dicens de longe ad Deum adventantem: *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui, eò quòd nudus essem?* Noli amplius formidare, ô Adam! progredere, & in montem Calvarium te confer, en habes hic nuditatis tuæ socium, ipsum Dei Filium; si Gen. 3. 10.

memineris adhuc, audiisti ex ore illius olim in paradiso: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Jam tu illi, sed omni cum humilitate, improperare potes: *Ecce Deus quasi unus ex nobis factus est:* Ego nudus in paradiso, & tu nudus in cruce? sic nimirum luit Dominus, quod quondam deliquit servus. O filii Adam! omnes nos nudi egredimur ex utero
Job. 1. 21. Matris nostræ: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc;* dicebat quondam patientissimus Job; sed advertè hic, anime mi, non
Matth. 22. 12. nudi admittemur in regnum æterni Patris: *Amice*, dicebat quondam Rex ad mendicum, *quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* Et tu sine hac veste nuptiali & sine bonis operibus vis intrare in regna cœlorum? hoc non credo. Veniamus ad alia.

3. Noë Patriarcha nudus in tabernaculo dormiens, & ab execrando filio Cham irrisus, ac protervè illusus pari modo Christi in cruce
Matth. 27. 39. nudati figura fuit ad Judæorum populo subsannati: *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua &c.* Sed observa: Noë à Sem & Japhet retrorsum ad patrem suum accedentibus pallio honestè coopertus fuit: Sic piè credendum est, Christum ab initio quidem, detractis violenter vestibus, toto corpore nudatum ad suam accessisse crucem, sed heu! quo & quanto cum rubore ac verecundia! exinde ve-
S. Birg lib. 1. Revel c. 10. rò velo quodam circa verenda esse velatum. Ita refert S. Birgitta multorum arcanorum Dei conscia, cui Beatissima juxtà ac dolorissima Virgo & Mater insinuavit: *Filio meo stante, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens apportavit velamen, quo ipse exultans intimè, velabat verenda sua;* quod velamen Aquisgrani adhuc hodie religiosè asservatur, cujus particulam non levem in Monte Sancto Andechs in superiori Bavaria quondam conspicatus sum.

4. Michol Regis Davidis uxor, ubi eum vidit denudatum, & coram arca Domini subsilientem atque saltantem, in corde suo despe-
2. Reg 6. 10. xit eum, ac redeunti dixit: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Israel, discoperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris.* Angelomus & alii allegoricè hoc exponunt de Christo in cruce nudato:
Angelom. hic. *In qua cruce*, ait, *velut nudus eis apparuit, dum potentiam divinitatis suæ illis abscondens, infirmitatem tantùm carnis ostendit.* Et quemadmodùm David nudùs, Ephod tamen lineo præcinctus à Michol irrisus & subsannatus est, ita & Christus, Filius David, nudus, solo linteolo tectus impiæ Synagogæ in cruce summo ludibrio expositus fuit: *Omnes vi-*
Psalm. 21. 8. *dentes me, deriserunt me.* O vermis, & non homo! *Opprobrium hominum, & abjectio plebis;* & quemadmodùm vermis intuentibus horrori est, & sine misericordia à prætereuntibus pedibus conculcatur: ita & Christus in passione & crucifixione plenus vulneribus & denudatus,

horro-

horrorem faciebat aspicientibus, non enim erat ei species neque decor; conculcatus autem fuit, prout ipse per os Regii Vatis ad Patrem clamavit: *Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo.* Textus Chaldaicus legit: *Adversarius meus, homo peccator,* qui dum mortaliter peccat, iterum crucifigit, & calcat Christum. O JEsu! verè omnium hominum abjectissime & miserrime! quousque te ob salutem animæ meæ humiliasti, ut ex inferni faucibus me redimeres? Et ego non amem te? *Oblivioni detur dextera mea, adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui,* ô JEsu pro me crucifixe! Psalm. 55. 2. Psal. 136. 5.

5. Joseph in pluribus typus Christi fuit, dum à Patre missus est ad fratres pascentes oves: Sic Christus, ait S. Ambrosius, à Patre missus est in carnem, ut nos, quasi fratres suos, salvaret; dum à perfidis & invidis fratribus, quasi Agnus mansuetus à turculentis lupis, captus, ligatus, illusus: in veterem cisternam funè demissus, & exinde Ismaëlitis viginti argenteis venditus est; Ac tunc præsertim Christum præsignavit, ubi *nudaverunt eum tunicâ talari, & polymitâ, mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent: Hanc invenimus, vide utrùm tunica filii tui sit, an non?* quam tunicam dilaceratam, & in sanguine hœdi intinctam, ubi pater vidit & agnovit, cum lacrymis exclamavit: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph, scissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* S. Ambr. lib. de Joseph. cap. 2. Gen 37. v. 23. & 32.

Ad te mo converto, ô Virgo & Mater dolorosissima! quis tibi tunc erat sensus, quando ipsa præsens in Calvariæ rupe vidisti illam tunicam, quam tu quondam fecisti, nunc proprio Filii sui sanguine intinctam, ipsúmque denudatum, & jam tertiò excoriatum, ac tandem in infami ligno luctuosissimâ ac miserrimâ morte expirantem? ad cujus conspectum sol obscuratus est, *& tenebræ factæ sunt super universam terram;* Quid, inquam, tu ad hæc, ô Virgo & Mater omnium afflictissima? Recordare hujus confusionis & ignominiæ intolerabilis; & succurre nobis, quando nudi egrediemur de hoc mortali corpore, ut non æternum pati debeamus confusionem. Matth. 27. 45

6. Hic adimpletum fuit illud Isaiæ de Christo vaticinium: *Et extendet manus suas, sicut extendit natans ad natandum.* Mergebatur tunc Mundus, & totum genus humanum erat in periculosissimo constitutum naufragio; nemo juvare poterat, nisi solus Deus & Homo Christus: Quid fecit? Pro omnibus nobis, ac singulis nudus, vestésque in manibus carnificum linquens, in cruentum doloris pelagus se projecit, ut nos naufragos è profundo peccatorum & æterna perditione eriperet. Audi ipsum per os Jessæi Vatis loquentem: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* O JESU! ô Amor crucifixe! Isa. 25. 11. Psal. 68. 3.

quantùm tibi obligatus est Mundus, & omnis homo vivens, quia unus pro omnibus mortuus es; quam veritatem ponderans, & recognoscens S. Paulus dixit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Hoc est, subintrat hic S. Bernhardus: *Tradidit semetipsum pro me, quia eâdem charitate, quâ mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis;* & pro me & te; ô Lector charissime! Quid ergo illi retribuemus?

Gal. 2. 20

S. Bernh. ser 42. in Cant.

7. S. Bernhardinus Senensis adhuc adolescens se ipsum nudo JEsu in cruce pendenti consecravit; Cùm enim in illa ætate florente ignoraret, quam vitæ rationem & statum deberet eligere, ad crucifixum Dominum se recepit, coram cujus imagine humiliter prostratus, divinam exquirebat voluntatem, quidnam in re tanti momenti sibi esset agendum? Et ecce ab ore pientissimi Redemptoris nostri crucifixi has voces attentâ aure audivit: *Fili mi, tu me vides hic nudum, & clavis affixum cruci: Si me diligis, hic quæres, & invenies; sed tu nudus sis, & crucifixus, ut ego sum, sic me facilius invenies.* Quibus Christi verbis commotus, S. Franciscum Seraphicum, quem nudum Christum crucifixum secutum & ita piissimè mortuum optimè agnoverat, & ipse pro omni possibili modo sequi decrevit. Ecce quàm verum sit, quod S. Hieronymus in sua Regula ad Eustochium quondam scripsit: *Nudus JEsus nudos quærit amicos & Sponsos.* Quomodo tibi, ô Lector! hæc lectio placet? Visne esse opulentus, vel potiùs nudum sectari Christum?

Waddingus in Annalib. & Hadr. Lyr. l. 4 c. 4

S. Hieron. c. 3



CON-

CONSIDERATIO LIX.

Cur Christus Dominus in medio terræ & in monte Calvario salutem nostram voluerit operari?

Deus autem Rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ Psal 73. 12.

1.

NOn absque singulari causa Christus Dominus nascens, vivens, ac moriens medium elegit. In media nocte natus est, dum quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter perageret. In medio duorum animalium in præsepio reclinatus; Duodennis inventus in templo in medio Doctorum; Domi medius inter patrem nutritius & Virginem Matrem; Vir in medio Discipulorum: *Ego in medio vestrûm, tanquam qui ministrat.* Medius inter Moysen & Eliam in monte Thahoræo; Sed & in medio duorum latronum crucifixus est: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & alter à sinistris*, ubi salutem nostram in medio terræ operatus est; Supra quod S. Germanus Constantinop. *Omnes confitentur in Jerusalem ipsissimum medium terræ*, & S. Athanasius: *Medium terræ est hic Golgotha. Non meus est sermo, Propheta dicit Psalmo 73. Operatus est nostram salutem in medio terræ.* De qua veritate plura impræsentiarum. Sap. 18. 14. Luc 2. 46. Luc. 22. 17. Matth. 17. 3. Matth. 27. 38 S. Athanas. ad Antioch. q. 137.

2. Operatus est Deus & Homo Christus salutem nostram in medio terræ, ut Crux esset instar ligni vitæ in medio paradisi plantati, & instar fontis illius mirabilis, qui promanabat de medio paradisi, ut omnes ex illo vitæ ligno possent participare fructus vitæ æternæ, & ex hoc fonte haurire aquas salutis, hinc Isaias: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Gen. 2. 10. Isa. 12. 3.

Docebat autem, ut persona media in SS. Trinitate humanam assumeret naturam, & in ea fieret redemptionis & felicitatis nostræ Deum inter

inter & hominem, & inter cœlum & terram mediator, unde Apostolus: *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus;* per quod significare voluit, atque commendare auream mediocritatem, quæ nos Deo & hominibus gratos efficit: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*

1 Tim. 2. 5.

Matth. 18. 20.

3. Olim in lege omnia sacrificia & holocausta Aaronica de puris animantibus DEO T. O. M. oblata præfigurabant Christum & hunc crucifixum, *quia*, prout docet doctissimus Quaresmius, *in eo loco erat Christus mortuus. Nam sacrificium mortis Christi fuit causa exemplaris, & quodammodò finalis præcedentium sacrificiorum.* Proinde non sine gravissima causa Christus pati voluit in Jerosolymis, quæ est in medio terræ habitabilis, ut sic virtus passionis Dominicæ abunde per universum diffunderetur mundum.

Quaresm. to. 2. c. 5. sect. 7.

Josias Rex in Jerusalem pientissimus extra ditionem suam in prælio contra Nechao Ægyptiorum Regem in campo Maggedo à sagittariis vulneratus, in nullo alio loco mori, ac sepeliri voluit, quàm in Jerusalem, unde dixit servis suis: *Educite me de prælio, quia oppidò vulneratus sum. Qui transtulerunt eum de curru in alterum currum, qui sequebatur eum more regio. Et asportaverunt eum in Jerusalem, mortuúsque est, & sepultus in mausoleo patrum suorum.* Christus constitutus Rex super Sion montem sanctum ejus, simili modo Jerosolymam moriturus ascendit, ubi tanquam in sua regia ultimum diem clausit, ac sepultus est, hoc est in medio terræ. Hìc reverà virtus consistebat in medio.

2 Paral. 35. 23.

Psalm. 2. 6.

4. Adam, ubi vixit annis 930. & vidisset totius humani generis propagationem & corruptionem, piè in Domino defunctus est, cujus ossa Noë in arcam suam religiosè suscepit, & finito diluvio inter suos liberos distribuit, Sem autem filio suo, quem pluris quàm alios æstimavit, calvariam Adæ consignavit & cum ea Judæam. Hinc ait Cornelius ac plures alii, communisque Patrum sententia est, quòd cranium Adæ in monte Calvariæ fuerit sepultum, ut ibi Christi crucifixi sanguine rigaretur, abluneretur, vivificaretur; unde S. Augustinus: *Verè fratres*, inquit, *non incongruè creditur, quia ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus, & dignum erat, ut ubi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere redemisse credatur.* Ex quibus colliges, Lector prudens, cur pretiosissimus Salvator noster Christus in medio terræ & in Calvario monte operatus sit nostram salutem.

Gen. 5. 5.

S Augustin. ser. 71. de Temp.

5. Cæterùm summa fidei nostræ mysteria plerumque in montibus fuerunt peracta. Moysi legem daturus Dominus, illum jussit ad montem Sinai ascendere. In monte Christus nasci voluit; in monte

Exod. 34. 2.

Naza-

Nazaræo educatus; in monte duodennis inventus; in monte duodecim elegit Apostolos; in monte octo beatitudines docuit; in monte transfiguratus; in monte SS. Eucharistiam instituit; in monte sanguinem sudavit; in monte crucifigi & mori voluit, & quidem extra urbem in orbis meditullio, & in loco edito, omnibúsque conspicuo, ut pro omnium salute se tam indigna pati indicaret, erat enim communis totius mundi hostia, unde pro omnibus in illo terræ medio immolari voluit: *Ut filios Dei*: ait S. Joannes, *qui erant dispersi, congregaret in unum.* Joan 11. 52. Hinc & S. Leo: *Quia crux Christi*, inquit, *non templi futura erat ara, sed* S. Leo serm. 2. de Pass. *mundi, & novæ legis sacrificium non in uno tantùm templo offerendum erat, sed in universo orbe, ut juxta divinum Oraculum à solis ortu usque ad occasum magnum esset nomen Dei in Gentibus &c.*

6. De Eliseo Propheta recenset Scriptura, quòd mortuus mortuum ad vitam suscitaverit, ex quo apparet mira Viri illius sanctitas & virtus: *Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum. Latrunculi autem de Moab ve-* 4. Reg. 13. 20. *nerunt in terram in ipso anno; quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & sepelierunt cadaver in sepulchro Elisei; quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Cæterùm quòd homo vivens ac sanctus subinde mortuum ad vitam revocaverit, plura demonstrant exempla; Sed quod cadaver aliquod in cineres redactum, mortuos vivificaverit, rarissimum prodigium est. Sed mysterium accipe, & ex figurante nosce figuratum.

Resp. Cornelius & alii: *Eliseus*, inquit, *hac in re typus Christi fuit, cujus in cruce mortui gratiâ & meritorum contactu omnes resurgemus.* O anime mi! vide ex hoc, atque considera, quomodo verus Eliseus (Christus) in monte Golgothæo in medio putrefactorum cadaverum constitutus, & in medio terræ in cruce pendens, ac mortuus universo generi humano restituerit vitam, & multa Sanctorum corpora in cineres resoluta è sepulchris suis resurgere fecerit: *Multa enim corpora Sanctorum, qui* Matth. 27. 52. *dormierant, resurrexerunt, & apparuerunt multis.* O Domine JEsu! ô Amor crucifixe! suscita & me per virtutem S. Crucis tuæ ad meliorem vitam, & non intres in judicium cum servo, sed fac secundùm misericordiam tuam; mortuus enim es in cruce pro peccatoribus, ergo & pro me, proinde non ampliùs dimittam te: *Mihi autem adhærere Deo bonum est: po* Psal. 72. 28. *nere in Domino Deo meo spem meam.*

7. Mori autem voluit mitissimus Redemptor in ligno crucis extra civitatem: *Ne putares*, ait S. Chrysostomus, *pro illa tantùm plebe, id est, Judaica oblatum Christum, ideò foras civitatem, ideò foras muros: ut scias sacrificium esse commune.* S. Chrysost. hom. de cruce & latrone. Ex quo patet, quòd mons Calvariæ factus sit commune theatrum & orbis Gymnasium, in quo Magister noster Christus

de cathedra crucis nos omnes docuit, & etiamnum docet, quantum malum sit peccatum, pro quo abolendo Deus ipse crucifigi, ac mori
Thren 4. 20. voluit: *Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Et idcircò mons ille Calvarius à SS. Patribus appellatur *Mons prædæ* quia ibidem Dominus, pro-
Gen. 49. 9. ut canit S. Mater Ecclesia in hymno de S. Cruce, *Tulit prædam Tartari.* Hinc Jacob Patriarcha benedicens filio suo Juda dixit: *Ad prædam fili mi*
Psalm. 21. 17. *ascendisti*, quod in Christo completum fuit, quem tanquam prædam circumdederunt canes multi, & consilium malignantium obsedit eum:
Apoc. 6. 2. *Ille autem exivit vincens, ut vinceret.*

8. Colligite ex hoc, quòd crucifixus Deus portentum fuerit, & etiamnùm sit à sæculis inauditum. Quid enim mirabilius à sæculo, aut quid magìs stupendum in cœlo, aut in terra, quàm Deus in medio terræ pendens in ligno pro homine indigno? Sol vidit, & obscuratus est, luna & sidera à tam cruento spectaculo suos retraxerunt radios; obstupuit orbis universus, dum ad Creatoris sui necem à fundamentis concussus est; & solus homo peccator, qui horum dolorum causa fuit, non obstupescat, non doleat?

Vita. Non sic S. Franciscus Seraphicus, sæpiùs dum crucifixum aspiceret, ubertim plorans. Et cùm aliquando sui ploratûs tam copiosi causam rogaretur, altè ingemuit, & dixit: *Se flere Christum crucifixum, & mundum oblitum.* Agnovit hoc & S. Magdalena, per triginta annos in eremo ad crucem, quam illi S. Michaël erexit, jugibus lacrymis passio-
S. Bernh. ser. 2. de Nativit. nem Domini sui deplorans. Finio cum S. Bernhardo: *Agnosce ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.*

CON-

CONSIDERATIO LX.

Christus per omnem vitam pauper, sed in cruce pauperrimus, summum pauperum ac miserorum solatium.

Scitis enim gratiam Domini nostri JEsu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. 2. Cor. 8. 9.

1.

DAvid iram & horrendam Saulis persecutionem declinaturus, coactus est de matura sibi prospicere fuga; proinde ad desertum se contulit, ubi in spelunca petrosa, ac in horrido antro dimorari cœpit: *Abiit ergo David inde, & fugit in speluncam Odollam.* 1. Reg. 22. 1. Et quia hoc experti sunt amici ejus, miseri, calamitatibus, doloribus ac debitis pressi alienis, ad eum, tanquam ad principem tribulatorum confugiebant, ut ab eo in tempore illo calamitoso non tam acciperent solamen, quàm & juvamen: *Et convenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.*

David hic in sensu allegorico repræsentavit Christum, prout asserit Cornelius, qui per omnem vitam usque ad mortem crucis assiduas passus est persecutiones ac tribulationes. Ad eum ergo, tanquam ad principem suum, convenire debent omnes pauperculi, miseri ac desolati, debitóque alieno vel proprio peccatorum pressi, ut ab eo in cruce pendente recipiant optatum levamen: *Tibi* enim, subintrat hic idem Vates Regius, *derelictus est pauper: Orphano tu eris adjutor.* Psalm. 10. 14.

2. Consideremus attentiore mente crucifixi Salvatoris nostri paupertatem verè miserandam. 1. Nasci voluit brumali tempore non in proprio diversorio, aut in urbe, sed in abjectissimo stabulo, quem Sacratissima Virgo & Mater non aureis, sed pauperculis involvit panniculis, atque in præsepio inter duo jumenta reclinavit. Luc. 2. 7. En summam

pientissimi Redemptoris tui egestatem. 2. Ubi in templo Patri cœlesti
Luc. 2. 24. præsentatus est, non agnum (munus divitum) obtulit, sed duos pullos columbarum, aut turturum, quos pauperes ob inopiam solebant offerre. 3. In Ægypto gladium Herodis fugiens, & per omnem reliquam vitam non habuit; ubi caput reclinaret, quod ipse hisce verbis
Matth. 8. 20. indicare dignatus est: *Vulpes foveas habent: volucres cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.* O duram pauperiem! 4. Quando veniens Capharnaum solvere tributum à ministris Cæsarianis jussus est, nullum siclum imò nec obulum habuit quem expenderet; hinc Petrum misit, ut per miraculum à pisce necessariam acciperet mone-
Matth. 17. 26. tam: *Illum sumens da eis pro me & te* 5. In deserto jejunans, ac tandem post 40. dies panem esuriens, nullam habuit buccellam, quâ se refice-
Math. 4. 11. ret, sed opus erat, ut Angeli venirent, & ministrarent ei: *Tunc reliquit eum diabolus: Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.* 6. In monte Olivario in illo sanguineo ac mœstissimo sudore nec scrutum lintei habebat, quo cruentas abstergeret guttas ac lacrymas, sed accessit ad eum An-
Luc. 22. 42. gelus, in hac summa paupertate & ærumna confortans eum, cujus divinum, in quem desiderant Angeli prospicere, linteolo vultum absterst, quod etiamnum in monte Sancto Andecensi in superiore Bavaria sanguineis guttis inspersum religiosè asservatur.

3. Vidisti hactenus, anime mi, extremam benignissimi Servatoris tui pauperiem. Sed quid in cruce? Ecce hic omnium mortalium pauperrimus factus est ille, qui dat escam omni carni, ille qui aperit manum suam, & implet omne animal benedictione, ille cujus sunt omnes fines terræ, nudus tanquam novissimus virorum, & toto corpore saucius in infami crucis patibulo inter latrones affigi voluit; pauperculas vestes inter carnifices divisit, & ardentissimam sitim patiens non aquâ, sed aceto felle mixto sedare debuit, ac denique mortuus syndonem non habuit, quâ operiretur, sed homo alienus misericordiâ motus, obtulit ad sepeliendum, ubi in alieno sepulchro voluit tumulari; quia
Petr. Bles. ser Purif. B. V. proprium non habuit. O cœli obstupescite: *Omnem* inquit Petrus Blesensis, *revolvite vitam Salvatoris ab utero Virginis usque ad patibulum crucis, & non invenietis in eo nisi stigmata paupertatis.* O pauperculi! ô desolati! quid a-
1. Reg. 22. 2. gitis? erigite vos in spem; *Ad Davidem convenerunt omnes, qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Ecce Principem vestrum pendentem in cruce, accedite ad eum cum
Psalm. 9. 10. omni fiducia, quia *factus est Dominus refugium pauperi: adjutor in opportunitatibus; in tribulatione.*

4. De Job perhibent Sacræ litteræ, quòd post tantam omnium bonorum ac facultatum jactu am sua sciderit vestimenta: *Tunc surrexit*

Job,

Job, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit. An fortassè Job ex aliqua impatientia aut indignatione, vel ex nimio corporis & animi dolore sua conscidit vestimenta? Minimè gentium, quia voluntati divinæ sese in omnibus semper exactissimè in omni fortuna confirmavit: Quare ergo sua dilaceravit vestimenta? Job. 1. 20.

Resp. Olympiodorus in catena, quia Job totum infernum contra se armatum vidit, unde se ad pugnam cum orco ineundam paravit, & omnibus vestimentis se exuit, ut ad præliandum paratior ac promptior inveniretur; audi ipsum loquentem: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc &c.* En pulcherrimum typum in Christo patiente adimpletum, qui pariter nudus, & omnibus exutus vestibus in cruce pendens cum diabolo decertare voluit, quem & vicit ac debellavit, nobis præbens exemplum, quomodo nudi & pauperes spiritu esse debeamus, ne in hac pugna cum diabolo succumbamus: *Qui ergo,* ait S. Gregorius, *contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat,* hoc est terrena omnia ac sæcularia desideria, paupertas enim est validissima adversùs dæmonem armatura. S. Gregor. hom. 32. in Evang.

5. Vis exempla, quomodo oculi crucifixi JEsu respiciant in pauperem: *Oculis ejus in pauperem respiciunt?* Audi, & admirare. Drepani in Sicilia imago crucifixi Domini etiamnum hodie summâ veneratione asservatur & colitur, ad quem anno à partu virgineo 1641. Mulier quædam supremâ egestate pressa filium suum parvulum importunè in fame panem à se petentem submisit, cum mandato, ut ab hoc crucifixo orbis Servatore, quem digito ostendebat, panem & vitæ remedia flagitaret; ibat misellus, & ad Crucifixum teneras levans manus, lacrymabili voce dixit: *Domine, da mihi panem, mater mea mittit me ut panem à te petam.* Quid hìc expectas, Lector prudens & amator Crucifixi? En insolitum prodigium! mox mitissimus Salvator è cruce brachium resolvit, & parvulo filiolo recentem ac candidissimum panem in sinum projecit. Quis lætior hoc misello? Qui sine mora ad egentem matrem cucurrit, & cum gaudio panem nive candidiorem monstravit. Res interim in vulgus propalatur, admirantur omnes; Et ecce dum turmatim ad templum accurrunt, in veritatis testimonium Crucifixi brachium à ligno crucis revulsum inveniunt, quod in hodiernum usque diem ita liberum conspicitur; quæ res illius loci Episcopum movit, ut matri & filio de sufficienti annona usque ad dies vitæ liberaliter prospiceret. Vide hìc, anime mi, quomodo verificatum sit illud Regii Vatis: *Videant pauperes, & lætentur* Et cuid videant? Dominum suum ac amorem suum in cruce ut pauperrimum ac novissimum Psalm. 5. Hadr. Lyræus de Christ. fat. fol. 316. Psal. 68 33.

virorum morientem, ex cujus meditatione se ipsos animare possunt præsertim illi, qui pro Christo facti sunt pauperes.

Anton. Balinghem. in Kalend B V. 8. Sept.

6. S. Thomas à villa nova pauper Religiosus ex Ordine S. Augustini, sed pauperior exinde factus Episcopus semper per omnem vitam refugium suum ad crucifixum Dominum suum habuit, & invenit; & quia ex amore illius, qui propter nos egenus factus est, omnia sua pauperibus distribuit, horreum illius frumento penitùs vacuum derepentè divinitus plenum inventum est. Anno Domini 1555. in festo Purificationis B. V. M. pro more suo ad crucifixum Amorem suum venit, afflictus & desolatus propter Episcopale munus, quia sibi summoperè timebat, ne excluderetur à numero Beatorum, quia fuisset de numero Prælatorum; unde humi prostratus non sine lacrymis orabat: *O JEsu! Domine mi, & sapiens Gubernator: si non esses meus Deus, dicerem equidem quòd malè mecum ageres, permittendo me ita vexari à meis subditis diœcesanis, apud quos post meam consecrationem jucundum diem nullum habui. Sed volo mi Domine, quod tu: fiat voluntas tua.* Ad quem Crucifixus clara voce: *Æquo animo esto, mi Thoma, in die nativitatis Matris meæ venies ad me;* Quod & factum est. Cæterùm os Crucifixi loquentis, quod prius clausum erat, deinceps semper apertum permansit, & ita in hodiernum diem conspicitur dentibus nudis tam perfectè ad vivum apparentibus, ut peritissimi Sculptores fateantur, quòd nullo artificio humano quid simile fieri potuisset.

Max. Sand. in Stauroph lib. 17 Tit. 7.

7. Finem huic Considerationi imponat B. Joannes Chisius frater laicus ex eodem S. Augustini Ordine, homo simplex & pauperculus. Hic, inquam, cùm vestem non haberet nisi tunicam à pedibus usque ad caput tritam ac laceram, pro more suo ad crucifixum accessit, coram quo humiliter prostratus flagitavit Dominum, ut suæ dignaretur succurrere indigentiæ. Et ecce illo adhuc orante, ad latus ejus adfuit vir quidam ore, vultu, ac toto corporis habitu venerabilis, qui eum

Matth. 5. 3.

hisce verbis allocutus est: *Accipe Frater à me hos paucos nummos pro illius, quem colis, amore, in tuum usum ac necessitatem*, deditque illi tres aureos, & mox evanuit ex oculis ejus. Obiit hic Beatus Anno Christi 1369. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*

CON-

CONSIDERATIO LXI.

Christus extentis in cruce manibus orans, exemplum nobis præbet, quod imitemur.

Clamavi ad te Domine : expandi ad te manus meas. Psalm. 87. 10.

1.

MOyses, ubi contra Amalec erat pugnandum, cum virga sua, quâ priùs mare rubrum diviserat, montem ascendit: *Cúmque levaret manus Moyses, vincebat Israel: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec.* Exod. 17. 11. Quid igitur consilii in re tanti momenti? Aderant tunc quoque in vertice montis Aaron & Hur, qui, cùm manus in Moyse jam senescente ob tam diuturnam extensionem lassatas advertissent, eas in oratione Moysis tam diù in sublime sustentarunt, donec Josue, fugato Amalec, hostilem exercitum profligaverit, & in ore gladii usque ad internecionem deleverit: *Fugavitque Josue Amalec & populum ejus in ore gladii.*

Per Moysen Christum subaudi in Calvario monte virgam suam, hoc est, crucem in manibus tenentem, & expansis in modum crucis brachiis ad Patrem suum cœlestem pro salute nostra orantem: *Moyses*, ait S. Isidorus, *brachia in modum crucis extendit; sicque hostis signo crucis Domini superatur*, & Cornelius à Lapide: *Virga hæc*, inquit, *significabat crucem Christi; unde Patres docent, Moysen hìc crucis JEsu habitum & typum gessisse.* S. Isidor in Exod c 26. Cornel. hìc.

2. Voluit autem mitissimus orbis Servator Christus in cruce extendere manus. Primò ut omnes ad se invitaret: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11 28. Secundò ut paratum se ostenderet, ad omnes amplexandos, quemadmodum mitis ille & verè misericors Pater expansis brachiis filium suum prodigum nunc ad frugem redeuntem excepit, & pectori suo admovit: *Accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Luc. 15. 20. Tertiò ut comprehenderet fines universæ terræ, ita prædicente Sybillâ, ut refert Sozomenus: *Expandetque*

que manus, totum mensuret ut orbem. Quartò ut Patrem exoraret cœlestem, illique nos sisteret, atque per SS. Vulnera sua, velut sacra ora, veniam nobis exoraret, *Pater ignosce.* Quintò ut nobis monstraret, quomodo efficaciter ad Deum orandum; proinde antiquissima in Ecclesia Dei consuetudo est jam ab Apostolorum tempore introducta, ut in oratione nostra manus in modum crucis expandamus, ut sic crucis memores nostram in ea spem & in meritis Christi ponamus; juvat hìc audire S. Ambrosium: *Ipsius*, ait, *incessus hominis, cùm manus levaverit, crucem pingit, atque ideò elevatis manibus orare præcipimur, ut ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc enim citiùs nostra exauditur oratio, cùm Christum, quem manus loquitur, etiam corpus imitatur.*

S. Ambros. serm. 56.

3. Ex quibus apparet, quòd oratio illa magìs apud Deum sit meritoria quæ fit distentis in formam crucis manibus, quàm illa quæ offertur Deo junctis vel conclusis manibus, quia talis homo, qui elevatis manibus orat, demonstrat quòd crucifixum sincerè amet, eúmque, quantùm in se est, imitari studeat, unde paratum se exhibet ad pugnam & omnes labores pro crucifixo obeundos; Et sicut naufragus in mediis nudis constitutus brachia expandere solet, quo signo auxilium implorat & succursum! Sic qui inter orandum manus in cœlum atque in formam crucis erigit, quà publicè, quà privatim ostendit, quòd honoret crucifixum Dominum suum, cujus gratiam & misericordiam tam humili corporis gestu implorat. Et quorsum, obsecro, Lector Staurophile, in omnibus nostris necessitatibus securiùs fugiamus quàm ad crucifixum JEsum? *Non enim est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Act. 4. 11.

4. Ad Davidem Regem transeamus, qui inter spem & metum constitutus, dum exercitum suum contra rebellem Absolonem filium suum jam explicatis signis progredi conspexit, in genua humiliter provolutus, expansis ad cœlum manibus imminentem suorum pugnam Deo commendavit, humiliter obsecrans, quatenus benignus Dominus justis assisteret armis: *Expandi*, inquiebat, *ad te manus meas: anima mea sicut terra sine aqua tibi: velociter exaudi me Domine.* Et iterum in alio loco: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, quod idem est (prout eleganter hìc observat le Blanc & alii) *Elevatio manuum mearum*, id est oratio quam manibus in cœlum elevatis & expansis ad te dirigo Deus, sit tibi perinde grata *sicut sacrificium*, quod tibi tempore vespertino Jerosolymis offerre consuevi, ubi nunc in exilio constitutus, & à proprio filio rebellante ab urbe mea expulsus, illud tibi Deo optimo, maximo offerre non possum.

Psal. 142. 6.

Psal. 140. 2.

Erat

Erat autem hoc sacrificium Vespertinum agnus quidam immaculatus, in veru ligneo in formam crucis expansus, & lento igne pro salute totius populi assatus, quam victimam Sacerdos pro peccatis totius præteriti diei DEO offerebat, & in altum, ut sic eam DEO sisteret, ac consecraret, elevabat; pro ut nunc Sacerdotes Christiani in sacrificio missæ post consecrationem SS. Hostiam elevare assolent. Ex quibus facilè intelliges, Lector prudens, quam ob causam prudentissimus Rex David in extrema illa constitutus necessitate manibus ad Cœlum in formam crucis extentis ad DEum oraverit, ut videlicet eo modo faciliùs iratum Numen placaret, & divinam à se averteret indignationem, erat enim Propheta, & à DEO superiore illustratus lumine clarissimè ex hoc figurante figuratum, & ex victima Vespertina Christum & hunc crucifixum prævidit & agnovit, qui, velut agnus innocentissimus, horâ vespertina, hoc est nonâ, pro delictis totius mundi in ara crucis oblatus est, per quem à DEO gratiam & contra rebellantes victoriam obtinuit: *Illud*, ait S. Augustinus, *est sacrificium vespertinum, passio Christi, Crux Christi, oblatio victimæ salutaris, holocaustum acceptum Deo &c.* S. Augusti. in Psal. 40. O Christiani! non erubescamus in oratione nostra in modum crucis expandere manus nostras: *Qui enim* subintrat hìc S. Bruno Episcopus, *Expansis manibus orat, crucem Redemptoris imitatur;* Et Incognitus: *Quando expandimus manus in modum crucis, tunc significamus nos imitatores Christi passionis, omnia adversa patienter tolerando.* B. Bruno in Exposit. Psalt. Incognitus fol. 1037.

5. Desideras plura? Salomonem attende; Ubi templum suum complevit, convocato omni populo stans ipse in loco eminentiori divinæ Majestati debitas persolvit gratias, sed non alio modo, quàm expansis per modum crucis brachiis: *Stetit Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israël, & expandit manus suas in cælum &c.* 3. Reg. 8. 22. Et exauditus est in deprecatione sua, impleverat enim gloria Domini domum Domini &c. Petrus Galatinus hìc observat, quòd Salomon manus suas in formam crucis expandens in cælum, in umbra præviderit Christum Dominum & hunc crucifixum, quem & omnes victimæ, quas immolabat, repræsentabant, ideò & ipse extentis in modum crucis brachiis orabat in cœlum. En si vis singularem à DEO obtinere gratiam, imitare hìc Salomonem, dum ad DEum preces fundis: *Nos verò*, sunt verba Tertulliani, *non attollimus tantùm sed etiam expandimus manus ac brachia, & Dominicam passionem modulantes, confitemur Christum.* Galatin lib. 8. de arcan. c. 17 Tertul. de Orat.

6. Salomoni adjungo Jonam Prophetam, qui à balena absorptus, cùm in summis versaretur angustiis, in ventre piscis expansis ad DEum brachiis oravit: *Et oravit Jonas ad Dominum Deum suum de ventre piscis, & dixit: Clamavi de tribulatione mea ad Dominum, & exaudivit me.* Andreas Jonæ 2. 2.

Andr. Cretes. Orat. 2. de Exalt. S. Cruc.

Episcopus Cretensis ait, quòd Jonas extentis brachiis suis signum crucis efformaverit, & per merita venturi Messiæ, suo tempore pro salute universorum crucifigendi, fuerit exauditus: *Elevavit*, inquit, *Jonas vocem manibus in crucis formam sublatis, & statim virtutem ex alto attraxit, sine noxa ex bellua ejectus.* Habes hìc rursus formam & modum, Lector Christiane, quem imiteris: si vis exaudiri in oratione, tentatione ac tribulatione tua, expande sæpiùs manus tuas ad Dominum & Amorem tuum crucifixum; crux enim est altare propitiatorium, ad quod securum reperies auxilium & asylum in tempore oportuno.

S. Max. Ep. hom. 5. de SS. Apost.

7. S. Petrum Apostolorum Principem consule. Cùm Simon Magus Romæ se palam Christum Dei Filium profiteretur, & nunc ope dæmonis in aëre elevaretur: *Prior*, ait S. Maximus, *ascendit Petri oratio ad Dominum, quàm volatus, & antè pervenit justa petitio, quàm iniqua præsumptio*, nam Simon Magus ab aëre in terram præcipitatus, in petra crura confregit, & turpiter coram omni populo Romano confusus est. Clemens Alexandrinus observat, quòd S. Petrus tunc expansis in modum crucis manibus ad DEum oraverit, cujus orationis virtute & Christi crucifixi meritis, quem hìc invocabat Petrus, mox dæmon fugatus est.

Epiphan. hæresi 78.

De S. Jacobo Ap. Minore testatur Epiphanius, quòd solitus fuerit manibus in formam crucis protensis supplices ad Deum preces mittere; Et cùm aliquando diuturna siccitas regionem vastaret, pestisque vehemens populo minitaretur interitum, formans manibus crucem & in cœlum clamans, quamprimùm regioni salutarem pluviam, & aërem salubrem impetravit.

Annal. F.F. Minor. Lyr. & alii.

8. S. Franciscus Seraphicus, qui totus quasi in Crucifixum transiit, frequentissimè solebat præsertim de nocte expansis in formam crucis brachiis ad DEum preces ingeminare, ubi aliquando toto corpore à terra in altum elevatus, & nube lucidâ circumdatus, quasi in aëre crucifixus Fratribus suis apparuit.

Surius in vita.

S. Ludovicus ex Maria Hungarica Caroli II. Siciliæ Regis filius, sui & mundi contemptor egregius, qui ut crucifixo Regi suo, cui unicè militare decreverat, se magis magisque conformaret, abdicato regno & sæculi fastu Seraphicum Ordinem S. Francisci ingressus, omnibus mortalibus exemplum præbuit, quo amore & cultu sit honorandus crucifixus JEsus, in cujus honorem quotidie, licet Episcopali dignitate insignitus & curis pluribus ac laboribus distentus, Officium de SS. Cruce expansis in modum crucis brachiis summa cum devotione recitabat; & cùm diabolus in forma felis latens, ipsi strueret insidias & interitum, unico signo S. Crucis illum fugavit, & in orcum misit. Si vis, anime mi, hunc hostem fugare, imitare exempla.

CON-

CONSIDERATIO LXII.

Avaritia, & proprium Intereſſe Filium Dei ad mortem crucis magna ex cauſa promoverunt.

Expedit vobis, ut unus homo moriatur propopulo, & non tota gens pereat. Jo. 11. 50.

1.

SIngulari obſervatione dignum eſt, quod de Iſraëlitis in Exodo legitur, qui, cùm de Ægypto egreſſi fuiſſent, ut in terram promiſſionis ſe conferrent, priùs multas Ægyptiorum opes ſecum abripuerunt. His tamen non contenti Ægyptios in mari rubro ſubmerſos, & ad littus à fluctibus ejectos volebant de novo ſpoliare: proinde magno impetu in hanc prædam involarunt, ſed Moyſes eorum dux acriter obſtitit, atque ad viam citiùs in terram deſiderabilem capeſſendam compulit, unde Scriptura: *Tulit Moyſes Iſraël de mari rubro, & egreſſi ſunt in deſertum Sur.* Supra quod Exod. 15. 22.
pereleganter Lyranus: *Dicitur*, inquit, *tulit: quia cum quadam violentia, & importunitate fecit eos inde recedere; erant enim cupidi, & ideò nimis intenti ad ſpolia Ægyptiorum ſubmerſorum colligenda.* Ecce innatam Hebræorum avaritiam, qui quàm maximè inter omnes gentes ſuum Intereſſe quærere ſolent; quod & cum Chriſto fecerunt intereſſati, donec tandem eum ad ignominioſiſſimam crucis mortem promoverint. De qua veritate plura in præſenti.

2. *Corpus* per anagramma *Porcus*; Et ſicut porcus nihil valet, dum vivit, & aliquod utile, niſi quando moritur, unde lemma Picinelli: *Tantùm in funere prodeſt;* Sic & avarus, ſubintrat hìc Sanctus Doctor Se- Bonavent. dixt ſal. c. 6.
raphicus, non valet aliquid in vita, nec prodeſt, quia non vult reſtituere malè parta, nec dare elemoſynam &c. Sed moriens incipit eſſe liberalis, quia bona ſua non poteſt auferre ſecum, unde de illo diabolus participat animam, vermes hæreditant corpus, & amici divitias,

unde iterum usuvenire assolet: *De malè quæsitis non gaudet tertius hæres.*

1. Tim. 6. 9. S. Chrysost. hom in ep. ad Tit. Hinc optimè Gentium Doctor Paulus de ejusmodi interessatis: *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli;* in quem finem D. Chrysostomus divitias appellat compedes, cujus verba sunt: *Dives suis compedibus irretitur*, & hoc quidem optimâ ratione, quia tanquam captivus & mancipium à dæmone detinetur, ne liberè ad cœlestem patriam possit pervenire, quod patet ex illo divite usurario, in cujus exequiis S. Antonius concionaturus pro themate illud Christi assumpsit: *Ubi est thesaurus tuus ibi est & cor tuum;* Et vultis habere probam? Ite ad thesaurum ejus, & in illius medio cor hujus avari invenietis. Abierunt amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum invenerunt. O auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora? *Ubi sunt*, quærit Baruch Propheta, *qui argentum thesaurizant & aurum, in quo confidunt homines, & non est finis acquisitionis eorum?* Et respondet sibi: *Exterminati sunt, & ad inferos descenderunt.* Et tu, anime mi, vis sequi? Ah non.

Matth. 6. 21. Sur. 13. Junii. c. 28.

Baruch 3. 16.

3. Talis fuit Adolescens ille, qui per mandatorum Dei observantiam alacriter ad vitam contendebat æternam, unde volebat propiùs adhærere Christo: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Ad quem Christus: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me.* Sed quid subjungit Evangelista? *Cùm audisset autem adolescens verbum, abiit tristis; erat enim habens multas possessiones.* Ecce proprium interesse hunc aliàs bonum adolescentem à via salutis avertit, & fortasse etiam ad orcum ablegavit.

Matth. 19. 16.

O *Interesse*, tu quàm maximè Dominum nostrum JEsum Christum ad mortem crucis promovisti. *Interesse* fratres Joseph excœcavit, ut innocentissimum hunc adolescentem ac fratrem suum Ismaëlitis mercatoribus in servitutem venderent viginti argenteis, hoc est; decem florenis Brabanticis: Judas mercator pessimus Dominum ac DEUM suum ad crucem vendidit triginta argenteis, hoc est: 15. florenis. O maledictum interesse.

Gen. 37. 28.

4. Inter alia recensetdilectus Christi Discipulus, quòd Scribæ & Pharisæi mulierem quandam in adulterio comprehensam ad Christum adduxerint, & quid de ea sentiret, aut statueret, sententiam definitivam expostulaverint: *Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio, in lege autem Moyses mandavit hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis?* Miror, quare non etiam prædicti Scribæ & Pharisæi virum adulterum cum muliere comprehensum ad Christum Dominum adduxerint, quia lex tam adulterum, quàm adulteram morti adjudicat?

Jo. 9. 4.

Resp.

Reſp. Lyranus: *Adulter erat dives, & ideò pro pretio liberarunt eum.* Ecce lucrum & intereſſe accuſantium Phariſæorum ac Scribarum cor & mentem dementavit, ut diviti adultero parcerent, mulierem verò inopem ac pauperculam perdere vellent, & per hanc occaſionem etiam Chriſtum quærebant ad mortem crucis promovere. O maledictum intereſſe! *Vitulus aureus adoratur*, ait Doctor Seraphicus, *quando amor auri amori Dei præponitur* S. Bonavent. Dom. 3. poſt Epiph. ſer. 3.

5. Ubi Chriſtus Dominus Lazarum à morte & ſepulchro ſuſcitavit mox Pontifices & Sacerdotes contra eum coëgerunt concilium: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: Et venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Jo. 11. 47. Multæ hìc erant opiniones ac ſententiæ. Tandem Caiphas illius anni Pontifex concluſit, & hanc tulit ſententiam: *Expedit vobis, ut unus homo moriatur & non tota gens pereat.* O bone JEſu! nunc actum eſt de te, moriendum tibi eſt; ita concluſum in concilio à ſeptuaginta duobus viris, qui in Synagoga majori pollebant dignitate & authoritate, ita ſtatutum. Et quæ, obſecro, cauſa hujus cruentæ ſententiæ? an quia tot patraſti miracula? an quia pertranſiſti terram illam benefaciendo omnibus? an quia & mortuos reſuſcitaſti? &c. &c. Ergo moriatur JEſus ob talia miſeris mortalibus exhibita beneficia? Ita eſt: Moriatur ipſe Author vitæ: *Moriatur*, & quæ primaria cauſa tam injuſtæ necis?

O maledictum, ô abominandum, ô exſecrandum *Intereſſe* tu es cauſa mortis pretioſiſſimi Salvatoris noſtri, qui Hebræi illi timebant regno, ac proprio intereſſe: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem.* Supra quod S. Auguſtinus: *Temporalia perdere timuerunt, & vitam æternam non cogitaverunt, ac ſic utrumque amiſerunt.* S. Aug. tr. 49. in Jo Hoc habet proprium intereſſe, unde S. Paulus: *Omnes quærunt quæ ſua ſunt; non quæ ſunt JEſu Chriſti.* Philip. 2. 21.

6. Progrediamur ulteriùs. Surgit poſt octiduum de novo univerſum hoc malignantium Concilium adversùs JESUM Nazarenum, & cum ingenti apparatu ducitur Author vitæ catenis & funibus conſtrictus ad Romanum Judicem Pilatum, ut eum tanquam criminis læſæ Majeſtatis reum & Cæſari rebellem ad crucis condemnaret mortem. Excuſat ſe Pilatus: *Non invenio cauſam: innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus.* Matth. 27. 24 Quid hìc facit *Intereſſe?* Ecce clamorem omnium Intereſſatorum: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Jo. 19. 12. Et quid ad hoc Romanus Præſes? O cœli obſtupeſcite! hâc unicâ voce terrefactus tradidit JEſum voluntati eorum, ut crucifigeretur. Et quare hoc? Obſerva Lector prudens! Pilatus timebat, & prævidebat in hoc judicio ſanguinis

guinis suum periclitari interesse, Cæsaris gratiam, & per consequens officium suum pinguissimum, omnia munera donativa, & respectum. Quid ergo fecit? stante pede decrevit, statuit, & confirmavit, ut quantocyùs iñocentissimus JEsus Dei Filius inter duos latrones medius in crucem ageretur. S. Vincentius Ferrerius hanc sententiæ formulam, quâ Christus à Judice Romano ad crucis necem condemnatus est, in medium profert: *JEsum seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Judæorum esse, cruci affigendum condemno, & adiudico.* O maledictum interesse, tu quàm maximè Dominum meum JEsum Christum ad patibulum crucis promovisti. Et quid nunc, Sodes, inter Christianos: Non audeo dicere, Propheta loquatur: *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student:* Et non est status aliquis, in quo non regnat interesse, meum ac tuum, frigidum illud verbum. Sed quid fiet tandem cum ejusmodi avaris & interessatis?

S. Vinc. Ferr. Serm. de pass.

Jerem. 6. 13.

7. Audi quid herinacio solet accidere: Hic cùm per angustum foramen ingreditur hortum, non fructum comedit, non quiescit, sed hinc inde, ut fur discurrens, arborem pomis turgidam ascendit, & per aculeos suos dorsum suum plurimis onerat pomis. Cùm verò rursùs ex horto exire discupit, non potest ampliùs, quia oneratus, per foramen illud angustum, per quod intravit, exire; idcircò cogitur cuncta collecta per spinas suas poma relinquere, excepto uno, quod ore tenet, & in cavas portat arbores. En quomodo *spes illudit bientem.* Herinacius typus est hominis avari & suo interesse dediti, qui multa in hac mortali vita assolet corradere bona, in fine tamen vitæ, cùm per angustam mortis portam exeundum est, omnia simul perdit, & utinam non simul animam suam: O stulte, quæ parasti, cujus erunt? Et quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Luc. 12. 20 Matth. 6. 26.

CON-

CONSIDERATIO LXIII.

Crucifixus Dominus tot laceratus calumniis, decet nos, quomodo possimus & nos retundere, ac superare calumnias.

Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Psal. 118. v. 134.

I.

DAvid vir egregius, qui jam in juventute sua ursos ac leones dilaceravit, & Goliam immanissimum gigantè generosè prostravit, qui nullo perculsus timore, toties inimicorum castra aggressus est; unde dixit, & de seipso scripsit: *Si consistant adversùm me castra: non timebit cor meum; Si exurgat adversùs me prælium, in hoc ego sperabo.* Hic, inquam, talis ac tantus vir ad calumnias hominum cohorruit, & totus in alium mutatus est; unde impensissimè rogavit Dominum: *Redime me à calumniis hominum*, & causam subjungit: *Ut custodiam mandata tua.* Ecce calumniæ mortalium turbabant, & vix non subvertebant animum Davidis; unde Sapiens ait: *Calumnia conturbat Sapientem, & perdet robur cordis illius.* Psal. 26 8. Psal. 118. 134 Eccl. 7. 8.

Ad Filium Davidis, hoc est, ad patientem & crucifixum JEsum transeo. Et quis, obsecro, majoribus injuriis ac calumniis in vita & in morte impetitus, lacessitus, ac laceratus fuit, quàm innocentissimus ille Agnus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus? *Stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis.* Ecce crucifixo Redemptori tuo in summis cruciatibus insultabant, & calumniabantur omnes. O quantum per tales calumnias augebatur dolor ac tormentum pientissimi JEsu! videbatur enim tunc inimicorum ejus & impiissimorum Judæorum exsatiata furia, cùm illum viderent in ultimo supplicio & agone, insultabant tamen, & mille eum onerabant contumeliis; ex quo patet, nullum genus hominum abstinuisse, usque adeò, ut ne latro quidem sceleratus, concrucifixus, desperatus, ac semi-

Luc 23 35.

mor-

mortuus ei parceret. O bone JEsu ! ô Amor crucifixe ! qui tu pro me, & ego pro te, qui vix verbum asperum patienter possum ferre ?

2. Eliseus Propheta ferre non poterat contumelias puerorum, doli & culpæ jam tunc capacium, dum illi Ascendenti in Bethel petulanter occlamabant : *Ascende Calve ;* Proinde *maledixit eis in nomine Domini, egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Ecce qui thesauros Naaman Syri Principis à lepra in Jordanis flumine mundati tam generosè rejecit, qui tot ac tanta prodigia coram omni populo patravit, sustinere non potuit puerorum contumelias, quia *calumnia conturbat Sapientem.*

4. Reg. 2. 23.

Eccles. 7. 8.

Plus Christus in cruce, ubi scopus omnium calumniarum factus est. Sustinuit passiones & dolores omnes : *Et ego factus sum opprobrium illis, viderunt, & moverunt capita sua ;* Risui & nasi contorsioni addebant labiorum & capitis motum, ut non duntaxat naso, sed omni modo illuderunt : *Locuti sunt labiis, & moverunt caput.* Et quid interim Dominus JEsus ? *Pater dimitte illis :* Oravit pro calumniantibus se, quia ipse priùs prædixerat : *Ego autem dico vobis ; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quod non tantùm dixit, sed & fecit, & per orationem suam à Patre impetravit, ut vindicta in calumniantes usque ad quadragesimum annum dilata fuerit. Et ecce tunc venerunt de sylva gentium duo ursi : Titus videlicet & Vespasianus, qui Judæos deicidas in excidio Jerosolymitano, & immorigeros eorum filios dilacerarunt, & perdiderunt. Hoc habet calumnia, quæ ut plurimùm redit in authorem.

Psal. 108. 25.

Psal. 21. 8.

Matth. 5. 44.

3. Job in sacra Scriptura nobis proponitur, tanquam invictum fortitudinis & patientiæ speculum, cumprimis in jactura omnium facultatum, in ruina domûs & strage filiorum, in vulneribus, quibus toto corpore à Sathana erat plagatus : *Egressus igitur Sathan à facie Domini, percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus ;* in quibus omnibus Job erat patientissimus, sed ubi dæmon uxorem & amicos in ejus patientiam armavit, illúmque variis replebant calumniis, fortissimus hic athleta nonnihil vacillare cœpit : *Usquequò,* inquiebat, *affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus ?* Juvat hìc audire S. Joannem Chrysostomum : *Ubi verò exprobare sibi amicos, atque insultare vidit, & malignam de se existimationem facere, & dicere quòd talia propter peccata pateretur, & malitiæ suæ solveret ultionem, tunc demum turbatus est vir ille maximus, fortissimus.*

Job. 2. 7.

Job. 18 2.

S. Chrysost. hom. 15. in Matth.

Cæterùm Job insignis typus fuit Christi patientis & crucifixi ; ô quot calumniis in vita, passione & cruce oneratus fuit mitissimus hic Redemptor tuus ! Jobo inter tot calamitates sola remansit incolumis

mis pessima uxor, quæ verborum jaculis, opprobriis ac calumniis viri sui augeret vulnera. Per hanc pessimam uxorem Synagogam subintellige, mille calumniis in Christum sponsum suum armatam, unde eum deturpavit sputis, flagellis dilaceravit, spinis coronavit, divinissimum caput ejus arundine percussit, ad crucem condemnavit, in medio latronum suspendit tanquam magistrum eorum & sceleratiorem omnibus. Et in his omnibus cruciatibus mitissimus agnus non aperuit os, neque contra calumniatores & hostes suos conquestus est, ut quondam Jobus fecerat: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis sermonibus;* Sed hoc unicum ab illo Veritatis ore audiebatur: *Pater, dimitte illis.* Audi S. Bernhardum: *Cùm JESUS in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo.* Si hoc te non movet, anime mi, saxum es, vel brutum. Job. 19. 2. S. Bernhard. de Pass. Dom. cap. 12.

4. Moyses vir mansuetissimus super omnes homines, ubi à Core, Dathan & Abiron ista calumnia illi irrogata est, quòd ambiret sibi principatum, & fratri suo Aaroni Pontificatum, indignatione motus, turbavit seipsum: *Vexatus est Moyses propter eos, qui exacerbaverunt spiritum ejus.* Non sic JESUS noster & amor crucifixus. Num. 16. 15. Psal. 105. 32.

Mira quidem fuit patientia Davidis ad maledicta & calumnias Semei sufferendas, quem idcircò Abisai ad necem deposcebat: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput ejus.* Sed prohibuit David: *Quid mihi & vobis est filii Sarviæ? Dimitte eum, ut maledicat; Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David.* Observa tò præcepit, id est decrevit permittere. His tamen non obstantibus, David semper per reliquum vitæ curriculum memor fuit ejusmodi à Semei illatæ injuriæ ac calumniæ; unde appropinquante morte filio suo Salomoni mandavit: *Tu noli pati eum esse innoxium.* 2. Reg. 16. 9. 3. Reg. 1. 9.

Et quid JESUS infami crucis ligno suspensus, & nunc brevi moriturus? *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Ecce loquitur in causa aliena, qui semper tacuit in sua: Pro crucifigentibus orat, non definiendo præsentes, sed & futuros, videlicet peccatores omnes; ergo etiam me & te, ô mi Lector. Luc. 23. 34.

5. Tobiam seniorem non adeò turbavit cæcitas, quam sciebat à DEO ex ratione justa sibi esse immissam, sed conturbavit eum multùm uxoris calumnia, quam sciebat ex passione injusta provenire: *Ab hæc uxor ejus irata respondit: Manifestè vana facta est spes tua, & elemosynæ tuæ modò apparuerunt. Atque his & aliis verbis exprobrabat ei.* Ecce genium mulierum. Sed quid ad istas calumnias Tobias cæcus, vilipensus & irrisus? *Tunc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis.* Vide hìc, subjun- Tob. 2. 22. Tob. 3. 1.

Eccles. 7. 8. git Cornelius, quàm verum sit illud Sapientis: *Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.*

Et quis sapientior, quàm Patris incarnata Sapientia, Unigenitus Dei Filius? Quis inter justos magis justus, quàm justus Dominus Deus noster? O quot, & quales, ac quantas debuit devorare calumnias ac contumelias in cruce pendens, ne dicam per omnem vitam suam? Unde illum appellarunt seductorem, Belzebub, & dæmonium habentem, potatorem vini, blasphemum & rebellem Cæsari; taceo reliqua. Hinc rectè S. Chrysostomus: *In patibulo pendentem omnes amaris impetunt verbis, quæ rebus ipsis mihi graviora videntur;* Erat enim tunc jam morti proximus, & circumdatus pelago dolorum, pendebat sicut canis abjectissimus & excoriatus in patibulario ligno, ubi omnes videntes debuissent moveri ad commiserationem, tunc novæ furiæ infernales cœperunt contra eum insanire, quibus & immortuus est, nobis fortissimum præbens exemplum, quomodo in calumniis nos gerere debeamus, proinde bene S. Isidorus: *Contra linguæ gladium patientiæ præbe scutum.*

S. Chrysost. hom. 88. in Matth.

S. Isidor lib. 2. Soliloq. cap. 7.

6. Hoc fecit B. Henricus Suso ex Ord. Præd. de quo Bollandus, quòd coram certo quodam crucifixo, juxta quem plura pendebant vota & anathemata, solitus fuerit suam Deo offerre orationem. Accidit, ut die unâ omnia ista pretiosa vota furto subreperentur, & tota culpa in Virum Dei conjiceretur. Quid fecit B. Suso, cùm de eo tumultuantes severam exquirerent sumendam pœnam? Accessit de novo ad crucifixum amorem suum: *Domine,* inquiebat, *si cruces ejusmodi mihi evenire permitteres, quæ me non dehonestarent, ferrem eas equidem patiens ac lubens, at qui eate permittente mihi accidunt, qui meam extinguunt famam, mihi acerbissima sunt.*

Bollandus 25. Jan Obiit hic Beatus Ulmæ anno 1365.

Apprehendit exinde cultellum & SS. Nomen JEsus cum cruce in pectore sibi insculpsit, ut paratior esset ad ferendas hominum calumnias; Et tu quid hic?

CON-

CONSIDERATIO LXIV.

Per crucifixum JEſum latro ſalvatus eſt, ne deſperes: ſed unus eſt, ne præſumas.

Domine memento mei. Luc. 23. 42.

1.

PRimus, qui inter enormes peccatores de gratia divina ac ſalute ſua deſperavit, Cain fratricida fuit, dum ad Deum dixit: *Major eſt iniquitas mea; quàm ut veniam merear.* Septuaginta legunt: *Majus delictum meum, quàm ut remittatur.* Sed erras ô miſer, quia in immenſum major eſt Dei clementia. Deſperavit & Achitophel, videns quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, & ne à Davide caperetur, ac quaſi proditor rebellisque ſuſpenderetur, ipſe ſibi laqueo gulam fregit. Deſperavit & Judas malè pœnitens: *Et projectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Non ſic bonus latro in cruce, non ſic: Non, inquam, deſperavit, ſed potiùs de novo, ubi Chriſtum crucifixum ut Dei Filium agnovit, in ejus cruentis meritis ſperavit, & quia de peccatis ſuis propter offenſam Dei ſummè boni, ſummè dilecti animitùs doluit, veniam ac regnum cœleſte impetravit. Plura hic occurrunt pro ſalute noſtra ponderanda.

Gen. 4. 3.

2. Reg. 17. 22.

Matth. 27. 5. Luc. 23. 42.

2. Cùm Iſaac Chriſti Domini figura, tanquam ſervus mercenarius duceretur ad immolandum, propriis humeris ligna holocauſti inter duos juvenes patris ſervos ad montem Moria (nunc Calvariæ) aſportavit: *Tulit quoque ligna holocauſti*, ut indicaretur Chriſtum pientiſſimum Redemptorem noſtrum bajulaturum ſibi crucem inter duos latrones, & inter eosdem cruci ſuffigendum: *Tunc crucifixi ſunt cùm eo duo latrones, unus à dextris & unus à ſiniſtris.* Ubi obſervandum, quòd non reſtibus aut funibus (prout ſæpiùs ſculptores ac pictores ſolent proponere) fuerint in cruce ſuſpenſi, ſed ferreis clavis trunco crucis affixi. Unde Sedulius Poëta Chriſtianus & antiquiſſimus:

Gen. 22. 6.

Matth. 27. 38.

Sedul. lib. 1.

Par eſt pœna trium, ſed diſpar cauſa duorum:
Hi mundo ſunt quippe rei pro crimine multo;
Huic reus eſt mundus, ſalvatus ſanguine juſto.

3. Quæres hìc ex quibus indiciis latro bonus (cui Dimas vel Dismas nomen) Christum & hunc crucifixum agnoverit esse Filium Dei & Dominum Regni cœlorum? Resp. S. Vincentius Ferrerius: *Videns latro qui pendebat in cruce à dextris, quòd Christus oravit pro crucifixoribus, & considerans Christi patientiam, habuit fidem de Christo, & contritionem de peccatis in corde &c.* Unde & alterum suum commilitonem, qui Christum blasphemaverat, corripuit: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es, & nos quidem justè, non digna factis recipimus; hic verò nihil mali fecit.*

S. Vincent. Ferr. serm. de Parasc.

Aliam rationem assignat S. Hieronymus, quòd ex signis ac insolitis visis portentis fuerit conversus: *Sole*, inquit, *fugiente, terrâ commotâ, saxisque disruptis, & ingruentibus tenebris, unus credidit in* JEsum, *& priorem negationem sequenti confessione emendavit.*

S. Hieron. in Matth.

Prædictus S. Vincentius Ferr. etiam hanc assignat causam, quòd latro ille bonus per umbram Christi crucifixi fuerit conversus, tunc videlicet, quando sole gyrante umbra crucis Christi eum contigit; Sic enim umbra S. Petri Ap. sanabat infirmos. Addunt alii, B. Virginem stetisse mediam inter crucifixum Filium & hunc latronem, atque illi hanc gratiam impetrasse.

S. Vinc. Ferr serm de bono latrone.

Quidquid sit hac de re, primarius tamen impulsus cognitionis divinitatis Christi in hoc bono latrone fuit gratia & illuminatio Spiritûs Sancti: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Ecce traxit eum Pater, quia dilectissimus Filius pro illo orans in cruce exauditus est pro sua reverentia; unde Apostolus ad Romanos: *Miserebor cui misereor, & misericordiam præstabo cujus misereor. Igitur non volentis est Dei.* Adverte bene: Peccare quidem potes, sed ex te non poteris resurgere: *Miserentis est Dei.*

Joan. 6. 44.

Rom. 9. 16.

4. Venit quidem ille latro bonus in vineam Domini horâ primùm undecimâ ad laborandum, recepit tamen mercedem suam: *Hodie mecum eris in paradiso*, sed hæc summa gratia fuit, quæ non est trahenda in consequentiam. Duo erant ad latus Christi, unus conversus est, quis non speret? Unus damnatus est, quis non timeat, etiamsi sit apud JEsum?

Luc. 23. 43.

Omnes quidem currunt, ait Apostolus, *sed unus accipit bravium, sic currite, ut comprehendatis.* Christus Crucifixus positus est in signum, ad quod in hac vita mortali curramus necesse est, quia extra illum nulla nobis speranda salus. Væ illi, qui ab hoc signo declinat, aut aberrat: *Sic currite, ut comprehendatis.* Antesignanus nobis factus est bonus ille latro, qui primus ad hanc felicissimam appropinquavit metam, & bravium lucratus est: *Hodie mecum eris in paradiso.* O grandis felicitas! Erige te, anime mi, si secutus es errantem, sequere & pœnitentem, dum adhuc

1. Cor. 9. 24.

Luc. 23. 43.

tempus

tempus est, quia venit nox, in qua non poteris ampliùs operari.

5. Sanctus ille Senex Simeon, qui gratiam habuit Christum infantem in ulnas suas suscipiendi, cujus ætas tunc erat, ut refert Del Rio, centum & trium annorum, Christo non sine piis lacrymis vaticinatus est: *Positus est hic in signum, cui contradicetur*, hoc est in monte Golgatha, ubi omnes inimici Christo infami ligno suspenso contradicebant, & Pater ipse exactam à Filio suo propter peccata nostra requirebat justitiam ac satisfactionem: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Ad hoc signum non pervenerunt Apostoli, quia relicto eo omnes fugerunt, excepto S. Joanne; hic autem Latro Apostolorum supplevit defectus, & in cruce ferenda constantissimè usque ad finem permansit, hinc ab ore Veritatis ei promissum fuit & quidem cum juramento: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* Supra quod egregiè devotissimus Didacus Stella ad nostram doctrinam moralem: *Adverte*, inquit, *quòd non promittit regnum; nisi existens in cruce, quia qui non compatitur, non conregnabit: Hodie mecum eris in paradiso; quàm plurimi volunt esse cum Christo in paradiso, sed renuunt esse in cruce cum illo.* Fortasse & tu talis es, ô mi Lector?

Luc. 2. 34. Isa. 53. 8. Didac Stella in Luc.

6. Adam protoparens noster non erubuit se excusare, quòd mandatum Dei violasset, culpam dejiciens in Evam, & Eva in serpentem: *Serpens decepit me, & comedi.* Sic dæmon porrexit illis pomum, & subripuit paradisum, ait Doctor Mellifluus; quod peccatum & nos miseri filii Evæ ac posteri à protoplastis nostris hausimus; excusamus nos, & utinam non sæpiùs etiam in foro interno, culpam rejicientes in dæmonem, carnem rebellem, amicos, malos socios &c.

Gen. 3. 12.

Non sic bonus latro, non sic, dum publicè suam culpam confessus est: *Nos digna factis recipimus; hic verò nihil malifecit.* En habes hìc confitentem reum. Petrus Apostolorum Princeps ad unius mulieris vocem contremuit, & Christum negavit. Cæteri discipuli, quasi oves errantes sine pastore, dispersi, spe & fide destituti sunt; amici Christi de longè steterunt; hic verò latro ex nemorum latibulis adveniens amicis fidelior, & discipulis constantior inventus est. O magna fides tua, ô mi Disma! qualem Dominus non invenit in Israël. Credidit Abraham DEO, sed loquenti de cœlo; Credidit Moyses sed DEO loquenti de rubo & nube; Credidit & Isaias, sed DEO super thronum excelsum sedenti: Credit & Latro, sed homini miserrimo, toto corpore saucio, pendenti in patibulario ligno ignominiosissimo, quem tamen ut Dei Filium agnovit, adoravit, defendit, & illius innocentiam publicè contestatus est. Verè talem fidem non invenit JEsus in Israël.

Luc. 23. 42.

7. Christo agonizanti in horto Gethsemani Pater in solatium S. Angelum Michaëlem submisit, qui confortaret eum, in cruce inter summos pendenti dolores nullum submisit, qui morientem consolaretur Filium. Et quare hoc? Resp. S. Chrysostomus: *In horto*, inquit, *Christus confortatus fuit ab Angelo, & in cruce à latrone pœnitente*, cujus pœnitentia magis morienti Redemptori nostro placuit, quàm si Pater plures Angelorum exercitus sibi submisisset ad consolandum. Proinde perelegante & optimè devotissimus Taulerus: *Novum hunc fructum*, ait, *& primum botrum, quem Dominus JEsus ex infœcundo solo nostro, multo sudore, multáque pretiosi sanguinis sui irrigatione in ligno crucis suæ obtinuit, cœlesti Patri suo, ceu pretiosum munus ingenti cum gaudio per Legatos Angelos misit. Quod si gaudium est Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente, quæ illic lætitia de hujus est Latronis concepta salute, quam jam propè desperaverant? quanto putamus cum gaudio Pater cœlestis primitias has frugum Passionis Filii sui suscepit?* O peccatores omnes, quare in peccatis vestris mori vultis? Ecce ærarium in cruce apertum est, in quo omnes thesauri sunt absconditi; ite cum Bono hoc latrone in animo contrito ac humiliato ad crucifixum JEsum, & invenietis requiem animabus vestris.

S. Chrysost. ser. de Bono latrone.

Taulerus cap. 43.

CONSIDERATIO LXV.

Christus in cruce pendens peccatores recipit, sed in judicio rejicit. Attende hic Lector prudens.

Quia hic peccatores recipit. Luc. 15. 2.

1.

ELiseus Propheta per vile lignum ferrum durissimum in aqua Jordanis mersum enatare fecit, & ad se mirabiliter attraxit: *Præcidit ergo lignum, & misit illuc: natavitque ferrum.* Christus Dominus plusquàm Eliseus per lignum crucis ad se ferrea peccatorum pectora attraxit, & etiamnùm attrahit, unde dixit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Audiamus hìc S. Augu-

4. Reg. 6. 6.

Joan. 12. 32.

Auguſtinum: *Veniens Eliſeus*, inquit, *miſit lignum, & natavit ferrum. Quid eſt lignum mittere, & ferrum in medium producere, niſi patibulum crucis aſcendere, & de profundo inferni humanum genus erigere, ac de omnium peccatorum limo per crucis myſterium liberare?* O peccatores omnem erigite vos in ſpem, in cruce JEſus peccatores recipit, ſed ſi renuitis ad eum venire, in judicio rejicit. Eligite, dum tempus affulget gratiarum. S. Auguſt. ſer. 20. de Temp.

2. Errat una Paſtoris ovicula, ſed totus grex unâ hâc charior non erat, proinde tam ſedulò conquiritur, & inventa humeris boni illius Paſtoris imponitur. *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* Quid pientiſſimus Redemptor noſter per hoſce humeros inſinuaverit, Gloſſa pereleganter exponit, *Humeri Chriſti crucis brachia ſunt*, qui ſemper ſunt parati ad animam noſtram, perditam illam oviculam, ſublevandam, & ad cœleſte ovile deportandam; hinc rectè S. Bernhardinus: *Configitur*, inquit, *Chriſtus duris clavis, ut inſeparabiles humeri ejus ſint ab inventa ove.* O charitatem immenſam! Luc. 15. 5. S. Bernhard. de dignit. animæ a. 3. c. 1.

3. Hanc veritatem optimè agnovit Vates Regius, unde ad Deum orare ſolebat: *Erravi ſicut ovis quæ periit.* Ovis errans, ſi non à Paſtore reducitur, perditur, fitque præda luporum, & ſi non balatu ſuo ſe manifeſtat, ac paſtoris auxilium invocat, actum eſt de illa; hinc rursùs David: *Quære ſervum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.* En anima peccatrix! formam hìc habes, quomodò ad crucifixum Paſtorem tuum in omni neceſſitate, ac præſertim mentis anxietate debeas confugere; clama, & invoca illius opem, & non te deſeret: *Ovis illa*, ait S. Ambroſius, *quæ perierat in Adam, levatur in Chriſto: Humeri Chriſti Crucis brachia ſunt: illic peccata mea depoſui, in illa patibuli nobili cervice requievi.* Si autem non vis venire, perditio tua ex te, ô Iſraël! *Nunc recipit, tunc rejicit.* Pſ. 118. 176. S. Ambroſ. in Luc. 15. 5.

4. Rectè Iſaias Propheta de Chriſto Domino in cruce exaltando vaticinatus eſt: *Expectat Dominus, ut miſereatur veſtri, & ideò exaltabitur parcens vobis;* Expectat, inquam, te, ô peccator! ferreis in fatali ligno affixus clavis, ut ſuam tibi exhibeat miſericordiam, ac delictorum veniam, quia libentiùs vult ignoſcere, quàm punire; & tu, heu miſer; adhuc moras trahis ad amplexus tui venire crucifixi Amoris? Audi, & conſidera verba S. Bernhardini: *Clamat, dicens, ô anima mea dilecta, brachiis in cruce expanſis benigniſſimè te expecto, ulciſci diſſimulo, à multis pericu lis libero; revertere, cùm gaudenter ſe ſuſcipio, omnem offenſam remitto, gratiam li beraliter tibi dono, & datam multiplico, multiplicatam conſervabo, conſervatámque in æternum remunerabor.* Et quis obſecro, non veniat ad talem Dominum, qui in charitate perpetua dilexit nos, cujus miſericordiæ fons non ſiccatur, niſi tu priùs fueris exſiccatus? Iſa. 30. 18. S. Bernhard. to. 2. de Orig. verit. ſerm. 1. a. 3. c. 2.

5. Ve-

5. Venit filius degener & prodigus, nunc animitùs de suis pœnitens peccatis, à porcorum siliquis ad amantissimum Patrem suum, nudus ac lacer, & vix præ fame ossibus hærens; & quid Pater? Sacer textus habet: *Cùm adhuc longè esset, vidit illum Pater ipsius, & misericordiâ motus est & accurrens cecidit super collum ejus & osculatus est eum.* Anime mi! Pater, ac Redemptor tuus Christus est: *Amodò voca eum; Pater meus es tu,* quia ipse creavit, ac redemit te; cur ergo non dicis pariter cum illo prodigo ad se reverso: *Surgam, & ibo ad Patrem meum?* Cur non ingenuè confiteris: *Pater, peccavi in cœlum & coram te?* Noli timere, non exprobrabit tibi licet filio degeneri malos tuos mores, quia cor contritum & humiliatum diligit, sed occurret tibi in cruce expansis brachiis ac manibus, & amplexabitur te, præbens paternum inclinato capite pacis osculum. Subintrat hìc S. Chrysologus: *Non dixit: Unde venis? quid fecisti? Ubi sunt quæ tulisti? quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutasti? Sed citò proferte stolam primam, & induite illum; Videtis quia delicta non videt vis amoris?* O verè vis amoris! quia tam pater nemo, tam pius nemo, quàm JEsus Christus, & hic crucifixus.

Luc. 15. 20.

Jer. 3. 4.

S. Chrysol. serm. 3.

6. Et quis, obsecro, non obstupescat, si attentiore mente expendat, quòd Dominus JEsus in infami exaltatus ligno non Angelos, sed meros peccatores, lictores, latrones, milites & infimæ fæcis homines voluerit habere præsentes, & assistentes? In monte Olivario in cruenta illa agonia *apparuit illi Angelus de cœlo, confortans eum,* in cruce nullus se illi spectabilem reddidit; amarè quidem flebant omnes Angeli pacis, sed nullus venit ad confortandum & consolandum eum, & quæ causa?

Luc. 22. 43.

Resp. Eusebius Emissenus, quòd bonus latro *gloriosâ voce præsentes temperavit dolores,* cæterique adstantes peccatores, in morte Christi conversi, de quibus S. Lucas: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua revertebantur.* Hoc morienti Domino summo erat solatio conversio tot peccatorum, & ideò in cruce à peccatoribus circumdari voluit, & ideò spectaculum factus est Deo, Angelis & hominibus, & nunquid & tibi, ô mi Lector?

Euseb. Emiss. hom. de bono latrone. Luc. 23. 48.

7. Cæterùm in lege civili sancitum est, ut in atrocissimis & jam notis delictis reo in tribunali non permittatur Advocatus, neque recursus ad appellationem. Non sic in lege gratiæ, non sic; & licèt innumera sint nostra delicta, morte & inferno digna, habemus tamen apud Patrem potentissimum advocatum, Christum JEsum & hunc crucifixum; unde S. Joannes: *Filioli: hæc scribo vobis, ut non peccetis: sed si quis peccaverit advocatum habemus apud Patrem JEsum Christum justum,* & ne aliquam possis habere in illo diffidentiam, mox addidit: *Ipse est propitiatio*

1. Joan. 2. 1.

pro

pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed & totius mundi, ideò enim crucifixus est, ut peccata nostra destrueret, atque deleret.

8. Ad exempla transeamus. Refert Alegambe ex Societ. JESU de quodam venerabili Patre ex eadem sacra Societate, quòd per omnem vitæ cursum passioni Christi ac præsertim ejus in cruce agoni fuerit addictissimus, unde ferventissimis quotidie desideriis ab hoc crucifixo Amore suo flagitabat, ne in mortis articulo ab eo desereretur. Et ecce ingens prodigium, cùm nunc suprema imineret hora, quâ ex hac mortali vita migraret ad meliorem, imaginem crucifixi Domini sui arctissimè complexus est, illud Davidicum fracta jam voce identidem ingeminans: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Interim observabant circumstantes, quòd ligneum Christi corpus paulatim de cruce se solveret, clavi à manibus ac pedibus sese enodarent, & crucifixus Dominus os ad os, & cor ad cor ejus applicaret, in cujus sacratissimo osculo & amplexu beatam expiravit animam. O felix mors! ô optabilis sors, sic posse aliquando mori. Ecce in cruce nos recipit, sed & rejicit, quod ex sequenti patet exemplo. Alegambe in Bibliotheca.

9. Recenset Philippus Chiselius de quodam Juvene vitam pluribus contaminatam sceleribus agente. Tandem completâ peccatorum mensurâ in fatalem morbum incidit, in quo neque ad pœnitentiam, neque ad confessionem Sacramentalem piorum precibus, neq; ipso Crucifixi aspectu poterat commoveri. Et quid tandem factum est? Ipse crucifixus Dominus in imagine sua horrendam contra eum æternæ damnationis fulminavit sententiam, dum dexterâ, â stipite crucis resolutâ, ex laterali Vulnere extractas aliquot divini cruoris guttas in faciem morientis conjecit, ingeminatâ hâc voce terrificâ: *Sanguis meus sit tibi in perditionem? Sit tibi nota in omnem æternitatem, quòd illi fueris ingratus;* ad quod fulmen miserrimus infelicem animam in Orcum evomuit. Ecce in cruce recipit & rejicit. Tunc in morte impœnitentibus *veneranda Domini Vulnera æterna erunt incendia* piis verò perpetui amoris testimonia, & sors beata, de qua vates Jessæus: *DEus meus es tu, & in manibus tuis sortes meæ*, hoc est: in manibus vulneratis, & in cruce perforatis erit sors nostra in æternum. Utinam & mea! Philipp. Chisel. p. 1. Dom. 2. Advent. S. Rup. l. 4. in Joan. Psal. 30. 16.

CONSIDERATIO LXVI.

Christus in cruce pendens suam demonstrat misericordiam & justitiam.

Misericors Dominus & justus, & DEus noster miseretur. Psal. 114. 5.

1.

Psal 104. 14.

JOseph Jacobi Patriarchæ filius, ubi innocens in Ægypto in lacum missus est, ferreisque adstrictus vinculis diu crudele martyrium tulit (prout observat David: *In servum venundatus est Joseph: humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus*) Tandem in ipso adhuc carcere constitutus Judicis officio functus est, dum medius inter duos concaptivos suos uni, pincernæ vi-

Gen 40. 13.

delicet, vitam, & alteri magistro pistorum perniciem & mortem annuntiavit: *Recordabitur Pharao ministerii tui, & restituet te in gradum pristinum;* Et ad alterum: *Auferet Pharao caput tuum, & suspendet te in cruce.*

A typo ad prototypon veniamus. Joseph in pluribus Christum præsignavit, ac præsertim in infami crucis ligno in medio pendens latronum, ubi uni vitam & æternam salutem prædixit: *Hodie mecum eris in paradiso*, alterum verò velutreprobum morti æternæ & carceri tar-

S Aug ep. 48. & in tract. 31. in Joan.

tareo mancipatum reliquit: *Tres cruces*, subintrat hìc S. Augustinus: *in uno loco erant, in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus.* Et iterum in alio loco sic ait: *ipsa crux, si attendas, tribunal fuit, in medio enim judice constituto, unus latro, qui credidit, liberatus, alter, qui insultavit, damnatus est.*

2. Ecce hìc verificatum fuit illud, quod ipse Dominus ante cru-

Matth. 24 40.

cifixionem suam palam edixit: *Duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur.* Duo erant in agro Golgotheo, ambo morte & gehennâ digni, unus assumptus est à crucifixo Domino, gratiâ nimirum ejus præveniente, concomitante & consequente, per quam ad veram contritionem ac pœnitentiam dispositus est, sed alter scelerum socius æternùm rejectus est, quia ipse noluit salvari.

Obse-

Observa hìc: Misericors quidem est Dominus, & dupliciter misericors, ita Vates Regius, *Misericors & miserator*, & quid sequitur? *Et justus.* O quot gratias tibi promeruit & obtulit crucifixus JEsus & tu adhuc stas immotus? Audi S. Hieronymum. *Erige aures peccator: Misericors est Dominus: sed noli esse negligens, sequitur enim, & justus.* Pſal. 111. 4. S. Hieron. in Pſal. 114.

3. Moysen attende. Cùm pugnaret Josue contra Amalec, ipse manus & simul virgam erigebat ad DEum in cœlum: *Dixitque Moyses ad Josue: Elige viros: Et egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea.* Exod 17 9.

Moyses hìc Christum crucifixum præsignavit in monte Calvario ad Patrem expansis manibus pro salute nostra orantem. Sed observa: virgam suam pientissimus Redemptor, hoc est crucem, semper in manu sua habuit, virga autem est justitiæ Dei symbolum, impietatis ultrix & vindex. Væ tibi, si hìc non attendis, & solùm speras misericordiam, contemptâ divinâ justitiâ, utraque enim ad salutem est tibi necessaria: *In tempore utrumque*, erat symbolum Maximiliani II. Imp. qui pro suo scuto aquilam habuit, uno rostro palmam, & altero fulmen gestantem cum hoc acroamate: *Utrumque in tempore.* Ita Christus in cruce. Si sapis, capis.

4. De Ezechiele Propheta recensent Sacræ Paginæ, quòd aliquando viderit Cherubinum, qui duas præseferebat facies, unam hominis, alteram leonis: *Similitudo autem vultûs eorum: facies hominis, & facies leonis.* Ezech. 1. 10.

Cherubinus hic volans Christum JEsum & hunc crucifixum adumbravit, qui hìc in terra inter mortales & peccatores conversatus pari modo duas induit facies, unam hominis, alteram leonis: Hominis, inquam, faciem indutus est, dum carnem humanam à Virgine assumpsit, quam pro nostra omniúmque salute tradidit in ara crucis immolandam, ubi *cùm maledicerétur, non maledicebat: cùm paterétur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè: qui peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui justitiæ vivamus, cujus livore sanati estis.* 1. Petr. 2. 23. Sed & faciem leonis obstinato latroni in cruce, & impiis Judæis interfectoribus suis ostendit, dum eos è templo flagello ejecit, unico verbo & intuitu in monte olivario in terram prostravit, & in cruce pendens omnino faciem suam ab illis ad Occidentem avertit, indignos judicans, quibus ampliùs Sol justitiæ præluceret, unde de illo Jeremias: *Dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum.* Væ tibi peccator, si crucifixus JEsus tibi aliquando in mortis tuæ articulo talem demonstrabit faciem! tunc tanquam *Leo rugiet, & quis non timebit?* Jerem. 18. 17. Amos 3. 8.

S. August. tract. 36. in Joan.

5. De Aquila observat S. Augustinus, quòd proles suas in facie ardentis & altissimi solis severè probare, & unguibus suspendere soleat: Si lucidissimos solis radios fixo & irretorto possunt aspicere oculo, ut proles suas legitimas agnoscit, si verò parùm acie palpitaverint, tanquam fœtum adulterinum ab unguibus demittit, rejicit, & in abyssum præcipitat, unde rectè pro lemmate illi inscribes: *Probat, & reprobat.*

Aquila hæc Christum in cruce elevatum adumbrat; Sic enim

Deut. 32. 11. comparatur à Moyse: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portavit in humeris suis &c* Verùm hic observes, rogo anime mi; quòd hæc aquila divina & misericordiam & justitiam etiam in tribunali crucis exercere soleat, ubi in veritate sicut aquila provocans alas & brachia sua extendit, & supernos volitat, imò & in humeris suis portat; sed væ nobis, si post tot ac tanta beneficia filii adulterini & ingrati pulli inveniamur, tunc jure merito illud nobis poterit objicere:

Osee 13. 9. *Perditio tua Israel; tantùmodò in me auxilium tuum.*

6. Nec desunt exempla, quibus hanc magìs dilucidamus veritatem. In Hispania magnus quidam Dominus sanguine nobilissimus, sed flagitiis plurimùm infamis gravi morbo de vita periclitari cœpit. Venerat tunc fortè in illam civitatem S. Franciscus Borgias è Gandiæ Duce Societatis JEsu Generalis Tertius, vir Apostolicus & animarum salutis sitientissimus, qui audito hoc sumo moribundi periculo in conclave suum secessit, & ibidem ante crucifixi simulacrum in genua provolutus, hunc desperabundum divinæ Bonitati, quatenus congruam illi pœnitendi gratiam elargiri dignaretur, summis votis commendavit. Hæc dum fiunt, ecce tibi ingens prodigium! Servator, qui in cruce pendebat, subitò loqui, & in hæc verba solvi cœpit: *Adi Franciscæ confestim ægrum, eúmque hortare ad pœnitentiam & confessionem peccatorum, & ego illi ut medicus & infirmorum curator adero;* qua voce animatus Borgias, ad moribundum sine mora contendit, quem & mundi Salvator in specie Medici invisit, qui ad lectulum considens cum S. Borgia blando sermone illum ad pœnitentiam & salutarem peccatorum confessionem adhortabatur. Verùm uterque oleum & operam perdidit, dum infirmus omne consilium & salutaria monita contumaciter rejecit atque contempsit. Interim cœlestis Medicus parat abitum, & paulò post Franciscus impensiùs hujus peccatoris æternam considerans ruinam, rursus in suo conclavi coram eâdem thaumaturga Crucifixi statuâ in genua prostratus, per acerbissimam passionem ac SS. Vulnera pientissimum obtestatur Redemptorem, ut infinitum profusi cruoris sui pretium in hoc miserrimo peccatore non in æternum

P. Guilielmus de Wael S. J. in Corona SS. Vulnerum.

num sinat perire; ad quem Dominus: *Conveni iterum pertinacem illum Franciſce, méque JEſum defer, ſi fortè me conſpecto cruci pro ſe fixo, convertatur & vivat.* Franciſcus de novo voce divinâ animatus rurſus ægrotantem accedit, ſecúmque lamentabilem illam crucifixi JEſu imaginem defert, quam infirmo ſubmiſſis in terram genibus conſiderandam exhibet, & per ejus SS. Vulnera, paſſionem ac mortem rogat & obſecrat, ut tandem in ſe rediret, æternitatem nunquam terminandam perpenderet, & dignos, antequam ſuprema vitæ immineret hora, pœnitentiæ fructus faceret. Quid hìc expectas optime Lector? An non Marpeſia ad talia verba colliqueſceret cautes? En iterum novum prodigium! Cùm ad hæc omnia obſurdeſceret miſer ille Hiſpaniæ Grandis, vultúmque obſtinatè à Crucifixo ad parietem averteret; tum ecce miſericordiſſimus, ſed & hìc juſtiſſimus Salvator manum dexteram è cruce revellit, & ſacroſanctum cruorem è laterali vulnere collectum in faciem hujus obſtinatiſſimi peccatoris in teſtimonium æternæ illius damnationis projicit, ad quod miſer ſine mora execrandum in manus infernalium dæmoniorum evomuit ſpiritum.

Nunc amice Lector, pro reflexione morali unà mecum perpende ineffabilem Crucifixi Servatoris noſtri miſericordiam & ſimul juſtitiam, quam etiam in cruce, tanquam in ſigno, cui contradicetur, poſitus, in ruinam & reſurrectionem multorum exhibere aſſolet. Nunc penès nos eſt, an illius miſericordiam, an exactam in morte juſtitiam velimus experiri. Væ nobis, ſi pertinaces in peccatis noſtris usque in finem perſeveraverimus, tunc, prout loquitur Rupertus Abbas, *SS ac veneranda Domini Vulnera æterna nobis ſunt futura incendia.* Hæc conſidera, & vade in pace.

CONSIDERATIO LXVII.

Christus in cruce liberalissimus docet nos, quomodo debeamus subvenire pauperibus.

Abiit, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Matth. 13. 46.

1.

NEgotiator ille Evangelicus pro una pretiosa comparanda margarita dedit omnia quæ habuit, & emit eam: Negotiator ille Christus est, margarita anima cujusque hominis, pro hac enim in passione & cruce dedit omnia quæ habuit, non primam, sed ultimam sanguinis guttam, ut tam immenso divini sanguinis sui pretio eam sibi compararet.

Hoc prævidit Sponsa illa dilecta, dum de hoc suo Sanguinum Sponso dixit: *Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis.* Subintrat hic Philo Carpath. *Tunc tornatiles factæ sunt Christi manus, quando is illas extendit in cruce, quando eæ clavis perforatæ sunt.* Hic dedit omnia quæ habuit: Patri commendavit animam, Matri corpus, Joanni Matrem, militibus vestes, latroni regnum, Veronicæ sudarium, clavos Nicodemo, linteum & femoralia Josepho Arimathæo, sanguinem peccatoribus, crucem Ecclesiæ in millenas partes & segmenta, pro solatio fidelium dividendam. O amor immensus! Quis unquam audivit tale, aut huic vidit simile? O abyssus infinitæ charitatis!

Cant. 5. 14.

2. Petra à Moyse in deserto percussa non sibi sed aliis abundantes dedit aquas: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ* Christus, petra, in cruce percussus ferreis clavis & crudeli lanceâ, omnibus sitientibus, prout ait Venerabilis Beda, gratiarum lavacrum effudit.

Num 20. 11. Ps 77 24. Beda in Exod 17.

Botrus ille grandis ex ligno pendens non sibi sed aliis dulce phalernum subministravit: Christus crucifixus omnem suum sanguinem; unde rectè S. Gregorius Nissenus: *Cujus sanguis*, inquit, *potus factus est credentibus salutaris.*

Num. 13. 24. S. Greg. Nyss. l. de vita Moysis.

Vates

Vates Regius, qui non obscurè omnem Christi passionem prævidit, de Christo crucifixo vaticinatus est: *Aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Supra quod S. Chrysostomus. Per manuum apertionem Christi in cruce extensionem intelligere convenit, per quam omnia impleta sunt bonitate, hoc est, humanitate ac misericordiâ, siquidem omne peccati genus crucis beneficiô condonatum est. Psal. 103. 29. S. Chryl. hic.

3. Sed cur talis ac tanta liberalitas crucifixi JEsu? Nimirum voluit & nos animare, ac præire exemplo, quomodo pro omni possibili modo desolatis ac pauperibus debeamus succurrere; unde dixit, & dicet adhuc aliquando in extremo judicio coram universo orbe: *Amen dico vobis quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*; unde ad S. Martinum dixit: *Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit.* Matth. 25. 4.

Erat quondam Christo Domino in Synagoga die Sabbati præsentatus homo, manum habens aridam, ad quem pientissimus Salvator: *Extende manum tuam*; extendit illam, & sine mora restituta est sanitati, sicut altera: Supra quod pereleganter Venerabilis Beda: *Adam*, inquit, *carpens pomum vetitum manum humani generis arefecit; id est, potentiam, operationémque hominis fœcunditate boni operis privavit. At Christus eam restituit, extendens manus suas in cruce.* Adam per extensionem manuum suarum humanum genus perdidit, Christus in cruce salvavit, ut unde mors, inde vita resurgeret. Subintrat hìc S. Bonaventura, quòd per illum hominem manum aridam & contractam habentem rectè præfiguretur ille, qui manum suam pauperibus extendere recusat; hinc in sacro Evangelio illud recensetur miraculum, ut & nos manus nostras ob amorem Christi crucifixi ad pauperem extendamus juxta illud: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suos extendit ad pauperem.* Matth. 12. 13. Prov. 31. 20.

4. Nota est illa Evangelica parabola, seu potiùs vera historia de viatore Jeruchuntino, qui descendens ab Hierusalem in Jericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum pecuniis, vestibus & rebus, quas habebat, omnibus, plagísque impositis abierunt semivivo relicto. Quæres hìc, quinam fuerint illi truculenti latrones, qui infelicem illum hominem tam crudelem tractarunt in modum? Luc 10. 30.

Resp. Hugo Cardinalis, in sensu mystico hunc exponens scripturæ locum: *Incidit in latrones, divites scilicet, quia divites pauperes spoliant, & opprimunt. Unde Ecclesiastici c. 13. dicitur: Venatio leonis onagar in eremo sic pascuæ divitum.* O bone JEsu! Tu per omnem vitam pauper fuisti: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea*; incidisti tamen in latrones, hoc est divites, qui despoliaverunt te, & crucifixerunt te, de quibus Vates Jessæus: *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.* Sic etiamnum fit tuis pauperculis. Hugo Card. in Luc. 10. Psal. 87. 16. Psal. 21. 12.

§. Ab-

5. Absolonis capilli, antequam in quercu suspenderetur, semel per anni cursum tondebantur, & ad pondus publicum vendebantur:
2. Reg. 14. 26. *Ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico* Fuit autem hæc coma Absolonis flava, densa ac rutilans, & ideò ab illustrioribus fœminis ad capillaturam sibi ex ea faciendam certatim expetita, & coëmpta.

Hugo Card. in Luc 7. Hugo Cardinalis per prædictos capillos superflua divitum bona intelligit: Ad pondus publicum, inquit, semel in anno capillos suos vendunt, qui frumentum, vinum & alia bona sua servant, ut cariùs vendant, nec pauperibus erogant, sicut usurarii. Tales procul dubio capillis propriis suspenduntur ad patibulum infernale. Hæc Hugo Cardinalis: S. Bonavent. serm 5. dom. 2. Qradrag. *Quidam divites*, ait S. Bonaventura, *plus dant canibus quàm pauperibus.* Mitto cætera, ne sim lapis offensionis.

6. Zachæus homo pusillus, sed dives, quærebat videre JEsum, ut de facie illum cognosceret, de cujus virtutum & prodigiorum fama tam multa audierat; in quem finem ascendit in arborem Sycomorum (crucis typum) ut videret JEsum, quia inde inter copiosam hominum turbam erat pertransiturus. Et quid accidit? Suspiciens JEsus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens, eùmque lauto excepit convivio; imò etiam in domo ista hospitari dignatus est, ut hunc Publicanorum principem cum universa domo sua ad meliorem frugem reduceret. Quæres hìc Lector prudens! quales cibos Zachæus in illo convivio Christo ac discipulis ejus apposuerit, in quibus adeò jucundatus est Dominus? Fortasse sicuti Apostoli ei de itinere fatigato ad fontem Sichar, ubi Photinam mulierem Samaritanam converterat, apponebant:
Jo. 4. 31. *Rogabant eum discipuli: Rabbi manduca*, ad quos benignus Dominus: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus?* Similem, inquam, cibum apposuit ei Zachæus nunc conversus, de quo de Castillo ait, quòd in illo convivio optimus ac sapidissimus Christo cibus fuerit, dum Zachæus ad eum dixit:
Didacus de Castillo Illat. 172. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus: Hæ gratissimæ epulæ Christi erant.*

Collige ex hoc pro reflexione morali; si vis in carne pascere Christum, non est tibi ablata occasio, pasce pauperem; si illius in cruce levare sitim, da potum pauperibus; si vestire Christum in
Matth. 25. 4. cruce nudum, da pannum pauperibus, & sic de cæteris, *quod enim feciſti uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Prov. 21. 13. 7. Rectè Sapiens: *Qui obturat aurem suam, ne audiat pauperem, & ipse clamabit, & non exaudietur.* Exemplum memorabile hac de re recensèt Duege-

Duegenius Hispanus in Speculo tristium cap. 1. de viro divite, cæteroquin bono & modesto, sed pauperum osore, quorum rogantium clamorem ne deberet audire, in remotiore ædium suarum conclavi solebat habitare. Illuxit tandem suprema dies, & cadaver amplo funere in templum infertur. Interim ad Sacrum se parat Sacerdos, & dum illud solenne decantat: *Dominus vobiscum*, toties imago crucifixi Domini in ara exposita luculentò prodigiò visa est manus suas clavis eximere, & utramque obturare aurem, velut indignaretur preces pro defuncto oblatas excipere. Cùm verò Psalmus de profundis recitaretur, ad illa Sacerdotis verba: *Fiant aures tuæ intendentes*, formidabilis vox ab eodem crucifixo emanavit: *Non exaudivit, non exaudiam.* Ecce quàm verum sit illud Jacobi: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Audite hoc divites omnes, avari & rerum tenaces, qui ob amorem crucifixi JEsu nullam pauperum curam habetis; audite, inquam, Judicem vestrum tonantem: *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus.* Econtra *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Proinde *facite vobis amicos.*

Jacob. 2. 13.

Psalm. 11. 6.

Psalm. 40. 2.

Luc. 16. 9.

CONSIDERATIO LXVIII.

Milites inter se vestimenta Christi partiuntur, & de iisdem sortes mittunt. Argumentum pro lusoribus.

Non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cujus sit.
Joan. 19. 24.

1.

SAra matrona pientissima non poterat tolerare, quòd Ismaël filius Agar Ægyptiæ cum Isaac filio suo luderet, unde instanter petiit, ut Abraham ancillam hanc, & filium ejus è domo expelleret: *Ejice ancillam hanc & filium ejus.* Quod & ipse Deus per expressum mandatum ratificavit: *Durè accepit hoc Abraham pro filio suo, cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Isaac vocabitur tibi semen.*

Gen. 21. 9.

semen. Ecce ludus & lusus jam tunc temporum intervallo piis mentibus fuerunt offendiculo, dum propter lusum Ismaël à paterna domo ejectus est.

Ubi in deserto ab Israëlitis in absentia Moysis ab Aarone vitulus aureus erectus est, ut à populo adoraretur, mox observat Scriptura: Et
Exod 32. 6. *sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Ecce pro vitulo, & cum vitulo vitulati sunt Israëlitæ. Observa: dæmon in hoc vitulo aureo per lusores honorari, ac venerari voluit. Erectus est Christus Dominus in cruce, & quidem à militibus lusoribus; & quid fecerunt?
Matth 27. 25. *Postquàm autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes.* Videamus plura de isto ludo & lusoribus Christi crucifixoribus.

2. Vates Regius, divino illustratus spiritu, multis antè sæculis Christi prævidit passionem, unde eam psalmo vigesimo primo emphaticè aureo suo calamo expressit, ubi inter alia etiam annotavit: *Divise-*
Psal. 21. 19. *runt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Nota, Lector prudens, rem post mille annos, & quod amplius futuram, tanquam præteritam ob infallibilem eventûs certitudinem enuntiavit; voluit enim pro nobis Christus pati tam indigna, ut nihil in ipso esset, quod non cederet illi in opprobrium & tormentum. Collige hìc sensum dolorosissimæ Virginis & Matris Dei juxta crucem filii sui stantis, & suismet intuentis oculis, quomodo tunica illa & amictus, quem illa propriis confecerat manibus, tam indignè à canibus tractaretur: *Ah hæccine*, pensabat in animo suo non sine uberrimis lacrymis; *est tunica Filii*
Gen 37. 33. *mei*, nunc video adimpletum illud: *Fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.*

Euthym. in c 27. Matth. 3. Fuerunt autem tres Christi vestes. *Prima*: Tunica interior & inconsutilis, loco camisiæ, corpori in modum subuculæ adhærens, & applicata, atque à B. Virgine Matre acu ex lana contexta, quæ cum Christo crescente crescebat, uti quondam in deserto per 40. annos creverunt vestes peregrinantium Hebræorum, quæ tunica hodie Treviris in violaceum nigrescens, quamvis color propter vetustatem vix dignosci queat, religiosè asservatur, & visitur. *Secunda* vestis erat toga exterior vinei coloris, hoc est subrubri, ex lana seu panno non pretioso, honesto tamen, & quia mitissimus Dominus in passione sua, velut inutile pecus, hinc inde reptatus est, vestimenta illius per sputa & lutum conspurcata sunt, quæ nihilosecius milites lusores & Christi interfectores sub furca in quatuor partes diviserunt: *Fecerunt*
Joan. 19. 23. *quatuor partes, unicuique militi partem.* *Tertia* vestis erat pallium pariter ex lana cærulei, seu potiùs violacei coloris, ad talos usque demissum, in quo ex quatuor angulis fimbriæ erant assutæ; & hoc pallium, prout

recte

rectè obſervat Lucas Burgenſis in apprehenſione & captivitate à militibus direptum fuit; non enim probabile eſt, cùm Chriſtus flagellatus, ſpinis coronatus, & ad mortem crucis condemnatus eſt, quòd adhuc pallium illud ad locum ſupplicii geſtaverit. Solæ igitur ſuperfuerunt tunicæ, quæ milites inter ſe partirentur, & pro quibus ſortem mitterent. Luc. Burg. hic in Matth.

4. Dicebant autem de tunica interiori & inconſutuli: *Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit.* Quæres hic, cur lictores tantoperè æſtimaverint has Chriſti veſtes? Reſp. Procopius: *Mulier illa, quæ attigerat fimbriam veſtis Salvatoris, ſanata eſt, erat enim peculiaris quædam virtus in ipſa. Nimirum ob eandem cauſam inter ſe contenderant milites ſinguli, cupientes & diviſa habere, quaſi utilis foret non ad induendum, ſed quia vis quædam medicata in ipſa erat.* Ecce luſores, ſpectante JEſu jam in cruce agonizante, lucrum & ſuum quærebant intereſſe, & ſic remunerationem bonam à populo, ideò tam avidè ludebant pro Chriſti veſtibus; quæ res tanti viſa eſt Evangeliſtis, ut nullus hunc luſum militarem tacuerit, qui ubi nil auri aut pecuniæ ab hoc crucifixo inveniſſent, impetum in ejus veſtes fecerunt, ſperabant enim non parvo eas pretio vendendas. O impii luſores & crucifixores Domini noſtri JEſu Chriſti; quibus ſimiles ſunt Simoniaci, qui non Chriſtum, ſed ſe ipſos quærunt: *Meum ac tuum, frigidum illud verbum.* Joan. 19. 24. Procop. in 28. Gen.

5. Cæterùm inter paſſionis Dominicæ inſtrumenta non immeritò collocantur taxilli & denarii, quibus venditus eſt Chriſtus; quot enim etiamnum ſunt, qui inter ludendum, ubi fortuna non favet, Chriſtum non minus abnegant, quàm carnifices, qui in monte Calvario illum crucifixerunt? Talis fuit ille miles Geñezani in territorio Romano ſub Paulo III. Pont. Max. qui infelici luſu chartarum cùm omnia perdidiſſet, horrendum in modum blasphemans Deum, Chriſti crucifixi imaginem in altari collocatam pluribus vulneribus gladio ſuo ſauciavit, ex quibus ſine mora ingens ſanguinis copia promanare cœpit, quod portentum videntes cæteri milites colluſores ſacrilegum hunc luſorem, ut iratum Numen aliquo modo placarent, in minutiſſimas partes diſſecuerunt; enſis verò illius impiiſſimi Chriſti percuſſoris adusque hæc tempora miraculosè retortus in ſacris illis ædibus conſervatur. O quàm verum eſt, quod de ejusmodi luſoribus ſubjungit S. Antoninus Archi-Præſul Florentinorum: *In nullo exercitio ita frequenter blasphematur Deus, & tota curia cœleſtis, ac in ludo.* O quod ex luſu proveniunt ſcelera! Manſi to. 3. tit. 46. n. 5. S. Antonin. Sum Theol. p. 2. t. 1 c. 2. §. 6.

6. Vis plura exempla? Moguntiæ extra muros in templo S. Crucis celebratiſſima eſt illa Crucifixi Salvatoris noſtri Effigies, quæ unà cum imagine SS. Matris doloroſæ & S. Joannis Evang. ſub cruce ſtantium, à quodam impio helluone & luſore, cui nomen Schellkropff (quia Sandæus in Paleſtra decade 1. §. 5.

(quia in taberna taxillorum & chartarum lusu omnem suam pecuniam perdiderat) abominandum in modum sacrilego gladio vulnerata, ex inflictis vulneribus, & resecto capite copiosum profudit cruorem, quod attestantur adhuc hodie subscripti Versus.

Continuò Christi caput à cervice resectum
Abstulit ense ferox: ater, miserabile visu!
Exilit ligno cruor: ut cùm viva satelles
Corpora decollat, præciso sanguine venæ
Exundant, animámque vomunt, largúmque cruorem.
Nec tua te Virgo pietas, quæ protegis orbem
Protexit. Ferrum Crucifixi à cæde cruentum
In te convertit scelerati dextera Schellkropff,
Roboreúmque caput rigido petit impius ense.
Protinùs hoc etiam manat de stipite sanguis &c.

Mitto cætera. Spondanus in Ann. Eccl. anno 1383. ubi hæc facta sunt, addit, quòd hic sacrilegus lusor ad miraculum attonitus, cùm pedem ex sacra æde efferre non posset, à supervenientibus captus, Moguntiam ad carceres perductus, & vivus ignibus combustus fuerit. Proinde rectè Isaias Propheta de ejusmodi farinæ hominibus ac sceleratis lusoribus jam suo ævo prædixit: *Et vos, qui derelinquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super eam. Numerabo vos in gladio &c.* Supra quæ verba S. Antoninus Archi-Episcopus: *Ponunt*, inquit, *mensam fortunæ, qui ludunt, exponentes se fortunæ, sive per taxillos ludendo, sive per chartas, & isti feriuntur gladio divinæ ultionis in inferno.* Imitemur potiùs S. Tobiam Seniorem, qui de se ipso testatur: *Nunquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui.* Sed potiùs sit lusus ac amor noster JEsus & hic crucifixus.

Isa. 65. 11.

3 Antonin p. 2. Tit. 1. c. 13. §. 8.

Tob. 3. 17.

CON-

CONSIDERATIO LXIX.

Cur Christus Dominus inter duos latrones in cruce medius pendere, & mori voluerit?

Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris & unus à sinistris. Matth. 27. 38.

1.

CHristus Dominus redemptionis nostræ auctor & felicitatis æternæ Mediator, medius inter Deum Patrem & Spiritum Sanctum, in hac quoque terra plerumque medium eligere voluit, unde Habacuc Propheta: *Domine audivi auditionem tuam, & timui. Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud.* Habac 3. 1. Observa hìc prudens Lector, opus redemptionis nostræ à Christo in medio annorum illius ætatis vivificatum, atque in cruce completum est, hoc est anno ætatis Christi trigesimo quarto à primo conceptionis instanti, quæ est media vitæ humanæ ætas, censetur enim ætas hominis septuaginta annorum, & si quid ampliùs, labor & dolor.

2. Audiamus plura: Christus natus est in mundum mediâ nocte, ita Sapiens: *Cùm quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus prosilvit.* Sap. 18. 14. Natus in medio duorum animalium, bovem inter & asinum in præsepio positus est: *Cognovit bos Possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Isa. 1. 3. Domi medius inter Josephum patrem nutritium & Virginem Matrem conversatus est. Luc. 2. 46. Puer duodennis in medio Doctorum in templo inventus. Vir in medio Apostolorum: *Ego sum in medio vestrûm tanquam qui ministrat.* Luc. 22. 27. Matth. 17. 3. In monte Thaboræo medius inter Moysen & Eliam transfiguratus est. Resurgens in medio discipulorum apparuit; unde rectè B. Damianus: *Filius Dei ubique in medio.* Et quid dico? etiam in amarissima passione sua in medio duorum

infamium latronum pendere voluit, ut sic in medio terræ salutem nostram operaretur in cruce. Et quare, obsecro, inter duos latrones medius?

3. Recordor hic illius Viatoris, qui ab Hierusalem in Hiericho descendit: *Et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, & plagis impositis abierant semivivo relicto.* O mi JEsu! tu es ille Viator, qui è cœlesti Hierusalem in vanitatis Hiericho descendisti, & in latrones, peccatores, es delapsus, & nunc medius inter illos pendes. Paulò ante tibi objectum fuerat: *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*, jam cum illis in patibulario pendens ligno, velut coriphæus illorum; ô qualis hæc Trias in Calvario monte: *Deus inter latrones?* Non simus, obsecro, hic sicut ille Levita & Sacerdos, qui sine sensu, sine misericordia, sine charitate proximi transierunt, sed imitemur optimum Samaritanum, in Vulnera JEsu crucifixi vinum & oleum infundentes, hoc est sinceras pœnitentiæ & compassionis lacrymas; audi Venerabilem Thomam Kempensem: *Requiescе in Passione Christi, & in sacris Vulneribus ejus libenter habita; si enim ad Vulnera, & pretiosa stigmata JEsu devotè confugis, magnam in tribulatione consortationem senties, nec multùm curabis hominum despectiones, facilitérque verba detrahentia perferes.* Ecce crucifixus omnia in omnibus.

Luc. 10. 30.

Luc. 15. 2.

Tho. Kemp. de Imit. Chr. l. 2. c 1.

4. Olim promisit Dominus: *Omnia traham ad me ipsum.* Ita utero virgineo adhuc clausus traxit Joannem Baptistam; in cunabilis conditus ab Oriente Magos; de litore maris Petrum & Andream, item Joannem & Jacobum; In via ambulans Matthæum & Zachæum, de nocte Nicodemum principem Pharisæorum; in cruce, velut magnes fortissimus, turbam ac Centurionem ad luctuosum hoc spectaculum adstantes, & pectora sua percutientes, & inter hos etiam latronem à dextris suis pendentem; Sed cur ô mi Domine, non etiam latronem alterum pendentem à sinistris ad te attraxisti?

Joan. 12. 32.

Resp. Quia trahi noluit, & ne traheretur, omnibus modis restitit, atque sic per blasphemias suas & incredulitatem omnem saluti suæ viam obfirmavit; periit igitur miser, quia ipse perire voluit. Alter pœnitens mox Christo victas manus dedit, & de prædone factus est præco Evangelicus. Audiebat quidem qui ad sinistram Christi latus pendebat, preces morientis Redemptoris ad Patrem factas, videbat illius patientiam, mansuetudinem, ac silentium contra omnes criminationes; cernebat insuper immanissimas tenebras, sensit terræ motum toti orbi formidabilem, & ad hæc confessionem Socii, veniámque à Christo illi concessam: nihilominus tot argumentis ad salutis agendum negotium propositis, duravit obstinatus in suis criminationibus. & sic sine pœnitentia mortuus, ac damnatus est. O miseriam negligere tempus voca-

vocationis ac visitationis suæ, & non respondere gratiæ divinæ toties nos ad meliorem frugem excitanti, ô miseriam! Noli hic investigare, si non vis errare, quare Deus unum trahat, & alterum relinquat? O Domine JEsu, trahe me post te.

5. Dicebat quondam de se Christus: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Ostium ad æternam vitam sunt SS. Vulnera Christi, hæc contemplatus est latro pœnitens, licet similibus clavis affixus, & per illa mox post obitum paradisum invenit: *Amen dico tibi: hodie mecum eris in paradiso.* Vide hìc, ac considera, quomodo post confessionem boni istius latronis gratia divina in ejus corde creverit, & illuxerit. Petrus Apostolus Christum negat, latro cruci affixus confitetur. Discipuli euntes in Emaus dicunt: *Nos sperabamus*, hic autem confidenter loquitur: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Thomas Apostolus ait: *Nisi videro loca clavorum, non credam.* Latro in cruce Christum cruci affixum aspiciens Regem vocare non dubitat. Quis, obsecro, hunc latronem tam alta mysteria edocuit? Dominum vocavit, quem nudum, vulneratum, dolentem, palàm irrisum & despectum secum pendere in cruce vidit, unde meruit ab ipso Veritatis ore hanc gratiosam vocem audire: *Hodie mecum eris in paradiso.* O si aliquando ego & tu, ô mi Lector! Joan 10. 9. Luc. 23. 43. Matth. 26. 70. Luc. 24. 21. Joan. 20. 25.

6. Assuerus Rex, ut suam munificentiam in Estherem Reginam explicaret, dimidium ei regnum promisit: *Quid petis*, ait, *ut detur tibi? & pro quare postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Hoc fecit & Herodes Rex filiæ suæ Herodiadi ob saltum dimidium regni sui promittens: *Pete à me, quod vis: quia quidquid petieris dabo tibi licet dimidium regni mei.* Grande ex utraque parte promissum, sed neuter aliquid dedit, neuter promissum servavit, licet promissum cadat in debitum. Hic est mundi cursus. Esth. 5. Marc. 6. 22.

Considera hic Christum pendentem in ligno, pro te homine indigno; non dimidium regni sui latroni pœnitenti pollicitus est, sed totum regnum, totum paradisum, & quidem adhuc *hodie*, quia nemo fidelior in suis promissis, quàm ipsa Veritas Christus. O quàm immensâ gloriâ in cœlesti regno nunc gaudet, imò superabundat homo ille abjectus, & ob scelera sua crucifixus latro! Cape hìc animum & magnam fiduciam qui hæc legis, servi ex animo crucifixo Redemptori tuo; si enim tam liberalis fuit in latronem, qui eum in extremis duntaxat honoravit, quantò liberalior erit in te, si illi totâ vitâ verè & sincerè servieris? O quàm bonum est servire Deo!

7. Pharao Ægyptiorum Rex duos quondam servos, pincernam & pistorem, in eâdem offensa indignatione constitutos ad carcerem con-

condemnavit, ex quo unus in gratiam Regis receptus, & alter ad patibulum damnatus est: *Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum: alterum suspendit in patibulo.* Pendent in patibulo crucis ad latus supremi Judicis duo rei, morte & inferno dignissimi: Et ecce unus absolvitur, & alter æternùm damnatur; in quo, ait Cornelius, Christus se ut Judicem demonstrare voluit, reddens utrique debitas vices juxta utriusque merita; huic paradisum promittendo, & alterum æternùm damnando; hoc erat præsagium magni illius & extremi judicii, in quo Christus medius ad dexteram habebit Sanctos, quos vitâ æternâ præmiabit, ad sinistram reprobos, quos morte sempiternâ mulctabit. O bone Deus, ubi tunc stabimus? Ah Domine JEsu, *ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

Gen. 40. 21.

Psal. 142. 2.

8. Cæterùm quærunt Sacri Doctores, quomodo bonus ille latro in notitiam Christi venerit, eúmque ut Regem ac Dominum suum, imò ut Dei Filium agnoverit, unde obstinatum commilitonem increpavit: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit.*

Luc. 23. 39.

Resp. S. Cyrillus Hierosolymitanus, quòd latro ille bonus Christi innocentiam in judicio Pilati agnoverit; fuerunt enim in criminali & finali illo judicio ambo latrones, non sejunctim, sed simul cum Christo ad tribunal Romani Judicis adducti, ubi ab ipso licet iniquissimo Judice audivit: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus; vos videritis;* hoc bonum latronem ad alium sensum commovit, hinc S. Cyrillus illum cum malo in cruce loquentem sic inducit: *Hic nihil mali fecit: aderamus enim ego & tu in judicio.* Accedebant tot prodigia in passione Christi facta, & intercessio B. ac dolorissimæ Virginis Matris, prout habet B. Damianus & alii, quæ omnia cor illius ad cognoscendum & amandum Deum movebant, interim sinistro ac perverso latrone in sua permanente obstinatione. Considera hic quàm tremenda ac timenda sint Dei judicia: *In toto Canone Scripturarum,* ait S. Bernardus, *unum latronem invenio sic salvatum.*

Matth. 27. 24.

S. Cyrill. Hieros. Catech. 13.

CONSIDERATIO LXX.

In misericordia Christi crucifixi sperandum, ut tamen non obliviscamur Justitiæ illius.

Misericors Dominus, & justus. Psal. 114. 5.

1.

SAmson in ore leonis à se occisi paulò post favum mellis & examen apum invenit: *Declinavit ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis,* S. Augustinus per leonem istum allegoricè Christum & hunc crucifixum subaudit, ipse enim est *Leo de tribu Juda*, qui propria morte superavit mortem, peccatum, diabolum ac gehennam, ex cujus ore prodiit dulcissimum mel SS. Eucharistiæ, & examen apum, id est innumera Sanctorum & fidelium copia. Sunt, qui per dulce illud mel leonis misericordiam, & per examen apum aculeatarum justitiam crucifixi Domini intelligunt; & sicut populus Domini *mel suxit de petra, oleúmque de saxo durissimo*: ita & nos de petra, qui Christus crucifixus est: *Petra autem erat Christus*, mel misericordiæ, sed & examen apum divinæ justitiæ possumus colligere. Anime mi! utrumque in manu tua est, vita & mors, misericordia & justitia: *Misericors Dominus, & justus.* Quid vis? elige.

Judic. 14. 8.

Apoc. 5. 4. S. August. serm. 107.

Deut. 32. 13. 1. Cor. 10. 4.

Psal. 114. 5.

2. Optabat quondam inter tot ac tantas illius ævi calamitates Isaias Prophetarum Princeps, ut DEus Filium suum in terram mitteret, tanquàm agnum & dominatorem terræ, qui peccata mundi tolleret, totique Ecclesiæ & orbi dominaretur: *Emitto agnum Domine dominatorem terræ.* Et quomodo ista conveniunt in Christo, agnum esse, & simul orbis dominatorem! Observa: Agnus fuit, dum in ara crucis pro omnium salute fuit immolatus: *Tanquam agnus mansuetus ductus est ad victimam*, sed & dominator terræ fuit, & est, & erit, quia Pater dedit ei omnem potestatem: *Potestatem dedit ei judicium facere*; Hunc, inquam, agnum & amemus, & timeamus, in illo speremus, & non in ejus

Isa. 16. 1.

Jer. 11. 19.

Matth. 28. 18. Jo. 5. 27.

misericordia præsumamus, qua ut ait S. Prosper, *sic timendus est, ut ab ipso ad ipsum fiduciamus*, & Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis: *Emitte agnum, ne desperemus, dominatorem ne præsumamus;* Agnus enim est vere pœnitentibus, & sperantibus in eum, sed & dominator severus obstinatis.

Jac. de Vitr. ser. 2. Dom. 25. Pent.

3. Invitabatur aliquando Christus à quodam Pharisæorum principe in Sabbato manducare panem: *Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum*, qui vel notus, vel amicus erat principi JEsum invitanti; hic, inquam, sponte se obtulit, stans ante Dominum, non rogans aliquid, sed suam solummodò exhibens miseriam. Et quid JEsus? *Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac dimisit* Supra quod Euthymius apud Barradium: Hydropicus ille non ausus est petere sanitatem, sed solùm ante Christum stetit, ut ex aspectu tam miserabili Dominus misertus sanaret eum. Vide hìc, ac perpende clementiam Salvatoris tui, dum non rogatus subvenit. Et quoties tibi?

Luc. 14. 2.

Simile quid fecit ad piscinam Probaticam, dum illum languidum, & per 38. annos in lectulo suo decumbentem sanitati restituit: *Et statim sanus factus est homo ille: Et sustulit grabatum suum, & ambulabat.* Sed observa quod sequitur: Æger ille à Christo sanatus, mox ubi lectum suum domum asportavit, sine mora ad templum se contulit, gratias ibidem DEO pro tanto sanitatis beneficio acturus, cui exinde Christus occurrens: *Ecce sanus factus es: jam noli peccare: ne deterius tibi aliquid contingat.* Vide hìc, ac considera, quomodo misericordiam comitari soleat justitia. Sic & in cruce uni latroni converso misericors fuit, alteri obstinato justissimus. Accedit, quod piscina illa Probatica ex sanguine agnorum & victimarum semper rubens, & quinque porticus pro solatio ægrotorum habens, perelegans typus fuerit Passionis Dominicæ. Ita S. Antonius Paduanus: *Piscina*, ait, *est passio Christi: Porticus quinque Vulnera ejus*

Joan. 5. 9.

S Anton. Pad. hic.

4. De Christo transeo ad Christum. Ubi Zachæum Publicanorum principem, & totam domum ejus convertit, ex Jericho rectà Hierosolymam ad passionem suam ascendit: Præibat autem discipulis suis ab hoc itinere abhorrentibus, quasi dux & antesignanus, fortiter & hilariter ad crucis mortem: Et ecce ubi appropinquavit Jerusalem: *Videns civitatem flevit super illam.* Cognosce ex hoc, & considera misericordiam pientissimi JEsu: *Ostenditur autem*, ait S. Bonaventura, *hæc pietas Christi magna, quia in die summi honoris sui in terris* (erat enim dies palmarum) *non cessabat à lacrymis per affectum compassionis.*

Luc. 19. 41. S. Bonav. in hunc locum.

Verùm audiamus ulteriùs. Ibat Dominus post triumphalem hunc ingressum inter mille populi applausus rectà in templum. Et ecce ubi

vidit

vidit domum Patris sui tantoperè à negotiatoribus profanatam : *Ejiciebat omnes vendentes & ementes in templo.* Cæterùm S. Hieronymus hanc Christi actionem inter præcipua numerat miracula, quòd homo unus & pauper, qualis Christus erat, omnia Sacerdotum lucra uno momento potuerit subvertere, nemine mortalium resistente: *Ad unius*, inquit, *flagelli verberatantam ejicere multitudinem, mensasque subvertere, & cathedras confringere, & alia facere, quæ infinitus non fecisset exercitus. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis ejus, & divinitatis majestas lucebat in facie.* Vide hìc & perpende benignissimi Salvatoris tui justitiam. O quid erit in morte tua, anime mi! Si misericordiam illius divinam, toties tibi per vitæ tuæ cursum oblatam, non acceptasti? Tunc audies illud tremendum : *Vocavi, & renuisti : extendi manum meam* (in cruce) *& non fuit, qui aspiceret &c.* Matth. 21. 12. Luc. 19. 45. S. Hieron. hìc. Prov. 1. 13.

5. Idem mitissimus orbis Redemptor Christus se gallinæ assimilare non dubitavit, unde dixit : *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Considera ex hoc immensam ejus misericordiam, in suos fideles ; gallina enim misericors est & benigna erga pullos suos. Plus Christus in nos. Gallina compatitur suis parvulis, & cum illis infirmatur : *Christus languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* Gallina de salute parvulorum valde sollicita est, eisque cibum distribuit: Christus SS. Eucharistiam, & in illa se ipsum nobis præbet in escam. Gallina, si observat accipitrem, citò pullos suos sub alas colligit, & rostro, pedibus ac toto corpore defendit : sic Christus pro nobis contra diabolum & peccatum usque ad mortem crucis decertavit : Sicut Mater, ait S. Bernardus, videns accipitrem, expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium ; Sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu, extensa est summa illa, & ineffabilis pietas Domini nostri in cruce pendentis. Matth. 23. 37. Isa. 53. 4. S. Bern. ser. 4. in Psal. qui habitat.

Vidisti hactenus ejus misericordiam, sed attende & justitiam, dum mox subjungit : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, hoc est non tantùm Hierosolyma, sed & tota regio Judæa in pœnam tantæ ingratitudinis & tot scelerum exscindetur, & à DEO desolabitur, quod exinde per Titum & Romanos milites completum est. Ecce misericors & miserator est Dominus, sed & justus. Matth. 23. 38.

6. Cæterùm quærit Veritas Christus : *Quis vestrùm cogitans, potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*, ut longior & altior fiat? hæc quidem cogitatio & sollicitudo in homine pusillo frustranea & inanis est. Observat autem hic Euthymius, quòd omnis homo rectè formatus suorum cubitorum quatuor habeat in longitudine, & quatuor in latitudine, Matth. 6. 27.

tudine, dum enim sua extendit brachia, crucem format, quæ crux & extensio brachiorum est justa hominis mensura, & Crucifixi figura.

Quidquid sit hac de re, ego scio modum, quo possis ad staturam tuam non unum, sed plures adjicere cubitos; Cogita per devotam meditationem sæpiùs, imò quotidie de infinita Crucifixi Redemptoris tui misericordia, & quia Judex tuus est, simul de illius exactissima justitia: Sic crescès in amore Dei & in omni virtute, & adjicies ad staturam tuæ magnitudinis apud DEum tantò plus, quantò magis serio studio ista cogitabis.

Tom. 13. anno 1232. n. 22.

7. Hoc fecit pius Filius; de quo refert Odoricus Baronii Successor, quòd singularis amator, cultor & imitator crucifixi JESU extiterit, ob cujus amorem, cùm rogaretur, interfectori optimi parentis sui veniam dedit, illique ex animo ignovit, quod tantoperè crucifixo Domino placuit, ut, cùm ille in templo coram crucifixo Domino supplex oraret, Christus ad illum caput suum inclinaverit, quasi annuens, orationem ejus esse exauditam. Vide hìc misericordiam crucifixi JESU.

Part. 1. tit. 5. cap. 14. Et Nadal. S. J. apud me fol. 176.

Sed & justus est. Recensèt ex Cæsario Alphonsus Rodriquez, quòd Christus in cruce uni tepido oratori dorsum verterit, objurgans eum: *Piger, cur tam segniter mihi servis? non mereris videre faciem meam.* Ad alterum tepidum, & in oratione dormitantem, ipse Dominus de cruce in imagine sua, quæ erat in choro, descendit, & colaphum tam vehementem ei infregit, ut tertia pòst die ex hac vita mortali bene castigatus discesserit. Discite justitiam, quia Dominus, cùm ad judicandum venerit, etiam justitiam judicabit.

CON-

CONSIDERATIO LXXI.

Moriens JEsus Sanctissimam Matrem suam juxta crucem stantem, omnibus fidelibus commendat.

Ecce Mater tua. Jo. 19. 27.

1.

TObias senior in testamento suo Filio suo Tobiæ juniori impensè Matrem suam commendavit: *Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus, memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te* Crucifixus Dominus in ultimo crucis testamento afflictissimam Matrem suam juxta crucem in pelago dolorum stantem non solùm Joanni, sed & omnibus fidelibus commendavit, ut eam tanquam Matrem suam agnoscerent, amarent, ac venerarentur: *Ecce Mater tua.* Ubi observandum, quòd Evangelista dicat: *Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua*, sed discipuli Christi crucifixi sumus omnes fideles, ita Dionysius Carthusianus: *Discipulus ille electus quemlibet designat fidelem;* Ergo & nobis omnibus moriens in cruce JEsus sanctissimam Matrem suam commendavit. Proinde semper debemus esse memores hujus sacratissimæ Matris nostræ, recogitantes quæ & quanta pericula sub cruce passa sit propter nos: *Ex tuo dolore discas*, ait S. Cyrillus Alexandrinus, *quæ non illa communis omnium Parentis jactura sit, cùm ejus Filius, quem dilexit, vitam pro generis incolumitate offerret.* Plura in præsenti de hac dolorosissima Virgine & Matre, de qua paucis adhinc annis integrum Tractatum scripsi sub hoc titulo: *Speculum amoris & doloris.*

Tob. 4. 3.

Jo. 19. 27.

S. Cyrill. Alex. hom. 1. Pasc.

2. *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Ita S. Paulus ad Corinthios neophytos. Erat autem jam tunc temporum intervallo Romæ grande Theatrum (hodie Amphitheatrum, seu Colossæum dictum) ex lapide Tiburtino ædificatum, quod capiebat 87000. millia hominum, qui omnes commodè sedere poterant, in quo gladiatorum pugnæ, & venationes ferarum Romano exhibebantur populo,

1. Cor 4. 9.

Donatus in Roma antiq. & nova.

pulo, in quo Titus una die quinque millia ferarum occidit, & sic locum istum dedicavit. Hoc, inquam, Amphitheatrum paulò post sub aliis Imperatoribus, primis Christianis ac Ss. Martyribus factum est commune Theatrum, ubi tanquam bestiarii (ita in primis illis persecutionibus vocabantur Christiani: *Christianus ad bestias*) spectante populo, crudelissimis objiciebantur bestiis. Missis aliis quàm plurimis Ss. Martyribus, solùm adduco S. Ignatium Ep. & M. de quo Martyrologium Romanum 1. Februarii: *Natalis S. Ignatii Episcopi & Martyris, qui tertius post beatum Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam, atque in persecutione Trajani damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur, ubi præsente Trajano, circumsedente Senatu, immanissimis pœnarum suppliciis primò affectus, leonibus dehinc objicitur, quorum dentibus præfocatus, hostia Christi efficitur.* Et hoc est, ad quod alluśit S. Paulus, dum ad Corinthios suos scripsit: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.* O pientissime JEsu! ô Amor crucifixe! tu reverà factus es Hierosolymis in Calvario monte spectaculi universæ terræ: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant percutientes pectora sua revertebantur.* Secundam personam in hoc cruento spectaculo egit mœstissima Virgo & Mater tua, verè Mater amoris & doloris.

Martyr. Rom. 1. Febr.

2. Cor. 4. 9.

Luc. 23. 48.

3. Virgilius Poëtarum princeps olim prædicto Amphitheatro Romano, ubi post multas pluvias sereno tandem facto cœlo, Augusto Cæsari consueta parabantur spectacula, majoribus litteris inscripsit:

Nocte pluit totâ, redeunt spectacula manè.
Dimidium imperii cum Jove Cæsar habet.

O tristissima Mater! Filius tuus nunc regnat à ligno: *Regnavit à ligno* DEus; tu dimidium hujus imperii occupabis, quod enim ille passus est in corpore, tu perpessa es in mente. Præteritâ *nocte pluit totâ*: in monte Olivario: in domo Annæ, in domo Caiphæ &c. Nunc *redeunt spectacula manè*. O quale spectaculum! Sol & luna mirantur, & orbi negant lumen suum, saxa scinduntur, terra contremiscit, sepulchra aperiuntur. Scinditur corpus dilecti Filii tui cruentis flagellis, sed iisdem etiam cor Matris scinditur. Coronatur spinis divinissimum caput ejus, sed & cor tantæ Matris eisdem sauciatur. Affigitur cruci, sed & Mater ejus cum illo crucifixa est. Ita Arnoldus Carnotensis: *Vulnerabatur enim spiritu, & crucifigebatur affectu, & quod in carne Christi agebant clavi ac lancea, hoc in ejus mente compassio naturalis, & affectionis maternæ angustia.* O pientissima Mater, quis non amet, non æstimet te!

Arnold. Carn. Tr. de laud. B. V.

4. *Cui comparabo te? vel cui assimilabo te filia Jerusalem?* Dicebat quondam Propheta Threnologus, ubi vidit, & planxit non tam regni Judaici

Thren. 2. 13.

daici, quàm & urbis Hieroſolymæ ac templi incendium & interitum. Et pergit: *Cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion?* Allegoricè Ss. Patres hoc adaptant Chriſto Domino, ob peccata noſtra in cruce atrociſſima patienti tormenta, & Sanctiſſimæ Matri ejus in omnibus dilectiſſimo Filio ſuo compatienti. Cui ergo comparabo te Virgo filia Sion? vel cui aſſimilabo te ô afflictiſſima Matrum?

Poſſum te comparare cum Abraham; filium ſuum in monte Moria DEO ſacrificanti; ſed reduxit eum incolumem; Tu verò ſine Filio relicta es orphana. Poſſum te comparare Jacob Patriarchæ, multo tempore Joſeph filium ſuum, quem à fera peſſima devoratum credidit, deploranti: *Lugens filium ſuum multo tempore;* ſed ſupererant ei adhuc undecim filii; Tu verò ô mœſtiſſima Mater, in Filio tuo omnia perdidiſti. Poſſum te comparare Saræ Tobiæ Senioris conjugi, quæ filium ſuum *flebat irremediabilibus lacrymis; & nullo modo conſolari poterat.* Plus doloroſiſſima Mater, quæ etiam ſanguineis lacrymis Unigenitum ſuum in cruce morientem deplanxit. Cui ergo te comparabo ô Filia Sion?

Reſp. Præfatus Propheta Threnologus: *Magna eſt velut mare contritio tua.* Ecce dolores B. V. Mariæ vaſtiſſimum mare erant, & ſicut omnia flumina in mare influentia illud non augent, ſed ſunt inſtar guttæ: Sic nullus dolor cum dolore JESU & MARIÆ conferri poteſt: *Congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum.* In unum cor Mariæ quaſi omnes aquæ dolorum ſunt congregatæ; unde nomen Mariæ *Mare amarum* interpretatur. Ita S. Bonaventura.

§. Quando Sacra Scriptura luctum aliquem grandem, ac plurimùm doloroſum vult exprimere, aſſimilare eum ſolet luctui unigeniti: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper Unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.* O pie Lector! Loquor ad cor tuum: Si tu vidiſſes innocentiſſimum Dei Filium in cruce pendentem: & in ſanguine ſuo natantem, ac pro te tam indigna patientem, quid obſecro dixiſſes? Nunquid ex commiſeratione ei intimis condoluiſſes ſenſibus, & totus abiiſſes in lacrymas? Conſidera nunc doloroſiſſimam Matrem JESU, juxta crucem ſtantem. Noëmum in diluvio DEus arcæ incluſit: *Et incluſit eum Dominus deforis;* Rationem aſſignat S. Chryſoſtomus: *Ne poſſet videre juſtus generalem interitum* Et tu ô pienriſſima & omnium Matrum afflictiſſima videre potuiſti interitum Creatoris & Unigeniti Filii tui? Ah quoties tunc ingeminaſti illud Davidicum: *Sicut Mater unicum amat filium ſuum; ita ego te diligebam* ô JEſu! Subintrat hìc Clariſſimus Theologus Antonius de Rampelogis: *Inter omnes Matres, quæ unquam proprium filium dilexerunt; Virgo*

Gen. 22. 10.

Gen. 37. 34.

Tob. 10. 4.

Thren. 2. 13.

Gen. 1. 9.

S. Bonav. Spec. B. V. c. 2.

Zach. 12. 10.

Gen. 8. 16.

2. Reg. 1. 26.

Beata

Beata plus dilexit Christum. Tum quia solus sibi erat filius; tum etiam quia sciebat illum esse DEum, & humani generis Redemptorem; tum etiam quia ipsa fuit plena perfectissimâ charitate &c. Adverte: Plena erat perfectissimâ charitate in DEum & proximum; ergo neque te deseret, si illam filiali affectu & debito modo invocaveris.

Ludolph. in Vita Chr. hic.

6. Hoc expertus est devotissimus ille Religiosus & Staurophilus, de quo Ludolphus de Saxonia in vita Christi: Qui, cùm sæpiùs illa magni ponderis verba à crucifixo & moriente JEsu in solatium omnium Christianorum prolata, attento animo considerasset: Jo. 19. 27. *Ecce Mater tua*, totus in lacrymas solutus est. Quo factum, ut annis ferè viginti perpetuis diffluueret lacrymis, quæ sæpè in potum ei inserviebant, ac tunc præsertim, quando aspiciebat devotam quandam Christi crucifixi & dolorosæ Matris ejus imaginem, obrutus lamentis has emisit voces: *Ecce Mater qualiter pendet Filius tuus.* Tum ad Filium conversus dicebat: *Ecce Mater tua lacrymosa & dolorosa! Vide Fili, quomodò stat tota derelicta Mater tua.* In fine vitæ ab utroque adjutus, glorioſus ad cœlestia regna migravit.

Ex Ferrar. & Lyræo lib. 4. cap. 3.

7. Rarius est quod sequitur. B. Juliana Falconeria, nobilissimâ progenie Florentiæ nata, à teneris annis JEsum crucifixum & SS. Matrem ejus dolorosam amare didicit; unde valedicens mundo, amicis & opibus Ordinem Servitarum B. V. ingressa est, in quo feria 4. & 6. ob Christi patientis memoriam nihil omninò ciborum, & Sabbatho tantùm panem & fontanam ob memoriam dolorosæ Matris admittebat. Quàm alto animo Christi patientis cruciatus infixos gestaverit, mors illius probavit, dum post felicissimum ejus obitum in carne circa cor illius imago Christi JEsu crucifixi divinitùs impressa inventa est; & quia ob continuata jejunia & corporis mortificationes exhausta, ob ciborum nauseam in ultimo morbo SS. Eucharistiam sumere non auderet, obnixè petiit, ut saltem SS. Hostia à Sacerdote supra pectus suum in Corporali collocaretur. Et ecce prodigium sæculis omnibus memorandum, illicò SS. Hostia in pectus illius se insinuavit, & illa in ingenti spendore ad cœlum migravit.

CON

CONSIDERATIO LXXII.

Christus in cruce à Patre & ab omnibus derelictus, non solet suos derelinquere fideles.

DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquisti me? Matth. 27. 46.

I.

TYpus animatus Christi patientis, & in cruce ab omnibus derelicti extitit Jobus Propheta Husæus, quem Deus potestati Sathanæ reliquit castigandum: *Ecce in manu tua est; verùntamen animam illius*, hoc est vitam, *illius serva*: Sed Christo Domino in passione nec vita reservata est, proinde Jobo licet patientissimo longè fuit calamitosior, magisque desertus. Job. 2. 6.

Multas tulit miserias, languores ac dolores Paralyticus ille, qui triginta & octo annis ad piscinam Probaticam decubuit ab omnibus desertus: *Domine, hominem non habeo.* Plura per omnem vitam ac passionem suam perpessus est Christus, ac tandem in cruce ab omnibus derelictus, qui jure merito dicere poterat: *Hominem non habeo.* Joan. 5. 7.

Multa sustinuit Lazarus mendicus pauperrimus & ulceribus plenus, *ut ne canes quidem*, ait S. Chrysostomus, *posset abigere; sed vivum cadaver jacebat, videns quidem eos accurrentes, nequaquam tamen valens depellere; usque adeò illi membra erant soluta; usque adeò arefacta morbo; usque adeò consumpta erant afflictione.* Sed plura ac graviora tulit Christus patiens ac crucifixus, verè vir dolorum, quia omne genus dolorum sustinuit. Hoc testantur inhærentes vertici spinæ, hoc cruenta flagella; hoc catenæ & funes; hoc manus perforatæ, & pedes affixi clavis; hoc facies livida tot percussa alapis, sputisque fœdata; hoc omnes artus, quia à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas. Quid ergo mirum est, quòd in cruce moriens JESUS DEI Filius ad Patrem lu- Luc. 16. 20.

Matth. 27. 46 gubri sed valida tamen voce exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Causas hujus derelictionis impræsentiarum videbimus.

2. Amici Job, ubi eum videbant in tantis constitutum doloribus, ac circumseptum calamitatibus, septem diebus luctuosissimam ejus

Job. 2. 12. sortem suspiriis, lacrymis & alto silentio deplorarunt: *Videbant enim dolorem esse vehementem.* Angeli ubi eratis, dum Dominum ac Deum vestrum in cruce ab omnibus desertum conspicati estis? Et quare, obsecro ad eum non accessit saltem Angelus ille confortans, qui in mon-

Luc. 22. 43. te Olivario eum in cruento illo agone consolatus est: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum?* Altum hic erat in cœlo silentium; nulla aderat consolatio, nec speranda; Christus enim à Deo Patre, à Spiritu sancto, & à se ipso ut Deo derelictus est; hoc est, non fuit sensibiliter adjutus, sed permissus hostium potestati, quod David prævidit,

Psalm 70. 11. unde inimici ejus dicebant: *Deus dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum: quia non est qui eripiat.*

3. Interim Dominus meus JEsus & Amor crucifixus continuò orans, & sub finem vitæ jam jam animam expiraturus psalmum vigesimum primum, qui totus est de passione, recitavit, ut ostenderet

Psalm. 21. 1. se ipsum esse, de quo Vates Regius vaticinatus est: *Deus, Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? Longè à salute mea verba delictorum meorum,*

Le Blanc hic. quod idem est, ait le Blanc: Pater mi, Pater mi, qui Deus meus es, cur benignitatis oculos ab unigenito filio tuo avertis, & omni solatio destitutum furori impiorum, ut vilem prædam, objicis? Tam acerbæ desolationis causam agnosco, non quidem peccata mea, cùm nulli me affinem culpæ scias: Sed totius humani generis scelera, quæ exsolvenda suscepi? illa liberationem meam impediunt, mortique me decreto tuo ac voluntate mea addictum non patiuntur liberari. Vide hic, atque considera, Lector prudens, quomodo Salvator tuus, suos in cruce dolores expositurus, maximum omnium Patri proposuerit, nempe desertionem ac derelictionem; Relictus enim est in tormentis, ut te redimeret, & morte sua vivificaret; ut pro te condignè satisfaceret; ut suo exemplo te animaret ad patientiam; ut amor illius erga nos magis declararetur; ut majori fiducia ad eum accurreremus in omni tribulatione & derelictione nostra, unde David:

Psalm. 9. 14. *Tibi derelictus est pauper: Orphano tu eris adjutor.* Anime mi, si in aliqua afflictione es, roga crucifixum Amorem tuum ab omnibus desertum,

Psalm. 36. 25. & non deseret te: *Non vidi justum derelictum.*

4. Nunquam observasti, Lector prudens, modum, quo Abraham Patriarcha Isaac filium suum Deo offerre & immolare voluit? Audi Scri-

Scripturam: *Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper lignæ composuit: Cúmque alligasset Isaac filium suum &c.* Gen. 22. 9.

Siste hic anime mi! unum te interrogo, quare amantissimus Pater filium suum obedientissimum in arâ illâ ligneâ recens erectâ funibus alligare voluerit? Et nunquid Abraham priùs filio suo voluntatem suam de ipso immolando revelavit? ita est. Et nunquid filius prompto animo Patri respondit (prout habet & testatur Josephus:) *Se vitam datori Deo debere, eámque repetenti jam læto animo redditurum?* Cornel. hic. His tamen non obstantibus, alligatus est Isaac tunc 25. annorum natus ad aram ligneam, & positus super struem lignorum, ne resilire posset, aut motum aliquem inconditum & tanto sacrificio indecentem edere: Alligatus est quia ipse voluit, in quo Isaac Deo vitæ & necis Domino plenissimè dedit & velle & posse suum.

Habes hìc perfectissimum typum in Christo JEsu crucifixo expletum; qui non tantùm in ara crucis funibus alligatus est, sed & ferreis affixus clavis, in qua cruenta immolatione non motum aliquem inconditum, atque huic summo sacrificio, ex quo salus pendebat omnium, indecentem edidit, sed liberrimè Patris voluntati se commisit, unde ad eum in summis ac mortis doloribus confidenter dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. 27. 46.

5. Hanc veritatem per elegantem expono similitudinem. Est Pater habens unicum ac dilectissimum filium, quem malè affectum tradit chirurgis scindendum & urendum; clamat inter cruciatus filius ligno alligatus, prout fieri solet, & opem Patris implorat; sed non exaudit eum Pater, quia scit hanc ei esse necessariam medelam. Sic Deus Pater non audivit Filium de cruce ad se clamantem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Ut sic sanitas & salus toti ejus corpori mystico conferretur. Ex quibus præmissis, anime mi, vide, & considera, quomodo Justitia divina hìc usa sit jure rigidissimo: *Apud quemcunque*, dicebat quondam Joseph Ægyptiorum Pro-Rex furtum puniturus, *fuerit inventum, ipse sit servus meus*, fuit autem furtum inventum in sacco Benjamin. Ita prorsùs æternus Pater. Furtum nostrum ac delicta nostra inventa sunt in Dei Filio; & quid fecit Pater in hoc fidei jussore: *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Hinc illa venit derelictio in cruce, hinc luctuosus iste clamor: *Eli, Eli lama Sabathani*, quia Deus *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum;* Et apud Isaiam Prophetam: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Gen. 44. 10. Isa. 53. 6. Rom 8. 32. Isa. 53. 8.

Si autem ipse Filius Dei propter aliena delicta in se susceptа tantam derelictionem à dilectissimo Patre sustinere debuit, quantò magis

nos propter propria peccata nostra meremur à Deo derelinqui? Proinde sæpiùs cum Ecclesia clamemus ad Dominum: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum invocatum est super nos, ne derelinquas nos Domine Deus noster.*

Ecclesiain Complet.

6. Videamus nunc exempla Sanctorum. S. Carterus Presbyter & pro Christo crucifixo Martyr glorioſus, inter tot persecutiones Gentilium existimabat se esse aliquo modo à Deo derelictum; unde sese in latebris abscondit; sed admonitus divinâ voce: *Ego tecum ero*, audacter ad martyrii cruentum certamen processit, in quo mira à tyranno & asseclis ejus perpessus est, dum excisis novacula pedum ac manuum unguibus, talis ferro trajectis, succensâ sartagine, liquato plumbo, ignitâ galeâ cruciatus est, à Christo & Angelis ejus mirum in modum recreatus & confortatus lætus cœlum ingressus est.

Nadas. in an. cœl. 8. Jan.

Desertus erat ob persecutiones Gentilium S. Fructuosus Tarraconæ in Hispania Episcopus cum duobus Diaconis S. Augurio & S. Eulogio, qui tempore Gallieni ob amorem crucifixi, quem prædicaverat, primò in carcerem trusus, exinde flammis injectus, manibus in modum crucis expansis, orans sicut Christus in cruce, martyrium suum complere voluit; cujus anima unâ cum sociorum animabus, aperto cœlo, spectantibus pluribus cum jubilo ab Angelis recepta est. En felicem desertionis nostræ finem, quem nobis promeruit crucifixus JEsus, in cruce ab omnibus desertus.

Martyr. Rom. 21. Jan. & Nadasi hoc die

CONSIDERATIO LXXIII.

JESUS in cruce sitiens ardentissimum suum expressit desiderium, quo erga nostram ferebatur salutem.

Dixit sitio. Joan. 19. 29.

1.

VIx David Rex, dum erat in præsidio, & statio Philistinorum in Bethlehem, aperuit os suum, & attraxit spiritum: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem juxta portam.* sine mora tres fortissimi milites irruperunt castra Philistinorum

2. Reg 23. 15.

rum, qui de eadem cisterna haurientes aquam attulerunt ad David, galeâ pro scypho usi: *At ille noluit bibere, sed libavit eam Domino.*

Clamat Filius David in cruce in die magno festivitatis suæ: *Sitio;* O si quis mihi daret potum aquæ! Ubi nunc sunt tres illi fortissimi milites, quos JEsus plurimùm diligebat, & gloriam suam in monte Thaboræo monstrabat? Ubi nunc es Petre, qui paulò ante dicebas: *Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire?* Ecce sitit Dominus tuus, & sititipse fons vitæ usque ad mortem: *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis; & in pulverem mortis deduxisti me.* Ergo nullus erit, qui extremum digiti sui intingat in aquam, ut refrigeret linguam sitientis & morientis in cruce JESU? Luc. 22. 33. Psal. 21. 16.

2. Agar cum filio suo Ismaële in deserto ab omnibus deserta abjecit præ siti nimiâ indignabunda puerum subter unam arborum, & abiit, seditque à regione procul, dicens: *Non videbo morientem puerum,* & sedens contrà levavit vocem suam & flevit. O Virgo dolorosissima & omnium afflictissima Matrum! Ecce Filius tuus unigenitus, cui quondam virgineum lac in potum dedisti, nunc in supremo agone clamat: *Sitio*: ergo nec potum aquæ frigidæ ei subministrabis! Resp. S. Vincentius Ferrerius, quòd mœstissima Virgo & Mater stans juxta crucem, ubi lamentabili voce JEsus clamavit *Sitio*, & ipsa non aliud responsum dederit: *O Fili, non habeo nisi aquam lacrymarum.* O Pater æterne! quid tu ad hæc? Ubi Samson post tam cruentum prælium cum Philistæis peractum exclamavit lassus ac sitiens: *Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior.* Sine mora ex molari dente in maxilla asini fontem aperuisti, & egressæ sunt ex eo aquæ, quibus hausti Samson refocillavit spiritum, & vires recepit. Nunquid potuisses hoc quoque facere cum dilectissimo Filio tuo nunc in cruentissimo passionis prælio præ nimia siti tabescente? Sed noluit Pater, quia Filius pendens & moriens in cruce aliam patiebatur sitim. Gen. 21. 16. S. Vinc. Fer. ser. in parasc. Judic. 15. 18.

3. Observa: Christus à vespere pridiano nullâ per omnem passionem refectione recreatus, propter ingentes ac decumanos exantlatos cruciatus, fusúmque largiter sanguinem siti maximâ exardebat, quam nobis significavit dicendo: *Sitio.* Sed qualem accepit refectionem? Admota est ori ejus spongia aceto plena. En refectionem, quæ magis ad cruciandum & illudendum Deo moribundo offerebatur? ubi vaticinium Jessæi Vatis adimpletum est: *Et in siti mea potaverunt me aceto,* quæ impietas, ait S. Bonaventura, ipsam crucifixionem transcendebat, quia in puncto mortis etiam reo licet sceleratissimo conceditur qualecumque refrigerium. Joan. 19. 29. Psal. 68. 22. S. Bonav. in Med. c. 73.

Fuit proinde crucifixo Salvatori nostro hæc sitis naturalis pœnosissima, sed multò magis sitis spiritualis & sitis animarum, unde Mellifluus, *Potiùs desiderium ardentissimum salutis nostræ credimus sitivisse*. & Divus Augustinus: *Sitis mea salus vestra, fuit mea redemptio vestra.* Ah agnosco in te ô pientissime Redemptor, sitim meæ salutis fuisse majorem quàm tui corporis. Et ego quomodo hactenus huic tuæ respondi siti? Et quid imposterùm faciam?

S. Bernh de pass Dom. S. August. in Psal. 62.

4. Miror, quare Dominus meus JEsus & hic crucifixus inter tot acerbissimos & sexcentos dolores, qui nullis possunt exprimi verbis, de sola siti tantoperè conquestus sit? Hìc grande quid lateat necesse est. Et nunquid à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas? Caput spinis perforatum, manus & pedes clavis perfossi, membra omnia flagellis lacerata; ubique & undique dolor ac cruciatus, & tamen unicam queritur sitim: *Sitio?*

Joan. 19. 10.

Tauler. c. 47. de vit Pass.

Resp. Taulerus: *Habuit aliam sitim, puta amplius patiendi, atque expressius, evidentiusque suum nobis immensum demonstrandi amorem, ac si diceret homini: Aspice, ut tuæ salutis causâ exhaustus, & consumptus sum, & tamen adhuc sitio, nondum satisfactum est cordi meo.* Collige ex hoc anime mi, immensum crucifixi Salvatoris tui erga te amorem; Et quid tu hactenus ei rependisti? De Rege Saul asserit Scriptura: *Totúmque pondus prælii versum est in Saul.* Sic totum pondus prælii, quod propter peccata nostra in hunc nostrum fidelissimum fideijussorem divina inibat Justitia, versum est in Christum; & qui olim dicebat: *Si quis sitiat, veniat ad me, & bibat,* ipse nunc sitiens moritur. Heu quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut refrigerem linguam amantissimi Redemptoris mei! Ah fluite lacrymæ, quibus extinguere potero ardentissimam sitim tuam, ut in extremo die vitæ meæ à te audire merear illa dulcissima verba: *Sitivi, & dedistis mihi bibere.*

1. Reg. 31. 3.

Joan. 7. 37.

Matth. 25. 35.

5. Sisara belli dux ex cruento, cui interfuit bello, vehementissimam contraxit sitim, unde veniens ad Jahel instantissimè potum sibi dari flagitavit: *Da mihi obsecro paululum aquæ, quia sitio valde;* quæ vafra mulier illi lac non aquam præbuit, quo hausto in ejus tabernaculo obdormire cœpit; & quid factum est? *Tulit igitur Jahel uxor Haber clavum tabernaculi, assumens pariter & malleum, & ingressa abscondità & cum silentio posuit supra tempus capitis ejus clavum, percussítque malleo defixit in cerebrum usque ad terram, qui soporem morti consocians defecit, & mortuus est.*

Judic. 4. 19.

Jahel Sisaræ sitientis tempora clavo ferreo transfigens, synagogam adumbravit? illa priùs lacte ejus sitim extinxit, hæc verò Regem Regum ac Ducem suum amarissimo felle & aceto potavit; illa clavo ferreo tempora ejus transfixit, hæc caput spinis, manus ac pedes trabalibus

libus clavis, ac Sacratissimum cor JEsu crudeli lanceâ perforavit. O impia & ingrata Synagoga! Hoc etiamnum faciunt ebrii & gulosi, quos S. Paulus appellat *inimicos crucis Christi*, quorum Deus venter est & finis interitus. Audi S. Augustinum quàm diversa sit mortalium sitis & quàm diversa à Christi siti: *Alius*, inquit, *desiderat argentum, alius aurum, alius hæreditatem, alius honorem, & vix invenitur qui dicat, sitivit tibi anima mea: sitiunt sed non Deo.* O Domine JEsu! quàm pauci hodie norunt Sanguinis tui æstimare pretium! En adhuc de cruce clamas: *Sitio*, salutem tuam & proximi, quam mihi tanti stare vides, ergo nihil mihi, anime mi, dabis refrigerii? Ecce in sanguinis mei opprobrium iis ipsis animabus infernus impletur, quas tam immenso labore, sudore & cruore redemi, & tu, qui vis esse zelator animarum, adhuc altùm indormiscis, & sopore gravi deprimaris? Erige te, *nondum enim usque ad sanguinem restitisti*; Da mihi animas, cætera tolle tibi; quod scriptum legis in manibus meis, quod cordi insculptum, quod nutu capitis, brachiorum expansione, quod denique quâquâ possum ratione significo, unum hoc à te peto, restitue animas Redemptori tuo.

Philipp. 3. 8. S. August. in Psal. 68. Hebr. 12. 4.

6. *Sitio*, clamavit quondam Eliezer servus Abrahamî senior ac fidelissimus, cùm ab illo jam senescente & annum ætatis 140. agente in longinquam fuisset dimissus regionem, ut sponsam filio suo Isaaco dignam quæreret, qui ubi Rebeccam Virginem speciosam & optimis moribus præditam conspicatus est, ad eam dixit: *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua, quæ respondit: Bibe Domine mi, celeriterque deposuit hydriam super ulnam suam, & dedit ei potum.* Et quid sequitur? *Protulit vir inaures aureas &c.*

Gen. 24. 17.

Ecce clamat ad te, anima Christiana, sitibundus ac moriens in cruce JEsus: Da mihi auxilium aquæ ad bibendum de hydria conscientiæ tuæ, aquam veræ devotionis, compassionis, contritionis & amoris mutui, & eris sponsa, quam præparavit Dominus Filio Domini mei; Campatere in siti deficienti JEsu, & roga eum, ut tibi in supremo mortis articulo ad beatam æternitatem anhelanti velit esse propitius. Finio hanc considerationem cum Venerabili Ludovico Blosio: *Laus tibi & honor & gloria Christe, qui exhausto corpore exsanguis in cruce anhelans, vehementissimâ siti cruciaris, & nostræ salutis ineffabili desiderio æstuabas; da mihi honorem tui, animarúmque salutem ardentissimè sitire, & me totum pro illis juxta voluntatem tuam hilariter impendere.*

Ludov. Blos. hic.

CON-

CONSIDERATIO LXXIV.

Quare Christus in cruce, fugiente jam anima, exclamaverit: Consummatum est?

Cùm ergo accepisset JESUS acetum, dixit: Consummatum est. Joan. 19. 30.

1.

CEntum annis laboravit Noë, donec arcam suam perficeret, per quam ab universali diluvio salvaretur genus humanum! in qua tamen nos plures quàm octo animæ conservatæ sunt: Christus Dominus in cruce paucis horis meliorem arcam pro Electis suis fecit, & consummavit, & ideò morti jam proximus post tot exantlatos labores ac dolores dixit: *Consummatum est*; videlicet cœlestis arcæ ædificium; & quia solùm post obitum ejus adhuc supererat ostium in latere arcæ faciendum, in corpore ejus felix hæc janua per militis lanceam aperta est, ita S. Augustinus: *Quòd ostium in latere accepit, profectò illud est vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum est.* S. Cyrillus Alexandrinus per arcam illam Noëmicam Christi crucem intelligit: *Hæc*, inquit, *est arca Noe, per quam salvamur à diluvio inundantis aquæ vitiorum, & molliones salvamur.* Non dicat mihi aliquis illud Lucæ: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*; Cœpit ædificare, dum Verbum in utero Virginis incarnatum est, & consummavit in passione & cruce: *Consummatum est.*

1. Petr. 3. 10

S. Aug. lib. 15. de Civit. Dei c. 26.

S. Cyrill lib. 16 in Jo. c. 17.

Luc. 14. 30.

2. Christus Dominus, cùm paucis ante passionem diebus cum Discipulis Hierosolymam ascenderet, in via inter alia illis futuram suam prædixit passionem, ut magis eos in fide confirmaret: *Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio Hominis tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint occident eum, & tertia die resurget.* Observa hìc ad propositum tò *consummabuntur omnia &c.* O Domine JEsu! Ecce in cruce & in morte tua consummasti omnia, ideò fugiente jam animâ, valido clamore in præsentia tot millium circumstantium exclamasti: *Consummatum est.*

Luc. 18. 31.

Joan. 19. 30.

Innu-

Innumera ferè sacrificia de mundis animantibus Deo quondam in veteri lege per quinque mille annos à tempore sacrificii Abelis oblata sunt, per quæ omnia sacrificia, teste Cornelio, Christus Dominus & hic crucifixus adumbratus est; unde à S. Joanne dicitur: *Agnus ab origine mundi occisus*, qui solus de condigno & de rigore justitiæ Patri pro peccatis nostris & totius mundi poterat satisfacere, hinc in articulo mortis & fine vitæ dixit: *Consummatum est*; hoc est: omnia illa sacrificia & holocausta, quæ me præfigurabant, quorum omnium loco ego in ara crucis tanquam hostia cruenta oblatus sum, unde Apostolus dixit *finem legis esse Christum.* Apoc. 13. 8.

3. *DEI perfecta sunt opera*, dicebat quondam Moyses ad Israëlitas, & non sunt sicut opera hominum, caduca, manca, incompleta & vitiosa, in quibus penè semper aliquid deest; hic, inquam DEus infinitè potens, verè Pater misericordiarum, & DEus totius consolationis perfecit opus creationis die sexto, & die septimo requievit. Ita & Filius die sexto consummavit opus redemptionis, & die septimo requievit, quod per verbum illud Laconicum & sextum in cruce insinuare voluit: *Consummatum est*, quod verbum complectitur omnia Prophetarum de Christo vaticinia. Rom. 10. 4. Deut. 32. 4. Jo. 19. 30.

Jacob moriturus convocatis filiis prophetavit: *Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hoc completum est tempore Christi. Ex quo loco convincuntur Judæi Messiam jam venisse, eúmque tempore Herodis esse natum, ubi defecit sceptrum de Juda: Ecce hoc completum est. Gen. 49. 10.

Isaias prædixit: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Michæas: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël, & egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Vates Regius: *Reges Tharsis & insulæ munera offerent &c.* Zacharias: *Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator, ipse pauper & ascendens super asinam & pullum filium ejus.* Mitto quàm plurima aliorum Prophetarum vaticinia. Lege Psalmum 21. qui totus de Christo patiente & crucifixo est, quomodo compleverit omnia, quæ de ipso scripta erant, hinc dixit in fine vitæ: *Consummatum est.* Subintrat hìc Cornelius: Porrò Christus in cruce continuè orans, se seque totum Deo in victimam offerens pro salute hominum, sub finem vitæ jam moriturus recitavit Psalmum 21. qui totus est de Passione Christi, ut ostenderet se esse illum ipsum, de quo Psalmus ille agit, scilicet Messiam, ut Scribæ & Judæi scrutentur, & cognoscant causam, cur è cruce nolit descendere, vel liberari, esse hanc, quòd ex Patris decreto moriendum illi erat. Isa. 7. 14. Mich. 15. 2. Psal. 71. 10. Zach. 9. 9. Cornel. in Matth. 27. 46.

erat in cruce pro salute hominum! hoc enim David Psalmo illo fore prædixit. Hæc Cornelius.

Exod. 2. 3. 1. Reg. 1. 24. Job. 2. 6. 4. Reg. 2. 23. 2. Reg. 16 6. 3. Reg. 19. 4. 2. Reg. 10. 9 Hier. 37. 14. Gen. 22. 13. Gen 21. 6. Num. 21. 9. Jonæ 2. 11.

4. Si figuras quæris? Moysen infantulum considera, & expositum in carrecto ripæ fluminis. Samuelem puerum in domo Domini in Silo Deo oblatum. Jobum à Sathana tentatum, & ulcere pessimo percussum. Elisæum illusum: *Ascende Calve.* Davidem à Semei lapidibus petitum. Eliam sub umbra juniperi se projicientem. Amasam à Joab proditoriè interfectum. Jeremiam in carcerem missum, & virgis cæsum. Arietem inter vepres hærentem, & spinis coronatum. Isaacum ligna holocausti ad montem Moria ferentem. Serpentem æneum à Moyse pro signo in deserto exaltatum, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur. Jonam in ventre piscis tribus diebus ac noctibus inclusum. Sed ad quid ista omnia? Audi in cruce morientem JEsum: *Cùm ergo accepisset JEsus acetum, dixit: Consummatum est;* omnes istas figuras & plures, quæ de ipso erant, exactè adimplevit; unde ad Petrum in monte Olivario dixit: *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Quæ quasi oracula Dei dicunt, & prædicunt, *quia sic oportet fieri?* Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam: quia sic prædixerunt Prophetæ; quia sic DEus Pater ab æterno decrevit; quia hoc exigebat redemptio nostra, ut ejus pretium ipse Dei Filius in cruce persolveret, unde dixit moriens: *Consummatum est.*

Matth. 26. 54. Luc. 24. 26.

5. O quàm insignes fructus ex hoc Christi verbo possumus decerpere, si attentè illud consideremus: *Consummatum est;* Sic erit in consummatione sæculi: Consummata sunt omnia, quæ Ss. Prophetæ prædixerunt futura de Christo patiente & crucifixo, quia non humana voluntate, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt. Verùm enim verò adhuc aliqua restant adimplenda: *Sicut*, ait S. Augustinus, *usque ad hodiernum diem omnia evenerunt: Sic & quæ restant, eventura sunt. Timeamus diem judicii; venturus est Dominus, qui venit humilis, veniet excelsus &c.* Ita dico hunc diem timeamus, & ultimum vitæ nostræ, quia improvisò veniet: *Sicut in diebus Noë, ita erit & adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; ita erit & adventus Filii hominis;* Vigilate itaque, quia nescitis neque diem neque horam.

S. Aug. cit. à Bellar. de 7. Verb. D.

Matth. 24. 37.

Jacob. 1. 15.

6. O felix verbum *Consummatum est.* Et quemadmodùm peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem, sic passio & mors Christi in cruce, cùm consummata fuit, destruxit peccata, & nobis generavit vitam. Sufficiebat quidem ad redemptionem nostram unica duntaxat pretiosissimi divini Sanguinis stilla, sed ultimam dedit, unde S. Chry-

Chrysostomus: *Quod sufficiebat redemptioni, non satis erat amori*, venit enim Filius hominis, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Ex hoc verbo adhuc aliud morale documentum possumus erue-
re: Hic discendum est, ait devotissimus Lanspergius, ita à nobis esse vivendum, ut in ultima hora vitæ vostræ securi, atque cum gaudio conscientiæ dicere possimus: Consummatum est, hoc est, quidquid me DEus agere, patique voluit, finem habet, omnia perfeci, omnia toleravi, nihil mihi supereſt aliud, quàm ut egrediar ad Dominum DEUM meum, à quo coronam vitæ recipiam. Hoc Paulus audebat dicere: *Bonum*, inquit, *certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* O felix consummatio! hanc mihi & tibi animitùs exopto, charissime Lector.

Lanspergius hoc. 61. de Pass.

2. Timoth. 4. 7.

CONSIDERATIO LXXV.

Meritò confundi debent omnes superbi, dum Christum crucifixum intuentur ac considerant.

Vidimus eum, & non erat aspectus: unde nec reputavimus eum. Isa. 53. 2.

I.

REbecca, de qua Scriptura: *Puella decora nimis, virgóque pulcherrima*, nunc desponsata Isaaco, ubi hunc sponsum suum in habitu vili in agro, die jam inclinatâ, deambulantem & meditantem primâ vice conspicata est, Eliezer servum Abrahami primarium & procuratorem istarum nuptiarum interrogavit: *Quis est iste homo, qui venit per agrum in occursum nobis?* Cui respondit Eliezer: *Ipse est Dominus meus.* Vix hoc audierat Rebecca, sine mora de camelo suo descendit, & se usque ad terram demisit, honoris sponso

Gen. 24. 65.

ſuo deferendi causâ, pallióque ſuo ſe nova nupta contexit: *At illa tollens cuò pallium, operuit ſe.*

Perelegans eſt hæc figura in Chriſto & Eccleſia Sponſa ſua adStella p. 1. c. 3. impleta. Anima Chriſtiana! ſubintrat hìc devotiſſimus Didacus Stella, ſi videris amantiſſimum Sponſum tuum JEſum ire peditem, cruce oneratum, & inter latrones ac nefarios humunciones ad Calvarium collem pergentem, ac paulò poſt in fatali ligno pendentem, adimitationem Rebeccæ te ipſam operire chlamyde, eò quòd pudere te debeat, videre JEſum Altiſſimi Filium in ſumma ignominia, & te in alto hujus mundani honoris camelo adhuc exaltatam ac conſti-

S Bern tr. de Paſſ. c. 17. tutam: O *quanta humilitas*, exclamat S. Bernardus: *Incomprehenſibilis DEus vult comprehendi, ſummus humiliari, potentiſſimus deſpici, pulcherrimus deformari, ſapientiſſimus fieri ut jumentum, immortalis mori; & ut compendio abſolvam, DEus vult fieri vermiculus;* ut te, anima mea, æternùm exaltet; & tu adhuc vis eſſe ſuperba?

Eccleſ. 1. 5. 2. Rectè Sapientiſſimus Eccleſiaſtes: *Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum revertitur* Allegoricè Chriſtus ſol eſt, de quo Vates Regius: *A*

Pſal. 18. 7. *ſummo cælo egreſſio ejus, & occurſus ejus usque ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.* A ſummo, inquam, cœlo, imò & è ſinu Patris egreſſus eſt Sol ille myſticus, ubi natus eſt in mundum; Decidit verò in paſſione & cruce; rurſus ortus eſt in reſurrectione, & in mirabili illa aſcenſione iterum ad locum ſuum, atque ad ſummum cœlum reverſus eſt; *nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus*, hoc eſt ab immenſa ejus charita-

2. Cor. 5 15. te, quæ in cruce diffuſa eſt in omnes, *pro omnibus enim mortuus eſt Chriſtus:*

O anima Chriſtiana! quid tu ad iſta? A ſummo cœlo egreſſio ejus, & usque ad crucem deſcenſus ejus? An potuit DEus & Homo Chriſtus magis ob ſalutem tuam humiliari? Erubeſce Sion! humiliare pulvis & cinis, ſi effigiem crucifixi Redemptoris tui aſpicis. Audi S.

S. Bern. ſerm. 37. de modo bene viv. Bernardum: *Diabolus*, inquit, *per ſuperbiam & cupiditatem dixit; in cœlum aſcendam: Chriſtus cum humilitate dixit: humiliata eſt in pulvere anima mea. Diabolus per ſuperbiam & cupiditatem dixit: ero ſimilis Altiſſimo: Chriſtus per humilitatem factus eſt obediens Patri usque ad mortem. Ad ultimum diabolus per ſuperbiam præcipitatur in infernum: Chriſtus verò per humilitatem ad cœlos elevatur.* Quem tu nunc vis ſequi, anime mi? Reſolve te.

3. Quæres, quare DEus hominem non ex auro, non ex argento,

Gen. 2. 7. vel ex alia pretioſiore materia formaverit: *Formavit igitur Dominus DEus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem?* Obſerva: DEus primò corpus hominis in modum ſtatuæ de limo terræ efformavit, uti plaſtæ luteos fingunt ho-

Job. 10 9. mines. Et hoc eſt, ad quod alluſit patientiſſimus Job: *Memento quòd*

ſim

sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me; in quem finem & DEus Jeremiam ad domum figuli misit, ut ibidem contemplaretur suam Jerem. 18. 2. originem ac matricem, scilicet lutum, & sic disceret humiliare se & sub potenti manu Dei non exaltari! ideò DEus hominem non ex auro, vel argento, sed ex luto formare voluit. Ex qua materia etiam humanitas Christi à Spiritu Sancto efformata est; unde Eminentissimus Cardinalis Hugo: *Terra fuit Christus in passione: terra infimum locum tenet & plus non potuit descendere: nec Christus magis potuit humiliari, quàm ut pareretur pro nobis &c.* Unde apud Psaltem ait: Factus sum ut Jumentum apud te: Et ego semper tecum. Hugo Card. hìc Psal. 72. 23.

4. Olim crucifixi tum mortui, tum vivi canibus ac aliis belluis in prædam dati sunt, ut patet de S. Blandina crucifixa, de qua Eusebius: *Blandina*, inquit, *in ligno suspensa proposita est in prædam & laceracionem feris irruentibus.* Et hoc est, de quo etiam conqueritur apud Vatem Regium crucifixus Dominus: *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Et iterum: *Circumdederunt me vituli multi. Tauri pingues obsederunt me.* Et quinam dices, hi canes erant, vituli atque tauri, qui crucifixum JEsum in Calvario monte circumdederunt? Euseb. l. 5 c. 1. Psal. 21. 17.

Resp. Le Blanc: Canes erant Judæi ob latratus & accusationes apud Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, ac demum in ipso Golgothæo jugo in mediis tormentis continuò Christum allatrantes, illúmque seductorem populi, blasphemum & prohibentem tributum dare Cæsari appellantem; proinde dignum esse, ut tali abominando, ut rebellis Cæsari, publicè coram omni populo interimatur supplicio: *Reus est mortis.* Sed & vitulis comparati sunt: *Circumdederunt me vituli multi.* Et cur hoc; Resp. Propter petulantiam, varias gesticulationes, cachiños, insultationes in Christum cruci affixum: *Prætereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, Salva temetipsum: si Filius Dei es, descende de cruce.* Le Blanc hìc. Matth. 26. 66. Matth. 27. 39.

Addit Vates Jessæus in persona Christi crucifixi: *Tauri pingues obsederunt me.* Et quinam hi tauri pingues? Resp. Idem illustris Interpres: Pontifices, Judæorum principes, Seniores populi, Scribæ & Pharisæi meritò in Scriptura vocantur tauri pingues propter superbiam, erant enim similes tauris Annibalis, quibus caput & caudæ fœno accenso ardebant, & sic cæco impetu in hostes ruebant; ita & illi Ecclesiastici Judæorum œstro perciti & superbiâ inflati in Christum patientem ac in ligno pendentem irruebant: *Similiter & principes Sacerdotum illudentes cum scribis & Senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Ex quibus Psal. 21. 13. Matth. 27. 4.

patet, pientissimum Redemptorem nostrum & hunc crucifixum summis, mediis & infimis, à sæcularibus & Ecclesiasticis, à doctis sive scribis, & indoctis, à senioribus & junioribus ludibrio fuisse habitum, in quibus tamen summè erat laudabilis. Hoc fecit superbia eorum:

S. August. in Ep. S. Jo. *Væ homini*, ait S. Antistes Hipponensis, *cujus auriga superbia est: necesse est enim ut præceps erat.* Ecce anime mi! Si tibi simile quid acciderit, si propter virtutes & benefacta haberis à superbis & arrogantibus

Jo. 15. 20. contemptui; Cogita: *Servus non est major Domino suo; si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

Luc. 6 19. 6. Superbia & luxus divitem Epulonem perdidit: *Induebatur purpurâ & bysso: & epulabatur quotidie splendidè.* Et quid tandem in fine? *Mortuus est, & sepultus in inferno.* O quot sunt defacto adhuc tales superbi & arrogantes, in quibus nihil invenies præter inania folia. Esuriit aliquando Christus Dominus, & cùm vidisset à longè ficum, accessit

Marc. 11. 12. Matth. 13. 49. ad eam, si quid fortè in illa inveniret, sed *nihil invenit, præter folia.* Sic erit in morte superborum & in consummatione sæculi: Exibunt Angeli, & separabunt eos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis, ubi erit fletus & stridor dentium; intellexistis hæc omnia; O superbi, ô arrogantes, *intellexistis hæc omnia?*

Cæterùm referunt Annales PP. Capuc. ad annum Christi 1560. n. 6. de superba & illustri fœmina, quæ novum modum inter vestes in urbem invexit; quæ cùm graviter infirmaretur, assiduò inclamavit: *Damnata sum.* Vocatur confessarius, solatur mœstam, proponens crucifixum. Frustrà omnia. Et ecce dum hæc fiunt, adest in tempore infernalis dæmon, & superbam hanc furiam in orcum rapit. Ite superbi: hic locus vester est.

CON-

CONSIDERATIO LXXVI.

Christus in cruce patiens amaris lacrymis nostrarum deplorat jacturam animarum.

Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia. Hebr. 5. 7.

1.

FLevit quondam David non tam præsentem, quàm æternam filii sui Absolomi mortem, eò quòd in flagranti parricidii delicto lanceis confossus infelicem animam exhalavit: *Contristatus itaque Rex ascendit cœnaculum portæ, & flevit.* 2. Reg. 18. 33.

Flevit Samuel Propheta Saulem non tam regno, quàm & vitâ ac salute suâ æternâ privandum: *Lugebat Samuel Saulem, quoniam Dominum pœnitebat, quòd constituisset eum regem super Israël.* 1. Reg. 15. 35.

Flevit Ezechias in morbo, quem ei mortem prædixerat Prophetarum Princeps Isaias brevi allaturum; proinde se convertit ad templi parietem, ut attentiùs ac liberiùs ad DEum preces cum lacrymis funderet: *Flevit itaque Ezechias fletu magno.* Convertit autem se ad parietem hoc est, prout hìc asserit S. Gregorius Magnus, ad humanitatem Christi JEsu Redemptoris nostri, quia *ipse stat post parietem nostrum.* 4. Reg. 20. 3. Cant. 2. 9.

Flevit & pientissimus Salvator noster in lectulo crucis paulò post ex hac vita discessurus. Ita Gentium Doctor Paulus: *Cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia;* Clamavit clamore valido, quando ad Patrem dixit: *DEus meus, DEus meus, ut quid dereliquisti me?* Flevit, quia prævidit acerbissimæ passionis suæ & copiosæ redemptionis inutilitatem in multis; unde per Psalmistam conquestus est: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Hebr. 5. 7. Psal. 29. 10.

2. Quòd inter arcta conditus præsepia adhuc tenellus infans pias effuderit lacrymas: *Et primam vocem similem omnibus emisit plorans,* non miror, quia illi tenellæ ætati quasi proprium est, ut miserias suas ac ærumnas per ejusmodi fletum demonstret: *Infantia,* ait S. Augustinus, *non à risu, sed à fletu orditur hanc lucem,* quod & Christus fecit. Sap. 7. 3. 5. Augustin. 21. Civit. 14.

Quòd

Quòd Lazaro fideli amico suo defuncto lacrymis parentaverit:
Jo. 11. 35. *Et lacrymatus est JEsus.* Item quòd videns civitatem Solimæam in simi-
Luc. 19. 41. les lacrymas proruperit: *Videns civitatem, flevit super illam*, amor hoc fecit. Ita videns Jacob de longè Rachëlem futuram sponsam suam ad
Gen. 29. 11. puteum cum ovibus suis adventantem, *elevata voce flevit.* Flevit & JE-
Hebr. 5. 7. sus in cruce: *Cum clamore valido & lacrymis offerens* hoc cruentum sacri-
S. Bern. ser. 3 in Dom. psalm. ficium: *Christus*, inquit S. Bernhardus, *non contentus fuit lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra flere, & lavare voluit.* O fletum verè miserandum, videre JEsum, vitam nostram, nunc morti appropinquantem, tam amaris lacrymis animarum nostrarum deplorantem jacturam! ô fletum miserandum!

Hebr 5. 7. 3. Et subjungit S. Paulus: *Exauditus est pro sua reverentia.* Et quomodo, dices, Christus in cruce à Patre fuit exauditus? Observa: Oravit in monte Olivario cum lacrymis, & exauditus est à Patre, dum
Luc. 22. 43. ei Angelum consolantem submisit: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum.* Oravit & in monte Calvario cum lacrymis, & consolatus
Luc. 23. 42. est non ab Angelo, sed ab uno latrone pœnitente: *Domine memento mei.* Hoc crucifixo Redemptori nostro summum in ultimo agone erat solatium, ubi vidit saltem unicam animam ab inferni faucibus per
S. Bernh. c. 3 Med. passionem suam esse ereptam: *Exauditus est pro sua reverentia;* Proinde iterum Doctor Mellifluus: *Flevit super illam* (hoc est animam) *nec solùm flevit, sed etiam occidi se permisit, ut pretiosissimi sanguinis sui pretio eam redimeret.* O Christiane! Si tamen verus Christianus es, Christum amas & sequeris? O Christiane, inquam, collige vel ex hoc summam animæ tuæ dignitatem, & irreparabilem jacturam, si hunc thesaurum in agro corporis tui absconditum per socordiam tuam aliquando perdideris: *Flente Domino pro nobis*, ait S. Bonaventura, *omnes cum ipso flere debemus.* Sed Eheu! ubi sunt lacrymæ nostræ?

4. Filii illi Prophetarum fleverunt propter amissam unam securim, quæ inter secanda ligna illis in Jordanem fluvium ex improviso delapsa est, unde multis cum lacrymis ad Elisæum Prophetam exclamarunt: *Heu, heu, heu Domine mi, & hoc ipsum mutuò acceperam.*
4 Reg 6. 5.

Esau irremediabilibus lacrymis sua deploravit perdita primogeGen 27. 34 nita, quem planctum Scriptura rugitum appellat: *Irrugit clamore magno*, dum quasi leo in sylva ob ereptam prædam irrugiit.

Phaltiel filius Lais mœstis lacrymis deplanxit Michol ereptam sibi uxorem putatitiam, quam priùs David cæde centum hostium
2. Reg 3. 15. sibi emerat: *Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel filio Lais, sequebatúrque eam vir suus, plorans usque Bahurim.*

Michas

Michas amarissimè flevit, dum Danitæ idola sua surripiebant, quos plorans de longè secutus est; & cùm hi causam hujus tam inconditi ploratûs inquirerent: *Quid ploras?* Respondit: *Deos meos, quos mihi feci, tu-listis, & dicitis quid tibi est?* Judic. 18. 24.

Mulieres illæ Gentiles vehementer deplangebant Adonidem sibi ereptum, quas Ezechiel ad portam atrii exterioris in templo Dei sedentes observavit: *Et ecce ibi mulieres sedebant, plangentes Adonidem.* Ezech. 8. 14.

O filii hominum! usquequò gravi corde? ob vilissima crepundia, ob pomum ereptum, ob unam amissam securim cum pueris ploratis & ejulatis: perditis econtra per unum peccatum mortale pretiosissimam animam vestram, gratiam divinam, paradisum, ipsumque Deum, & ridetis, ah miseri! ad ipsum vestrum interitum? *Sùntne in te*, subintrat S. Augustinus, *Christiana viscera pietatis, qui plangis corpus, à quo recessit anima, & non plangis animam, à qua recessit Deus?* Et non plangis Amorem tuum crucifixum JEsum, qui cum clamore valido & lacrymis se pro tua in ara crucis obtulit salute? Et si quidem illum non dignum æstimas unicâ tuâ lacrymulâ (Vah portentum ingratitudinis) cur non lacrymas fundis propter innumera & enormia tua peccata, quibus de novo hunc Filium Dei crucifixisti? ah cur non ploras? S. August. cit. à S. Antonino P. 4 tit. 7. c. 6. §. 3.

5. Audi quid memorabile. In Ecclesia Forstenridensi, qui locus unâ leucâ ab Electorali urbe Monacensi in Bavaria distat, hodie magna cùm veneratione in principe altari colitur antiquissima quædam imago crucifixi Redemptoris nostri, quæ priùs in monte Sancto Andecensi multis prodigiis celebris, cum Agnete Bavariæ Ducissa pientissima & exinde Philippi Secundi Francorum Regis conjuge trinâ vice humanâ voce locuta est, & antequàm Hunni Bavariam igne & ferro vastarent, per octo integros dies sanguineas lacrymas sudavit, per quam Sacram imaginem Deus etiamnum hodie miseris mortalibus illuc devotionis causâ confluentibus, mira solet elargiri beneficia. Versus, quos ibidem reperi, hìc subjungo: Ex libro de confrat. S. Crucifixi f. 5. Monachii edito anno 1613.

Hâc mississe ferunt ter vocem ex arbore Christum,
Sanguine & octonos immaduisse dies.
Jam tacet, & nullæ stillant è corpore guttæ;
Nimirum guttas vellet habere tuas.

6. Coloniæ Agrippinæ in templo B.V. Mariæ de Monte Carmelo ad venerationem exposita est vetustissima quædam imago crucifixi Domini, quæ per nefarium lusorem, dum infelici alearum lusu omnes suas perdiderat pecunias, impio pugione in vultu & oculis sauciata prodigiosum sanguinem ac cruentas lacrymas stillavit. Ægid. Gelenius in Magnit. Colon. L. 3. Syntagmate 43. §. 6.

En JEsus tuus & hic crucifixus in sacris suis imaginibus adhuc hodie tua & quidem sanguineis lacrymis deplorat peccata, & tu peccator inveterate, adhuc stas immotus? Cur non exclamas in animo contrito & humiliato cum Vate Threnologo: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte* interfectum in cruce amantissimum Redemptorem meum.

Hier. 9. 1.

Olim JEsus *fatigatus ex itinere sedebat super fontem*, & quidem horâ sextâ diei, expectans conversionem & lacrymas unius peccatricis animæ. S. Antonius Paduanus per hunc fontem crucem intelligit, in qua te etiamnum expectat, anima Christiana, sitiens lacrymas tuas mitissimus JEsus: Et nondum vis venire? Ah nondum?

Joan. 4. 6. S. Ant. Pad. hic.

CONSIDERATIO LXXVII.

Aspectus & consideratio crucifixi JEsu optimus est iræ & iracundiæ sedandæ medicus.

Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem. Hebr. 12. 3.

I.

DAvidi Regi in fuga contra faciem Absalonis nudis pedibus montem Oliveti ascendenti, & amarè suam ac subditorum miseriam deploranti occurrebat Semei, homo protervus & irâ percitus, plura maledicta ac convitia in Regem suum fulminans, imò & lapides in illum mittens: *Et maledicebat, mittebátque lapides contra David.* Quid ad hoc Rex mansuetissimus: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus.* Voluit quidem Abisai hunc rabidum canem ad condignam deposcere necem, illique amputare caput, sed prohibuit Rex: *Ego autem sicut surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum, & factus sum sicut homo non audiens; & non habens in ore suo redargutionem.*

2. Reg. 16. 5. Psalm. 131. 1.

Psalm 37. 14.

En perfectissimum typum Christi Domini, Filii Davidis, quomodo ira sit refrænanda, & quomodo irato ac insano homini sit obvian-

viandum, de quo mitiſſimo orbis Servatore præclarè S. Petrus: *Qui cùm maledicerētur, non maledicebat: cùm paterētur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe iniuſtè: qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus cujus livore ſanati eſtis,* 1. Petr. 2. 23.

2. Moyſes Hebræorum dux ac legifer olim ante tabernaculi fores ſpeculum perlucidum appendit, in quo tabernaculum Dei ingreſſuri ſe priùs inſpicerent, & ſi quid incompoſitum ac maculatum in corpore ſuo reperirent, in labro lavatorio non longè ab ejusmodi ſpeculo poſito emendarent. Exod. 38. 8.

Speculum in cubili noſtro ſit crucifixus JEſus, cujus imago ſemper in conſpectu noſtro pendeat. Cùm ergo ſubinde contrarii exurgunt adverſitatum fluctus, & nobis maledicunt Semei ſcelerati, ne, quæſo, ſimus ut fatui, quia *fatuus ſtatim indicat iram ſuam*, ſed deprimamus iræ motus, quia ſatiùs eſt ignominiam ſibi illatam juxta exemplum Chriſti occultare, & condonare, quàm commemorando renovare & augere; unde rurſus S. Petrus: *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Audis hoc irate: Prov. 12. 16. 1. Petr. 2. 21.

3. De Tigride habet Job: *Tigris periit, eò quòd non haberet prædam.* Ex quo patet, quòd ſit animal voraciſſimum, ferociſſimum, ac ſæviſſimum, ſitiens ſemper humanum cruorem. De quo ulteriùs referunt, quòd per ſolum ſpeculum immanis illius ira frangi ac mitigari poſſit, dum enim ad prædam excurrit, interim venatores rapidiſſimo equorum curſu ad illius cavernam feruntur, ejúsque catulos rapiunt, quorum loco ſpeculum appendunt, in quod tigris mater, rediens de præda, ſollicitè intuens, atque ſe ipſam in illo conſpiciens, credit adhuc cæteros ſupereſſe catulos, & ſic facili modo placatur, ferámque deponit iram. Job. 3. 11.

Homo Chriſtiane! ſi adversùs proximum tuum degeneraſti in furentem tigridem, inſpice priùs, antequam iraſcaris ſatis, in ſpeculum non fallax, crucifixum JEſum tuum, eúmque impenſiùs contemplare, & videbis, quòd nullus ſit efficacior iræ ſedandæ modus, quàm pia illius contemplatio. Ita S. Ambroſius: *Si paſſio Redemptoris ad memoriam reducatur, nihil tam durum, quod non æquo animo toleretur.* Ita S. Elzearius Comes Arriani iram domuit, quotids enim aliquid injurium ſibi dici, vel fieri ſentiebat, ſine mora ad Chriſtum crucifixum confugiebat, nec ab ejus ceſſabat conſideratione, donec tantæ patientiæ exemplo, motus iræ ſubſideret, ac priſtina rediret animi tranquillitas. Imitare illum, ſi iratus es. S. Ambroſ. tr. de conflictu virtutum & vitiorum. Sur. in Vita.

4. Jacob Patriarcha ubi tunicam filii ſui Joſeph in ſanguine hœdi intinctam, ac fœde dilaceratam conſpicatus eſt, non ſine lacrymis

Gen. 37. 33. & vehementi animi dolore exclamavit: *Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph.* Hæc fera pessima ira fuit & invidia fratrum erga Joseph, quia à patre plùs diligebatur. Similis fera pessima (ira & invidia) devoravit Filium æterni Patris, eúmque in crucem egit; unMatth 27. 18. de de Pilato judice Romano Evangelista commemorat: *Sciebat enim quòd per invidiam tradidissent eum.* Joseph, quia fratrum suorum iracundiam paGen. 41. 40. tienter sustinuit, ad summum gloriæ apicem sublimatus est: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Plus Christus in cœlo fuit exaltatus, quia patientissimo animo Judæorum iræ cedebat & invidiæ. Joseph jam Pro-Rex ubi se fratribus aperuit, eósque cum muneribus ex Ægypto ad patrem remisit, præcepit illis: *Ne irascamini in via*, noverat enim illorum litigiosam mentem ac indolem. Hoc idem nobis Christus de cruce dicit: *Ne irascamini;* unde rectè S. Joan. Chry-

Gen. 45. 24. S. Chrysost. hom. 88. in Matth. c. 27. sost. *Si succendi cor tuum irâ senseris, pectus continuò signaculò crucis signato: repete memoriâ, qua tunc (in Passione) facta fuerunt; & ira illicò, tanquam pulvis dissipabitur.*

5. Et quid, obsecro, magis nocere potest corpori & animæ hominis, quàm ira nimia & immodica? Olla fervens est, succensa & æstuans, nil nisi eructans fæces: homo iracundus contra Deum & homines diras evomit blasphemias. Vipera est in partu matrem necans: ira corpus & animam perdit. Venenum aspidum est insanabile cor hominis irati corrodens, atque consumens: ira similem præstat effectum, ô quot jam in Tartarum ablegavit? Hostis est humanæ vitæ, quia mutuam tollit dilectionem, tunicámque Christi inconsutilem dilacerat, quam Dominus indivisam voluit in sua Ecclesia remanere, hoc est mutuam charitatem. Bestia denique est, auferens imaginem Dei, ad quam homo creatus est, & imprimens animo illius caracterem bestiæ, id est, diaEphes. 4. 26. boli. Procul igitur ab hac bestia, procul ab ira immoderata: *Sol non occidat*, ait Apostolus, *super iracundiam vestram.*

6. Audi quid S. Birgittæ acciderit. Vidi quondam Romæ in templo S. Pauli Ap. antiquissimam Christi crucifixi imaginem in die Paraseeve in altari dextro, lugubri & atro ornatu inter quamplurimas accensas candelas ad venerationem fidelibus expositam, coram qua venerabili effigie S. Birgitta Suecica in terra humiliter prostrata sæpiùs humillimas fundebat preces; ad quam aliquando benignus Dominus vultum, faciémque revolvens dixit, atque propter levem iræ motum eam paLud. Blos. c. 4. Monil. Spir. ternè monuit: *Ego creator & Sponsus tuus propter te sustinui verbera; tu verò impatiens adeò fuisti, ut verba portare non potuerit. Ego stans ante judicem tacui, & non aperui os meum; sed tu acerbiùs respondendo, & exprobrando vocem tuam nimis exaltasti. Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus sui pro te, debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo posthæc cautior, &*

ubi

ubi ab aliquo adiram provocata fueris, non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo recedat; transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius commotionis diligenter pensatâ, poteris loqui cum mansuetudine. Quod si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares, melius faceres, & majus meritum acquireres, si sileres. En hìc habes anime mi, perfectum iræ sedandæ modum, & quidem ab ore veritatis, crucifixo JEsu.

7. Imaginare tibi Samsonem, cui Philistæi ambos eruerunt oculos, & sic clausum ac cæcum in carcere molere fecerunt; adinstar equi, cui operiuntur oculi, ut in molendino expeditiùs per totum diem circumeat, & gravissimam trahat molem. Sic per iram, ait Bellovacensis, gratiæ lumen amittitur, & mentis excæcantur oculi; cæci enim sunt omnes immodicè & injustè irati, propriam non videntes miseriam, atque sic velut impii in circuitu ambulant, nec ulteriùs in virtute progrediuntur. Sursùm ergo corda omnes illi, qui facili de causa proximo suo solent irasci: *Ut mens*, ait S. Gregorius, *solicita, antequam aliquid agere incipiat, omnes sibi, quas pati potest, contumelias proponat: quatenus Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet. Jacula enim prævisa minus feriunt.* Adverte anime mi, ut statim atque moveri te sentis, iram cohibeas, & si internam commotionem fortasse sedare non possis, saltem linguam contineas, interim aspiciens crucifixum JEsum, quid ille in passione sua fecit: *Aspicientes in Auctorem fidei, & consummatorem JEsum.* O quàm felix, si ista feceris.

Judic. 16. 21.

Bellov. l. 5. spec. 1. p. 1. hist. 1.

S. Gregor. lib. 5. Moral. c. 32.

Hebr. 12. 2.

8. Talis fuit ille Nobilis in Villa de Albayda, in quo loco S. Ludovicus Bertrandus Ord. Præd. concionem fecerat, ac publica hominum peccata acriter castigaverat. Erat tunc in concione Nobilis Eques, qui reprehensionem velut uni sibi factam assumens, servum suum ad S. Virum amandavit, ut dicta in concione in cathedra publicè revocaret, nisi mortem certò vellet exspectare. Cui S. Bertrandus magna cum modestia: Tuo, inquit, Domino renuntia, felicem me fore, si in tali causa vitam & sanguinem potero profundere; quo accepto responso homo ille Nobilis, irarum turbidus æstu, ad cœnobium PP. Dominicanorum equô vectus properat, Patrem invenit: Et túne, inquit, Frater, ausus es me in publica concione reprehendere; Et dicto citiùs sclopum brevem in pectus ejus laxat, & explodit. Et ecce ingens prodigium! Dum Sanctus iste Signum crucis super injustum aggressorem facit, sclopus ille repentè in effigiem crucifixi convertitur, quo miraculo homo nefarius permotus, ad S. Viri pedes provolutus, omnem iram deposuit, veniámque submississimè rogavit. Disce ex hoc:

Ex Vita S. Bertrandi O. P.

Desine ab ira, & derelinque furorem. Psal. 36. 8.

CONSIDERATIO LXXVIII.

Christus in cruce despectus docet nos omnia terrena despicere, & solum Deum purâ mente sectari.

Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum. Isa. 53. 2.

1.

Cùm quondam Rebecca nunc Isaaco desponsata de longè in itinere suo videret Sponsum suum adventantem, & sibi in vili habitu, & ut peditem obviantem, advertit Scriptura, quòd sine mora de camelo suo in terram se demiserit, honoris sponso suo deferendi causâ & amore: *Rebecca quoque conspecto Isaac,* Gen. 14. 64. *descendit de camelo, & ait ad puerum: Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitque ei: Ipse est Dominus meus. At illa tollens citò pallium operuit se.*

Anima Christiana! Ecce plus in cruce quàm Isaac, hic typus, ille prototypon, hic servus, ille Dominus universorum pro omnium salute non in typo, sed in veritate crucis in ara immolatus. En Sponsus tuus est: hic, inquam, tibi se obvium exhibet non nudipes tantùm, sed & toto corpore nudatus, plagatus, despectus ac novissimus virorum. Proinde, anima mea, descende de camelo superbiæ tuæ, & ad imitationem Rebeccæ te cooperire chlamyde verecundiæ, quia Sponsus tuus, & sponsus sanguinum est. O quàm malè conveniunt Christus JEsus & hic crucifixus & tu? hic in summo contemptu, & tu in honoribus? hic despectus & novissimus virorum, & tu in superliminaribus superbe; hic in summis doloribus, & tu in deliciis & mundi intricata vanitatibus? Descende, descende igitur de camelo tuæ superbiæ, arrogantiæ & propriæ æstimationis. Descende asperando præsentis sæculi vanitates & illecebras, ac conforma te vitæ & moribus pretiosissimi Redemptoris tui, ut cum ipso frui possis veris cœlis deliciis.

2. Spon-

2. Sponsa illa dilecta, ubi Sponsum suum in mensa sua nuptiali accumbentem conspicata est, ingressa ad eum, unguentum intulit nardinum pretiosissimum, ex cujus odore Sponsus mirum in modum recreatus est: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Observa: Accubitus & mensa nuptialis Christi fuit in cruce, ita exponit Glossa interlinearis, & multi alii Interpretum, ibi pascebat, ibi cubabat in meridie. Esto & tu, anima Christiana, talis bonus odor virtutum, & humilis nardus, contemplando & imitando crucifixum Sponsum ac amorem tuum, *ut totus tibi*, ait S. Augustinus, *figatur in corde, qui totus pro te fixus fuit in cruce* Cant. 1 11. S Augustin. lib. de Virg.

Respice proinde sæpiùs in faciem Christi tui, & disce ab eo, quomodo hic Deus immensæ majestatis, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, cuncta hæc terrena despexerit, & tanquam momentum stateræ, & tanquam guttam roris antelucani æstimaverit. Volebant illum quidem Hebræi, ubi insigni miraculo quinque panibus hordeaceis & duobus piscibus quinque hominum millia satiavit, illum facere Regem, sed *fugit in montem ipse solus.* Supra quod S. Gregorius: *Rex fieri noluit, ad crucis patibulum sponte pervenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit, ut membra ejus discerent favores mundi fugere &c.* Joan. 6 15. S. Gregor. 1. p. past. c. 5.

3. Jonathas princeps ille regius intimo ac planè tenerrimo Davidem prosequebatur amore, nam anima ejus quasi glutino cum Davidis anima erat compacta in unum. Et ut magis erga Davidem suum demonstraret fidelissimum amorem, proprias suas exuere vestes voluit, easque sincerissimo contradere amico, quia diligebat eum tanquam animam suam: *Nam expoliavit se Jonathas tunicâ, quâ erat indutus & dedit eam David & reliqua vestimenta.* 1. Reg. 18. 4.

Jonathas in pluribus tum in vita, tum in morte factus est typus Christi Domini, qui ut suum erga te, anima Christiana, domonstraret amorem, non tantum vestes tradidit: *Et super vestem meam miserunt sortem*, sed & se ipsum nudum in fatali crucis ligno dirissimis clavis affigendum exhibuit, ut salvaret te ab interitu, & cœleste pararet regnum, ex quo per peccatum excideras. Disce ex hoc, si dulcem illum Jonatham nudum & expoliatum vestibus in cruce suffixum aspicis, quomodo ad exemplum illius te oporteat omnia terrena contemnere, Christum nudum sectari, & solùm desiderare cœlestia. Audi Doctorem Gentium: *Estote*, inquit, *imitatores Dei, sicut filii charissimi: Et ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Psal. 21. 19. Ephes. 5. 1.

4. Acce-

4. Accedamus ad ipsum gratiarum fontem, Christum JEsum & hunc crucifixum. Dic, obsecro, Domine JEsu & Amor crucifixe, quam ob causam paulò ante mortem tuam tam lamentabili voce pendens in
Joan. 19. 28. cruce exclamaveris: *Sitio;* An quia *aruit tanquam testa virtus tua, & lingua*
Psal. 21. 6. *tua adhæsit faucibus tuis* ex defectu cruoris, quem prope jam omnem in flagellatione & crucifixione profudisti, & proinde humidum illud radicale jam propemodum erat exhaustum? Causam assignat Rupertus
Jon. 4. 4 Abbas: *Ideo sitiens moritur, ut ostendat nihil esse in mundo, quod sitim expleat.* Lætatus est Jonas super hedera sua lætitiâ magna, sed mox præparavit Deus vermem, *& percussit hederam, & exaruit.* Sedet Balthasar in regia mensa, commessatur & tripudiat, interim cervici ejus imminet gla-
Dan. 5. 30 dius vindictæ divinæ: *Et eâdem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.* Filii Job genio sublautissimè indulgent, interim surgit ventus vehemens,
Job. 1. 18. qui concussit angulos domûs, *quæ corruens oppressit liberos.* O vanitas vanitatum! & omnia vanitas, præter amare JEsum & hunc crucifixum.

5. Salomon collegit & undique corrasit opes, tantámque coacer-
3. Reg 10. 27. vavit argenti vim, quanta ferè erat lapidum in Jerusalem: *Fecitque ut tanta esset abundantia argentum Jerusalem, quanta & lapidum,* Alexander Mace-
1. Mach. 1. 3. do imperium suum adusque mundi fines extendit, *à cujus conspectu terra siluit* præ timore videlicet tot victoriarum, ut nemo contra eum ne quidem hiscere, aut sinistrum verbulum loqui auderet, sed sicut ca-
Esther. 1. 1. nes coram fortissimo leone conticescerent. Assuerus potentissimus Monarcha centum & viginti septem præfuit provinciis, ob regni gloriam, potentiam, majestatem & immensas divitias orbi notissimus.
Psal. 75. 6. Sed ubi nunc sunt viri illi divitiarum? *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Vera gloria est gloriari in
Philipp. 3 7. cruce D. N. JEsu Christi, propter quem omnia æstimanda ut detrimenta &c.

6. Statuam illam superbam Regis Nabuchodonosoris unicus lapis
Dan. 2. 34. de monte cadens dejecit, atque confregit: *Et abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos: tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum.*

Lapis hic Christum præsignabat (ita Cornelius & alii) & quidem hunc crucifixum, de quo S. Petrus, imò & ipse Christus: *Num-*
Matth. 21. 42. 1. Petr. 2. 6. *quam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris?* Rejecerunt quidem Judæi hunc lapidem vivum, ut inutilem pro fundamento Synagogæ suæ, imò & ipsum, tanquam sibi contrarium ad cru-
Jerem. 11. 19. cis mortem damnarunt, & occiderunt: *Mittamus lignum in panem*

ejus,

ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. Sed factus est idem lapis in caput anguli, & contrivit Synagogam & superbam quadrifidam Nabuchodonosori statuam, hoc est quatuor orbis monarchias, videlicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum & Romanorum, ut ex hoc orbis agnoscat universus, quòd ille sit universorum Dominus, qui quondam *Regnavit à ligno DEus.*

7. Testem hujus veritatis adduco omni exceptione majorem Canutum Angliæ & Daniæ Regem. Deambulabat hic aliquando animi recreandi gratia ad littus oceani, ubi ab aulæ proceribus & adulatoribus (quia *laudator* per anagramma *adulator*) appellatus est Rex Regum omnium potentissimus, qui hominibus, qui mari, qui terræ latè imperaret. Tum Rex tacitus hanc simulans adulationem, sedem in littore collocari jussit, mari dicens & imperans: *Unda: tibi impero, ne pedes meos tangas.* Vix hæc pronuntiaverat, ecce tumultus maris! exurgunt & insurgunt contra Regem fluctus, quibus totus superfundebatur. Tum ille retro progressus, & ad suos conversus: En inquiebat, vos me vocatis Regem Regum, qui terræ marique possim imperare, & tamen hanc undam contra me insurgentem imperio meo cohibere non potui. Est alius Rex & hic JEsus crucifixus, qui solus est Dominus Dominantium, hunc veneror, hunc adoro. Dixit, & Vintoniam profectus, coronam quam gestabat, capiti imaginis Christi crucifixi ipse propriis manibus imposuit. Vade, & si spiritus superbiæ te inflat, fac similiter. Polydorus Virgilius lib. 7. Hist. Anglor.

CONSIDERATIO LXXIX.

Sanguis Christi patientis crucifixi ab impiis proculcatus, & sicut aqua effusus, quid nobis insinuet?

Sicut aqua effusus sum. Psal. 21. 15.

1.

THecuitis prudens illa mulier, ut demonstraret Davidi Regi vitam hominum fluxam esse atque evanidam, hoc ei argumentum objecit: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Si Christum in cruce toto corpore saucia- 2. Reg. 14. 14

tum ac cruentatum consideramus, jure merito fateri & dicere possumus illud Davidis: *Sicut aqua effusus sum* Et quemadmodùm aqua effunditur, ac projicitur, sine cura, & sine circumspectione, pedibúsq; prætereuntium proculcatur: ita divinissimus Sanguis Christi JEsu à flagellatoribus in dirissima illa laniena, ac præsertim in crucifixione pedibus impiorum proculcatus est. O Domine JEsu! nunquid hìc in ve-
Psal. 29. 10. ritate dicere poteras: *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Hoc idem dicit cuilibet Christiano indignè communicanti: *Quæ utilitas in sanguine meo* Sacramentaliter sumpto, *dum descendo in corruptionem*, id est in corruptum peccatorem, ah quæ utilitas! an non hoc est corpus & Sanguinem Christi de novo proculcare?

2. Mirificum Christi amorem erga genus humanum abunde crux probat, quia in ea pro nostra salute omnium tormentorum genera perpessus est. Passus est manus, pedésque dirissimis transverberari clavis, vestes à carnificibus dividi, ac per sortem occupari; diffractis venis sanguinem effundi, ossa distrahi, cor vulnerari, aures blasphemiis lancinari &c. *Numera stellas, si potes*, numera omnia pœnarum genera, quæ pro tua salute sustinuit amantissimus Salvator tuus JEsus, numera, inquam, si potes, proinde non imeritò per os Prophetæ Re-
Psal. 21. 15. gii conquestus est: *Sicut aqua effusus sum* Ergo apud te non plus valeat crucifixus JEsus: *Sicut aqua effusus sum.*

Fuit autem Sanguis Christi proximè & immediatè prout loquuntur Theologi, unitus Verbo Dei, quia infiniti erat valoris, & cui redemptio nostra tribuitur tanquam condigno pretio; hinc
Matth. 26. 28. Christus in cœna ultima consecrans calicem dixit: *Hic est Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis* (pro omnibus qui omnes sunt multi) *effundetur in remissionem peccatorum.*

Gen. 2. 10. 3. Ex paradiso fluxerunt quatuor flumina ad irrigandum, mundandum, sanandum orbem terrarum inaquosum: in Calvario monte invenies hæc quatuor flumina in perforatis manibus ac pedibus pretiosissimi Salvatoris nostri, & in medio hujus divini paradisi, hoc est in dextro latere ascendit fons irrigans universam superficiem terræ.

Quàm ergo indignum fuit pretiosissimum Sanguinem Verbo Dei unitum instar vilis aquæ effundi, luto hærere, pedibus carnificum & petulantis turbæ proteri, cùm esset adorandus latriâ, ut Sanguis Dei, cujus pretium comprimis agnovit B. Virgo & Mater Dolorosa, quæ divinissimum hunc Sanguinem ex transfixo Christi pectore manantem cum S. Joanne religiosè & honorificè in aliquo vasculo excepit, &
Niceph. lib. 1. cap. 30. pro suo solatio sibi reservavit, prout auctor est Nicephorus, quod & S. Maria Magdalena fecit, quæ vitrum plenum juxta crucem ex terra,

quam

quam Christus suo sanguine rigabat, impleverat, de quo Sacratissimo Dominico cruore perhibent Auctores graviſſimi, quòd in die Paraſceves in antro S. Magdalenæ coram omni populo ebullire soleat, quasi recens fusus esset. Collige ex hoc immensum in nos amorem crucifixi Redemptoris, qui nihil sibi reservavit, cùm etiam post mortem, quidquid resederat in corde Sanguinis, emisit: *Ex hoc*, ait S. Cyprianus, *fonte lateris non solùm ablutionis primæ undas haurimus, sed & compunctionis, & lacrymarum perennes effluunt rivi, misericordiarum suavitas, & totius pietatis effectus.* S. Cyprian. de duplici Martyrio.

4. Achab Rex Israël, quia dimisit Benedad Regem Syriæ, qui ob bellum Israëlitis injustè illatum, ac præcipuè propter blasphemias in DEum effusas reus erat mortis, à Michæa Propheta ex parte Dei audire debuit: *Hæc dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus.* 3. Reg. 20. 42.

O JEsu crucifixe, verus Rex Israël, quia dimisisti Adamum, qui reus erat mortis, erit nunc anima tua pro anima ejus, imò pro omnibus. O pomum quantula res! ô malum, à quo omne malum, cujus unicus morsus DEO incarnato ah quantas inflixit pœnas: *Insurrexerunt in me*, ait Ecclesia in Missa de Passione Domini, *viri iniqui, & absque misericordia, quæsierunt me interficere*, & actu interfecerunt. O terra hæc sustines, quæ non Abelis, sed divinum Sanguinem susscepisti! ô bone JEsu! non solùm sicut aqua effusus es, sed & amor tuus, sicut aqua, effusus est, quia omnes rivi sanguinis sunt in cruce aperti; ô anima Christiana! in hæc te abjice flumina, merge, submerge, nunquam feliciùs enatabis, quàm cùm hìc submersa fueris.

5. David vir secundùm cor Dei multa prægnovit arcana & salutis nostræ mysteria: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*; inter alia superiori lumine illustratus de Christo vaticinatus est: *Pluviam voluntariam segregabis DEus hæreditati tuæ.* Et quænam illa pluvia voluntaria, & hæreditati Domini tam necessaria? Resp. S. Joañes: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem. JEsus Christus non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Salmeron hic observat Christum ubique sanguini aquam miscuisse, videlicet lacrymarum in circumcisione, in sudore sanguineo, in flagellatione, in cruce ante mortem: *Cum lacrymis se offerens*, in transfixione Ss. Cordis sui. Et hæc erat illa pluvia voluntaria hæreditati Domini segregata. Anima Christiana, contemplare crucifixum Salvatorem tuum manibus ac pedibus infelici ligno affixum; contemplare, inquam, illum à planta pedis usque ad verticem capitis, & quid videbis nisi pluviam voluntariam ex omnibus corporis membris in salutem nostram promanantem; & licet ab impiis pedibus proPsal. 50. 8. Psal 67. 10. 1. Jo. 5. 6. Hebr. 5. 7.

teratur, nos tamen clamamus : *Sanguis ejus super nos*, & super animas nostras ; redemisti enim nos DEus in sanguine tuo.

Exod 17. 6. B. Theod. q. 27. in Ex.

6. Murmurabat quondam populus in gravissima siti : Moyses, ut huic malo inveniret remedium, ad DEum se contulit, cujus jussu petram in Raphidim virgâ sua percussit, ex qua abundantes profluerunt aquarum fontes : *Percutiet petram, & exibit ex ea aqua.* Supra quod B. Theodorus : *Aqua, quæ de petra egressa est, typum Sanguinis Salvatoris præsefert*, qui in petroso Calvariæ monte usque ad ultimam stillam in salutem nostram effusus est : *Sicut aqua effusus sum.*

Job. 1. 20. S. Jo Chrys. ho. de Job.

7. Job in summa calamitate sua, ubi omnia perdidit, & toto corpore plagatus sedebat in sterquilinio, *scidit vestimenta sua.* Supra quod S. Chrysostomus : *Disrupit vestem, quâ indutus erat, diaboli rapacitatem confundens, gloriatúrque contra tentantem, ostendens ei quòd majora sustinere queat.* Christus cruci inclavatus, cernens se vestes suas jam assignasse militibus crucifixoribus, latroni paradisum, Matrem Joanni, Patri spiritum, peccatoribus veniam, totum corpus carnificibus, cor suum sentiens adhuc esse integrum, illud quoque crudeli lanceâ transfigi permisit, ut ex eo Sanguis & aqua promanans nos à peccatorum abluerat sordibus. Et nunquid si quis poculum ab aliquo liquore præexistente nitidè vult emendare, illud aquâ tandem abluit, ut sic indicet nullum ampiùs in eo vase inesse humorem. Hoc & Christus in cruce fecit, desiderans vas cordis sui ab omni sanguine detegere, & quia nihil ampliùs habuit, tandem aquâ usus est, ut sic nihil remaneret, quod pro nobis traderet. O immensa charitas ! ô prodigium amoris. Verè qui te non amat Domine JEsu, anathema sit.

Gen 4. 10. S. Gregor. lib. 13. Mor. c. 9.

8. De sanguine Abel supra terram à Cain effuso dicit Scriptura: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Sed sanguis JEsu, ait S. Gregorius, meliùs loquitur, quàm sanguis Abel, quia sanguis Abel mortem fratris fratricidæ petiit, sanguis autem Christi vitam persecutoribus impetravit. Et si Elephantes viso sanguine ita excandescunt, ut in medios irruant hostes, & aperta vitæ subeant discrimina; quantò magis animare nos debet Sanguis JEsu Christi pro salute nostra crucifixi ? Ex his omnibus collige, anima Christiana : Ecce quomodo Salvator tuus amaverit te, dum unicâ guttâ sudoris, unicâ lacrymulâ, gemitu uno te potuisset ab interitu redimere, oceanum tamen passionum pro te sustinuerit; Et cui tu tuum impendis amorem ? Væ tibi, si JEsum nan amaveris.

CONSIDERATIO LXXX.

Christus Pastor bonus pro ovibus suis in cruce dat animam suam.

Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Jo. 10. 11.

1.

MUltùm quondam laboravit Jacob Patriarcha & pastor vigilantissimus, dum per annos viginti oves Labani soceri sui pascebat, audiamus ipsum loquentem: *Die noctúque æstu urebar & gelu, fugiebátque somnus ab oculis meis.* Gen. 31. 40.

Multùm laboravit Moyses pascendo per quadraginta annos oves Jethro in deserto, qui maluit ab aula Pharaonis ad caulam venire ovium, *& cum populo Dei affligi, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Exod. 3. 1. Hebr. 11. 25.

Multùm laboravit David, dum oves patris sui pascens, vitam pro tuendis ovibus suis contra irruentes leones & ursos exponere non formidabat: *Pascebat gregem servus tuus, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis, & persequebar eos, & percutiebam, eruebámque de ore eorum.* 1. Reg. 17. 34.

Plus laboravit Christus pastor bonus & solus bonus pro ovibus suis rationabilibus, pro quarum salute tam indigna pati, & crucis subire tormentum, omnémque sanguinem profundere non abhorruit, ut è luporum ac leonum infernalium faucibus eas eriperet: *Fecit quod monuit*, subintrat hic V. Beda, *ostendit quod jussit, animam suam posuit pro ovibus suis; ostensa est nobis de contemptu mortis via, quam sequamur, apposita forma, cui imprimamur; primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus ejus impendere, postremum verò, si necesse sit, etiam mortem nostram pro eisdem ovibus ministrare; qui non dat pro ovibus substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam?* Adverte hoc, ô Pastor animarum. V. Beda in Jo. 10. 11.

2. Voluit autem Christus, pastor bonus, nasci in stabulo & pauperrimo pastorum tugurio, natus reclinari in præsepio, ex quo fœnum manducabant oves, & habere mox post nativitatem suam eosdem pastores pauperculos, tanquam aulicos suos dilectissimos præsentes, latús-

S. August. l. 3. c. 2. latúsque suum stipantes, causam assignat Divus Augustinus: *Quia Christus erat Agnus pro salute mundi offerendus, ideò congruè ipse primò pastoribus agnorum apparuit*, qui ipsum humiliter ut DEum & hominem adora-

Luc. 2. 8. runt, & per ejus gratiam eximiæ sanctitatis evaserunt viri: *Pastores erant in regione eadem &c.*

Porrò Christus Dominus sumoperè delectatur hoc titulo pastoris, hinc parabolam illam de ove perdita & sollicito pastore eam in deserto spinoso summo cum labore quærente, orbi proposuit, quam tandem inter dumeta inventam humeris suis imposuit, & ad ovile

Luc. 15. 5. suum gaudens reportavit: *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros suos &c.* Tunc, obsérvat S. Eucherius, Nicetas & alii, Bonus ille Pastor hanc

S. Eucher. hom. 2. de Symb. Nicet. in orat. 41. ovem inventam (animam tuam peccatricem) humeris suis imposuit: quando cruentis & exulceratis humeris crucem portavit, & in ea pro illius salute mori dignatus est: *Iisdem enim humeris eam suscepit, quibus & crucis lignum tulit.* O magnum pietatis opus! tunc verificatum fuit il-

Isa. 9. 6. Theoph. in Luc. 23. lud Isaiæ: *Cujus principatus super humerum ejus.* Supra quod Theophilactus: *Nam principatus Domini & Regnum ejus est crux.*

3. Audiamus plura de optimo & divino Pastore. Obsérvat S. Joannes dilectus illius discipulus & intimus Secretarius, tanquam testis oculatus, quòd in cruce moriens JEsus priùs caput suum inclina-

Jo. 19. 30. verit, & postea spiritum Patri tradiderit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Et quare hoc? nunquid docet experientia, quòd homo primùm post naturalem mortem inclinet caput, utpotè animâ & spiritibus vitalibus destitutum, Christus autem priùs inclinabat caput, antequàm spiritum Patri consignaret?

Adverte anime mi, qui grave supra dorsum suum portat onus, caput inclinare & deprimere assolet; Christus autem gravissimum portabat onus, ovem videlicet perditam, & nunc in cruce inven-

Isa. 53. 6. tam, unde Isaias: *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Idcircò non miremur, quòd tanto peccatorum nostrorum pondere prægravatus,

Glossa hic. caput inclinaverit: *Ovem*, ait Glossa, *in humeris posuit, qui humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit, unde humeri Christi crucis brachia*

S. Ambr. in Luc. 15. *sunt, illic peccata nostra deposuit.* Juvat hic quoque audire S. Ambrosium: *Humeri*, inquit, *isti sunt brachia crucis, in hos humeros ovem perditam imposuit, quia ibi peccata nostra portavit.* O anima, erige te, & considera, quanti salus tua steterit.

3. Consideremus modò, quomodo & qualiter bonus pastor debeat esse instructus. Imprimis requiritur, ut bonam togam habeat, quâ indutus varias possit sufferre tempestates; Toga hæc humanitas Christi

Christi fuit, tegens ejus divinitatem; heu quàm rigidam & cruentam hæc tota sustinuit tempestatem? *Semetipsum*, ait Apostolus, *exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo &c.* Philipp. 2. 7.

5. Pastor bonus de baculo pastoricio sibi providet, qui ordinariè ferreis clavis & añulis est præfixus atque instructus, quo regere & terrere solet oves à via & pascuis declinantes, ne præda luporum fiant. Davidem consule; *Et tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus suis* Baculus Boni nostri Pastoris crux est, ferreis quoque clavis instructa, quâ oves suas errantes etiamnum regit ac terret, & ne præda diaboli fiant, subinde hunc baculum inter eas projicit, ac calamitatibus afficit, ut errantes resipiscant, & à malo declinent &c. 1. Reg. 17. 40.

6. Pastor bonus, ubi oves suas ad pascua vult educere, cornu inflare solet, ad cujus vocem se parant oves, atque Pastorem suum, quocúmque ierit, sequuntur: *Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus.* Vide anima Christiana, optimum Pastorem tuum, quomodo in vita sua cornu suum inflaverit, hoc est, Verbum Dei prædicaverit, ac tandem in cruce ultima septem verba tibi intimaverit. 1. *Pater ignosce illis &c.* Fac secundùm exemplar. 2. *Hodie mecum eris in paradiso* Si secutus es errantem, sequere pœnitentem. 3. *Ecce Mater tua*; cui te meliùs commendes? 4. *Deus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* En Christus queritur se derelictum, & tu solatia quæres? 5. *Sitio*, tuam nimirum salutem, & tu eam nausees? 6. *Consummatum est*; sic omnia tua bona & mala brevi consummabuntur. 7. *In manus tuas commendo spiritum meum* Disce exemplo Christi quotidie animam tuam in manus Patris cœlestis commendare. O felix ovicula, qua audit ultimam vocem hujus sui divini Pastoris, & crucifixi Amoris! Jo. 10. 4.

7. Pastor bonus in meridiano æstu oves suas subter umbram opacam ducit, ut à solis protegantur ardore. Ita fecit Moyses: *Cùmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Ecce fidelissimum Pastorem tuum JEsum, qui & tibi sub arbore Ss. Crucis suæ optatam paravit umbram, hìc anima Christiana ab incursu & dæmonio meridiano tuta poteris quiesce, dic cum Psalte regio præsertim tempore tentationis: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas* Exod. 3. 1. Psal. 56. 2.

8. Pastor bonus peram ad latus gestat, in qua panem & salem abscondit, quo obsonio se & oves ægrotantes reficit. Aspice crucifixum Pastorem tuum, quomodo peram apertam ad latus gerat, hoc est apertum & crudeli lanceâ transfixum cor suum, ex quo prodiit Panis ille vivus ac cœlestis (Ss. Eucharistia) quâ pascere solet oviculas suas,

suas, & ægrotantes animas sale cœlestis sapientiæ reficit, ne hic in via deficiant.

9. sed oportet, ut & nos ovium naturam imitemur. 1. Ovis dum surgit, vel decumbit, semper genua flectit, quasi Deo ac Creatori suo gratias ageret. Sic faciat ovis rationalis manè ac vespere, & præsertim in templo in præsentia Summi Pastoris. 2. Ovis seu agnus ex millenis aliis ovibus matrem suam ex balatu agnoscit, unde magno desiderio ad illam recurrit, ut lacte pascatur. Mater nostra est B. Virgo & Mater dolorosa, quam moriens Pastor Bonus in cruce nobis specialiter recommendavit: *Ecce Mater tua.* Cole ac venerare illam ut Matrem, *& obviabit tibi quasi Mater honorificata.* 3. Ovis patiens est, & non habet redargutionem. Disce patientiam, quia necessaria tibi est ad reportandas repromissiones, & in patientia tua possidebis animam tuam. 4. Ovis liberalis est, subministrat enim tibi lanam & lac, ac tandem seipsam in victimam; unde S. Martinus Ep. videns ovem recens tonsam, ad discipulos suos dixit: Ecce hæc paupercula oviculà observavit præceptum Domini, dum unicam tunicam (pellem) sibi reservavit, & alteram homini dedit ad conficiendum vestimentum. Disce veram & sinceram charitatem erga proximum. 5. Ovis timida est, quia tota inermis, & ad quemlibet pavet lupi insidiantis occursum, unde tempore talis tentationis ad suum recurrit pastorem. Esto & tu talis, cùm lupus tartareus tibi paras insidias, curre ad Pastorem animarum cruci suffixum; ita S. Augustinus: *Cùm diabolus mihi parat insidias, curro ad vulnera Christi.* 6. Ovis pacifica est & tranquilli animi, mitis, ac prorsùs ignara nocendi. Imitare & hanc virtutem, pacem dilige, pacem sectare, & DEus pacis erit tecum. 7. Ovis vili pascuo contenta est, pinguiora nocent. Sis & tu, ô mi Lector, tuâ sorte contentus, etiamsi te DEus in loco vilis pascui constituerit, proinde dic sæpiùs cum Sapiente, *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria.* 8. Ovis, si à pastore suo & reliquo grege longiùs distrahitur, manifesto se exponit vitæ periculo; Davidem consule errantem, & nunc ad frugem redeuntem: *Erravi*, inquit, *sicut ovis quæ periit: quære servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.* O bone JEsu, princeps pastorum! erravi & ego, sicut ovis quæ periit, doleo animitùs, quia te offendi, ô Summum Bonum! quære, obsecro, hanc oviculam tuam immenso sanguinis tui pretio redemptam, & dirige me in viam salutis æternæ.

Eccli. 15. 2.

Prov. 30. 8.

Psal. 118. 176.

CON-

CONSIDERATIO LXXXI.

Invidia & immane odium Christum Dominum ad mortem crucis adegerunt.

Hic est hæres, venite, occidamus eum. Matth. 21. 38.

1.

NOn sine causâ invidia peccatum diabolicum appellatur: *Invidiâ enim diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* En causam peccati & mortis ex eo consequentis; diabolus, quia lapsus erat primus in peccatum & mortem gehennæ, invidens homini gratiam, vitam & gloriam, eum similiter ad peccatum sollicitavit & impulit: *Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius*, videlicet invidi, qui quàm maximè per invidiam, quam mente fovent, hunc suum parentem diabolum sequuntur, cujus primus discipulus Cain fuit, qui ex invidia & rancore innocentissimum fratrem suum Abelem occidit: *Consurrexit Cain adversùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Hunc secuti sunt invidi fratres Josephi, qui eum extremè oderunt, eò quòd plus à patre diligebatur: *Videntes autem, quod à patre plus cunctis amaretur, oderant eum, nec poterant ei pacificè loqui.* Sap. 2. 24. Gen. 4. 8. Gen. 37. 4. S. Chrysol. serm. 48. *O invidia!* exclamat S. Chrysologus, *omnibus malis pejor; invidia delictorum venenum, criminum virus; peccatorum mater, origo vitiorum.* Et hæc invidia causa erat, quòd unigenitus Dei Filius ad ignominiosissimam mortem crucis ab invidis fuerit postulatus & adactus: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Sap. 2. 20. Plura de hac veritate impræsentiarum considerabimus.

2. Christus Dominus multa discolis Judæis more illius Gentis & ævi locutus est per parabolas; inter quas comprimis nobis consideranda est illa, quam Hebræis & quidem primatibus de vinea Domini Sabaoth proposuit: *Homo*, inquit, *erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus est, cùm autem tempus fructuum appropin-* Matth. 21. 33.

quaſſet, miſit ſervos ſuos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus; & agricolæ, apprehenſis ſervis ejus, alium occiderunt, alium verò lapidaverunt. Noviſſimè autem miſit ad eos filium ſuum, dicens: Verebuntur Filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus, & apprehenſum eum ejecerunt extra vineam, & occiderunt eum. O bone JEſu! ô Amor crucifixe! Tu es ille magni Patrisfamilias Filius, miſſus ab illo de cœlo ad excolendam vineam (Synagogam & Eccleſiam) ſed quid accidit? Apprehenſum te ejecerunt coloni iſti & ingratiſſimi Judæi extra vineam, & ex mera invidia occiderunt te, & in cruce ſuſpenderunt. O fera peſſima invidia! quæ Dominum meum JEſum in crucem adegit. Conſidera hoc ô invide, & intuere Titulum crucis: I. N. R. I. quem ſic expono: *Invidia Noſtrum Regem Interfecit.* Sed rogo adhuc unum, dictum conſiderans S. Crucis Titulum: I. N. R. I. quem ſic explico: *JEſus Non Reminiſcitur Injuriarum.* Deſine igitur ab invidia, deſiſte ab ira, & derelinque furorem, & ignoſcet tibi dulciſſimus JEſus.

3. Sed pergo ulteriùs. Vix Chriſtus Salvator mundi in antro Bethlemico in lucem natus erat, mox invidia illum ſecuta & per omnem vitam usque ad mortem crucis perſecuta eſt; Herodis enim, ubi ex adventu Trium Regum Orientalium, qui ſtellâ duce in aëre apparente illuc ferebantur, intellexit: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex Judæorum?* Vix non crepans præ invidia, ſine mora huic recens nato divino Infanti mortem machinari cœpit; & quia cœleſtis Pater dilectiſſimum Filium ſuum ab illius eripuit furore, cruenta Infantium cædes ſecuta eſt, ut inter illos & Chriſtus interficeretur. En effectum invidiæ! Et quemadmodùm papilio lucernam extinguere volens, ſe ipſum comburit, ita invidus Herodes, dum hanc divinam lucernam ſtatim in ortu voluit extinguere, ſe ipſum combuſſit, & miſerrimè periit: Invidia, ait Didacus Stella, non parcit proprio parenti; teſtis eſt Abſolon. Non parcit fratri, teſtis eſt Cain & fratres Joſeph; Non parcit Sorori, teſtis eſt Rachel invidens Sorori Liæ. Non parcit amico & benefactori, ut Saul Davidi. Non parcit Sanctiſſimo & innocentiſſimo, ut Judæi Chriſto: *O invidia peſtiferum malum, quæ hominem in immaniſſimum dæmonem convertit*, ait S. Chryſoſtomus hom. 41. in Matth.

Matth. 2. 2.

Stella de Vanit. mundi.

1 Reg 15. 10.
Gen. 37. 18.
Gen. 30. 1.
1. Reg. 18. 8.

4. Et quis ignorat Nazarenorum invidiam, dum illorum odium in Chriſtum concivem ſuum longè majus quàm ipſius diaboli fuerat: *Duxerunt illum* (Chriſtum) *usque ad ſuperciliam montis, ſuper quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.* Obſerva Evangelii verba: *Ut præcipitarent eum;* diabolus autem tantummodò Chriſto ſuaſit: *Mitte te deorſum.* Subintrat hic Sanctus Bonaventura: *Quod ille tantùm dixit verbo:*

Luc. 4. 29.

Matth. 4. 6.

Mitte

Mitte te deorsum, hoc illi conati sunt facto. Proinde rectè Sapiens: *Dura, sicut infernus æmulatio.* Supra quod S. Gregorius, quia dum Synagoga Christum ad inferos posse se transmittere putavit, ei usque ad mortem corde immisericordi invidit. Ut infernus dura æmulatio extitit: quia sicut infernus sine misericordia, quos tenet, cruciat; sic Judaica plebs Christum apprehendens, sine respectu pietatis, ad mortem trahebat. Caut. 8 6. § Gregor. M. hìc.

Ita est: Invidia canis est, qui blanditur in facie, & mordet à tergo. Invidia vipera est, quæ exeso materno utero generatur, ita invidia animam ipsam parientem consumere solet. Invidia rubigo est, ipsum ferrum, & viros aliàs fortissimos, si ab ipsa capi se sinant, consumens. Invidia ægritudo pessima est, quæ non dumtaxat corpori, sed & animæ nociva ac venenosa est. Invidia lupus est rapax, insaniens semper inaniter, & tandem deducens ad infernum. Verbo, ait S. Augustinus: *Invidia omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat.* O Deus bone! absit hoc à me, ut invidiæ fomitem in pectore meo alam. Sit mihi semper in omni adversa occasione exemplum crucifixus JEsus: *Pater dimitte.* S. Augustserm. 18. ad Frat. in eremo.

5. Audax facinus commisit Petrus, dum gladium in horto eduxit, *& percussit Pontificis servum, & abscidit auriculam ejus dexteram.* Quid agis Simon Petre? summo te exponis periculo; quid tu contra tantos? Verùm benignus Dominus, *cùm tetigisset auriculam ejus, sanavit eum.* Miror quòd neque coram Anna, neque coram Caipha, neque coram Romano Præside de hac abscissione auriculæ & Christi miraculo mentio facta sit; & quare hoc? *Invidia*, ait doctissimus Leo à S. Laurentio, *hoc suppressit Christi Miraculum.* Joan. 18. 10. Luc. 22. 51.

O invidia, quæ de cœlo abjecit Angelum; de paradiso excluſit hominem; Abelem occidit; Core, Dathan & Abiron in tartarum misit: Danielem in lacum leonum ablegavit; Stephanum lapidavit, Joannem & Paulum decollavit, & Christum omnium Salvatorem cruci affixit: *Tolle, tolle, crucifige eum*, quam veritatem & ipse Gentilis Judex Pilatus agnovit: *Sciebat enim, quòd per invidiam tradidissent eum.* O invidia! quæ, ut ait quidam, *in claustro nascitur, in aula nutritur, in hospitali moritur;* quæ & nunc temporis intervallo inter omnes hominum status regnat. O invidia! Tu tam crudeli lanienæ Dei Filium in flagellatione subjecisti; Tu eum serto ex acutissimis spinis plexo coronasti; Tu ei gravissimam crucem in lacertos imposuisti humeros! Tu ei manus ac pedes diris simis transfodisti clavis; Tu ei sacratissimum latus crudeli lanceâ transverberasti. Et quomodo, obsecro anime mi, tu adhuc talem ac venenosissimum in pectore tuo alere serpentem potes? Absit hoc à te. Joan. 19. 15

Joan. 19. 19. 6. *Scripsit autem & titulum Pilatus: Et posuit super crucem; Erat autem scriptum: JEsus Nazarenus, Rex Judæorum.* Hunc titulum non poterant tolerare Judæi, unde legentes eum, dixerunt: *Noli scribere Rex Judæorum.* Et quare hoc? Resp. S. Cyrillus: *Acri turbati invidiâ, regnum pernegant Christi.* Ecce invidia excæcavit Judæos, & etiamnùm excæcat, & utinam non etiam multos Christianorum!

S. Cyrill. lib. 12. c. 31.

Mancin. lib. 2. dissert. 4. Talis fuit ille, de quo refert Cæsarius & ex eo Mancinus, quòd longo tempore proximo suo fuerit infensus. Hic videbat aliquando de nocte Christum crucifixum humi jacentem, ac tenui velo coopertum, ad quem plures (prout in Ecclesia in die Parasceves fieri solet) accedebant, sanctissima ejus Vulnera devotè exosculantes. Accessit & ille, ut crucifixum humi positum humili osculo veneraretur, sed revulsâ à cruce manu pientissimi Redemptoris repulsus est, qui indignabundo vultu ei dixit: *indignum eum esse admitti ad osculum, qui proximum suum odisset.* Disce ex hoc, anime mi! omnem invidiam deponere, quia per invidiam diaboli mors intravit in orbem. S. Paulus Ap. olim gloriabatur, vitam suam in Christo crucifixo esse absconditam: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Invidus ècontra debet dicere: Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me diabolus. O invidi! evigilate tandem, & abite in pace.

Gal. 2. 20.

CONSIDERATIO LXXXII.

Lingua detractrix potissimùm Christum Dominum ad ignominiosissimam crucis mortem promovit.

Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem orabam. Psal. 108. 3.

1.

MIsit quondam David Rex legatos suos ad Hanon Amonitarum Regem, consolans eum super patris interitu; Sed Hanon turpissimè illos regios excepit legatos, dum eos non solùm vestibus, sed & barbâ & honore mutilavit: *Tulit itaque*

que Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes 2. Reg. 10. 4
eorum medias usque ad nates, & dimisit eos. Hæc summa injuria, quam Hanon contra jus gentium legatis Davidis ad se consolandum missis irrogavit, causa fuit & fomes sequentis atrocissimi belli, in quo tot hominum millia perierunt. Ecce tantam stragem causabat lingua detractrix, fuerunt enim nonnulli aulicorum, qui Davidi detrahebant: *Dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon Dominum suum; Putas quòd propter honorem patris tui miserit David ad te consolatores, & non ideò ut investigaret, & exploraret civitatem, & everteret eam?* O lingua detractoria! quæ hactenus feciſti mala & etiamnum facis? Sed à figurante ad figuratum.

Misit Rex Regum, Deus Pater plures quondam legatos ac Prophetas in terram Israël, ut populum reducerent errantem, & consolarentur pios; sed pariter malè habiti sunt: *Alium ceciderunt, alium oc* Matth. 21. 35.
ciderunt, alium verò lapidaverunt. Proinde in Consistorio divino decretum fuit, ut ipse Filius æterni Patris, tanquam legatus supremus à latere in hanc terram mitteretur: *Novissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur Filium meum.* O Domine! quomodo verebuntur Filium tuum? Effectus rem demonstravit, dum lingua detractrix ei barbam erasit; genas percussit, vestes præscidit, corpus denudavit, ac tandem in crucis patibulo suspendit: *Hic est hæres, venite, occidamus eum,* & apud Jeremiam Prophetam: *Mittamus lignum,* hoc est crucem, *in panem* Jerem. 11. 19.
ejus, & eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius. O pessima lingua detractorum! tu quàm maximè Dominum nostrum JEsum Christum ad crucem promovisti.

2. Et quid Dominus Salvator noster? Audiamus Davidem in persona Christi loquentem: *Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi: ego autem* Psal. 108. 5.
orabam. Detrahebant mihi inimici mei quà publicè, quà privatim: *Murmur multum erat in turba de eo*, aliqui enim dicebant, quia bonus est, Joan 7. 12.
alii quia seducit turbas: *Ego autem orabam* Detrahebant mihi nunc Joan. 8. 48.
Scribæ & Pharisæi, vocantes me Samaritanum, modò blasphemum, Matth. 26. 65.
modò dæmoniacum: *Ego autem orabam.* Nunc me proclamabant ut potatorem, nunc mendacem & voracem; Nunc prohibentem tributa Cæsari, ac tandem gentis subversorem & populi seductorem: *Ego autem orabam.* Comprehenderunt me in horto, tanquam latronem cum gladiis & fustibus; Accusaverunt me iniquè & injustè coram Judicibus; Flagellarunt me, cruentis coronarunt spinis; Cruci denique me affixerunt, ubi blasphemabar ab omnibus, & milleni detractores acuerunt linguas suas, sicut serpentis. *Ego autem orabam*, ut iis Pater Luc. 23. 34.
tanta condonaret scelera: *JEsus autem dicebat; Pater dimitte illis: non enim*

sciunt quid faciunt. Collige ex hoc, anime mi, quidquid feceris, te non evitaturum linguam maledictam & detractoriam. Audi ipsam Veritatem: *Venit Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Si hoc de Christo linguæ detractoriæ quid tu miraris, si os dolosi & detractoris super te apertum est? Non poteris evitare, amice Lector! detractorum & calumniatorum linguas, & quidcunque tandem boni egeris; dispone te ad patientiam.

Matth 11. 18.

3. Instituamus examen, quisnam Christum æterni Patris Filium ad mortem crucis tradiderit? Pendet mitissimus orbis Salvator JEsus duos inter infames latrones in patibulario ligno, moritur in eo, & auctor mortis ignoratur. Culpa primaria imputatur Judæ Ischariotæ: *Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.* Sed excusat se temerarius Traditor, nunc pœnitentiâ licèt frustraneâ ductus: *Peccavi, tradens sanguinem justum.* Excusat & se Pilatus Judex Romanus, qui innocentissimum JEsum condemnavit ad mortem: *Innocens ego sum à sanguine justi ejus.* Excusant & se Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam.* Quis ergo Dominum meum JEsum cruci affixit? An fortasse diabolus? Sed nec hic vult habere causam, quia virtutem S. Crucis præcognovit, unde Claudiæ Proculæ uxori Pilati per somnium intimavit: *Nihil tibi & justo illi.* Quis ergo JEsum meum cruci affixit?

Matth. 17. 4.
Matth 27. 24.
Joan. 18. 31.
Matth. 27. 19.

4. Interim consulamus S. Marcum, qui ait: *Erat autem hora tertia: Et crucifixerunt eum;* S. Joannes verò dicit: *Erat autem Parasceve Paschæ hora sexta, tunc ergo tradidit illum, ut crucifigeretur.* Quomodo, obsecro, ista conveniunt? Unus Evangelista asserit Dominum nostrum horâ tertiâ, & alter horâ sextâ esse crucifixum? An non utriusque sacri Scriptoris calamus à Spiritu sancto erat directus?

Marc. 15. 25.
Joh. 19. 14.

Hanc difficultatem solvit Divus Augustinus: *Cùm horâ tertiâ*, inquit, *crucifixum Dominum Marcus enuntiet, verissimè indicat maximè fuisse Domini necatricem linguam Judæorum, quàm militum;* Circa enim horam tertiam omnes detractorum linguæ conclamarunt: *Crucifige, crucifige eum: Acuerunt ut gladium linguas suas;* Et pergit idem S. Antistes Hipponensis, interrogans Judæos: *Unde occidistis*, Resp. *Gladio linguæ.* Ita & S. Bernhardinus; *Tu sola* (lingua detractrix) *Dei Filium in crucis patibulo affixisti.* Ite nunc impii detractores & Christicidæ! hoc idem facitis, cùm proximo injustè detrahitis honorem. Juvat hìc audire Mellifluum: *Nunquid non lancea est lingua ista? profectò & acutissima, quæ tres penetrat uno ictu, loquentem, audientem, diffamatum, nec verò ejusmodi linguam ipso etiam mucrone,*

S. August. de conf. Ev. c. 13.
S. Bernh. t. 1 f. 23. a. 3. c 3.
S. Bernh. ser. 84. in Cant

quo

quo Dominicum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, & membrum de membro nec jam exanime fodiendo &c. Hæc & plura de lingua detractoria S. Bernhardus.

5. Sed audiamus majora: *Et circa horam nonam clamavit* JEsus *voce magna* Matth. 27. 46. *dicens: Deus meus Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Porrò patientissimus Dominus per tres horas, quibus pendebat in cruce, ferè continuò ad Patrem oravit, & inter alia psalmum vigesimum primum, qui totus de passione Christi est, recitavit, ubi sub finem vitæ in illa verba, ah quàm lamentabilia! effusus est: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Et quomodo ô mi JEsu! à Patre eras derelictus? non à divinitate & unione hypostatica Verbi, non à gratia & amicitia Dei; quare ergo te desertum queris?

Audiamus ipsum crucifixum Dominum per os Davidis loquentem: *Quoniam circumdederunt me canes multi.* Et quinam canes? Resp. S. Bernhardinus: *Judæi per detractionem oblatrantes, atque mordentes,* Observa prudens Lector! non conquestus est Dominus de cruentis spinis sacrum caput suum pungentibus, non de perforatis dirissimis clavis manibus, non de pedibus crudeli ferro terebratis, non de cæteris vulneribus, sed solùm de linguis detrahentibus, quæ ipsum vix adhuc in cruce spirantem unanimiter allatrabant ut canes rabidi; unde S. Chrysostomus: *In patibulo pendentem omnes amaris eum impetunt verbis, quæ rebus ipsis graviora videntur,* dum linguæ detractoriæ super dolorem vulnerum ejus addiderunt. Et tu detractor, adhuc vis detrahere Deo & proximo tuo? An ignoras, quòd omnis detractor sit Deo odibilis? ita asseverante Paulo: *Detractores Deo odibiles.* Psal. 21. 17. S. Bernh. to. 2. l. 29. Rom. 1 30.

6. Quid ergo consilii, si tibi, amice Lector! ab occultis tuis inimicis imposterùm aliquid detrahetur honoris? Imitare V. Joannem Peccanum Archi-Episcopum Cantuarensem, qui in simili causa pro more suo ad crucifixum Dominum suum, tanquam ad ultimum calamitatis suæ asylum confugit; & cùm Romæ aliquando coram Crucifixo ferventiùs oraret, hæc verba à Crucifixo Domino audire meruit: *Et ego quid demerui inter latrones? Oravi, nec obtinui carnis petitiones. Calicem mortis sorbui, Patri placere studui per carnis passiones.* Ergo non murmur exeat, *si non fit quod orasti. Nec orasse pœniteat, quamvis non impetrasti; dum fraudat desiderium, ad majus beneficium datorem obligasti. Ad me si levas oculum, vides argento vendi; Tradi quoque per osculum, & durè comprehendi; ac alligari funibus, & confici verberibus sine lege parcendi. Relinquor ab amantibus velut jam desperatus. Præsentor Pontificibus quasi latro ligatus; quos amavi fortiùs, ab illis sum citiùs spretus & negatus. Ibi clamor, derisio, severi-* Quaresm. to. 5. l. 180.

tas

tas minarum, & capitis velatio, & ictus maxillarum. Extra muros dejicior, & ipse crucem fero; Matre vidente spolior vestimentis quæ gero; Tandem clavis confodior, & in cruce morior. Tu ergo vermis non turberis, si statim non consequeris, quidquid à Patre quæris. Audis hoc?

CONSIDERATIO LXXXIII.

Disce à Crucifixo JESU ex animo inimicis tuis ignoscere, ac pro eorum salute fideliter orare.

Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. Luc. 23. v. 34.

1.

Gen. 49. 1. JAcob Patriarcha brevi nunc moriturus, convocatis filiis suis ex lectulo suo ultimam concionem habuit: *Audite filii Jacob, audite Israël patrem vestrum &c.* Christus Dominus in infami pendens cruce ex hac sublimi cathedra supremam nobis concionem fecit, quæ non epilogus tantùm, sed & epitome ac compendium omnium suarum fuerat concionum, cujus perorantis exordium S. Lucas

Luc. 23. 34. sic exprimit: JEsus autem dicebat: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Pater, inquit, non Deus, non Dominus, non Rex cœli & terræ, non Judex integerrimus, sed *Pater*, ut eò faciliùs Patris iraticor placeret; Tot enim auditis sceleribus contra Christum Domini, quid aliud potuisses expectare, nisi ut terra dehisceret, eósque sicut olim

Num. 20. 10. Core, Dathan & Abiron absorberet? Aut ignis è cœlo deplueret,

4. Reg. 1. 10. quemadmodùm in centurionem, Eliam de monte per vim ad Regem Ochoziam trahere volentem descendit? Sed JEsus totus amor est ac salus: *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O prodigium amoris!

2. Non sic concionatus est Noë à filio suo irrisus, & nunc sur-

Gen. 9. 25. gens de crapula, *Maledictus*, ajebat, *Chanaan servus servorum erit fratribus suis*, Non sic Eliseus, cùm clavus à petulantibus pueris appellaretur:

Malt-

Maledixit eis in nomine Domini. Non sic Zacharias Jojadæ filius, cùm ab impiis lapidaretur: *Videat Dominus, & requirat.* Sed mitissimus JESUS pro omnium salute peroravit: *Pater dimitte.* Supra quod egregiè S. Bernhardus: *Videte*, inquit, *nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagellis cæsus est, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus. Omnium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc multæ misericordiæ cordis. Mira res illa clamat ignosce, Judæi: Crucifige.* O charitas immensa! Et quis audivit tale? 4. Reg. 2. 23. 2. Par. 24. 22. S. Bern. serm. 4. heb. dom. Maj.

3. David serenissimus Israëlitarum Rex, ubi mirabilem solis cursum attentiùs inspexit, attonitus exclamavit: *Sol cognovit occasum suum.* Et quomodò, dices, sol materialis potest cognoscere occasum suum, dum caret ratione, neque corpus habet organicum? Audi plura. Psal. 103. 19.

Ecclesiastes de sole ait: *Sol oritur, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem ad Aquilonem, illustrans universa.* Per hunc solem Orientem & Occidentem, omniáque illustrantem S. Chrysostomus allegoricè Christum Dominum, qui est sol justitiæ, pereleganter intelligit; Ortus est autem hic sol in nativitate, pertransiit in vita benefaciendo omnibus, cognovit occasum suum, dum obiit & occidit in cruce, ubi & pro transgressoribus oravit. Eccl. 1. 5. S. Chrysost. hom. de Turture to. 5.

Et de hoc mystico sole videtur Christus esse locutus, cùm discipulis suis & omnibus Christianis hanc gravissimam sententiam intimavit: *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Et rationem addit bene à nobis considerandam; *Ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Observa prudens Lector! Hæc pluvia facta est, cùm cruci affixus est JEsus, per quam sanguineam pluviam omnes redempti sumus. Hinc rectè Nicetas pro reflexione nostra morali: *Si cujuspiam in te contumelia effervescens, atque in summam magnitudinem evecta, ingentem in te furoris flammam excitârit, animúmque tuum ulciscendi cupiditate incenderit: fac, protinùs tibi Christus in mentem veniat; da operam, ut contumelias, illusiones, flagra, & vulnera ea, quæ illa salutis tuæ causâ in cruce pertulit, quàmprimùm recorderis; sic fiet, ut hujuscemodi cogitationibus, tanquam aquis, animam tuam leniens, atque irrigans, mœroris atque iracundiæ æstum extinguas.* Matth. 5. 44. Nicetas Naz. Scholiastes.

4. Videamus nunc breve testamentum crucifixi JEsu: Patri commendavit animam, Matri corpus, latroni paradisum, militibus vestimenta, Magdalenæ vas sanguinis, Nicodemo ferreos clavos, Josepho ab Arimathæa spineam coronam, Ecclesiæ crucem, & peccatoribus, qui eum agebant in crucem, plenariam veniam, indulgentiam, gratiam ac misericordiam: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* O amoris Luc. 23. 34.

ris prodigium! ô abyssus infinitæ bonitatis! ô ignis divini amoris, quem neque flumina, neque oceanus dolorum & calamitatum potuit obruere & extinguere. Et quid nos ad ista, si à proximo offendimur?

5. Abrahamo patri suo Isaac filius nunc in monte super struem lignorum immolandus dixit: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Pientissime JEsu! tu adumbratus es per illam victimam in Calvario monte immolandam: *Ecce ignis & ligna, ubi est victima holocausti?* Utrumque paratum est, lignum crucis, & ignis amoris immensi, quem hactenus abscondisti in sinu tuo, qui, dum crucem ascendisti, pleno impetu de pectore tuo erupit, & usq; ad crucifixores & interfectores tuos sese extendit, dum dixisti: *Pater dimitte.* O ferrea, ô saxea mortalium pectora! considerate, quòd non tantùm animam suam pro amicis, sed & pro inimicis suis posuerit. An major potuit inveniri charitas? o *verbum*, exclamat S. Bonaventura, *ô verbum totius dulcedinis & veniæ: Pater ignosce illis! ô verbum totius amoris & gratiæ: Hodie mecum eris in paradiso. Respira nunc in spem veniæ anima, quantúmque peccatrix: Si tamen patientiæ pro te Domini Dei tui vestigia sequi non abhorres.* Respira in spem.

Gen. 22. 7.

S. Bonavent. tr. de ligno vitæ.

6. Varii Interpretes varias assignant causas, quare mitissimus JEsus in morte sua caput inclinaverit? Ita S. Joannes præsens cruci, & morti Redemptoris nostri assistens: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* S. Athanasius vult, quòd Christus, cùm jam omnia essent consummata, nutu capitis morti annuerit, signúmque dederit, ut accederet. S. Bernhardus: Ut se Patri demonstraret obedientem usque ad mortem. Alii ut Matri suæ afflictissimæ ultimum Vale diceret. Omissis aliis rationibus subintrat hìc S. Laurentius Justinianus: *Caput flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam*, imò ad ipsos suos crucifixores caput suum inclinavit in signum reconciliationis, quòd tantum eis remittat scelus. Et quid dico? ad omnes peccatores, & ad me & te, ô mi Lector! pariter inclinavit caput, ut nobis verè contritis ac pœnitentibus offerret perfectæ reconciliationis osculum & veniam delictorum. Et nos invicem, heu nos miseros; simus adhuc tam duri, ut nolimus cum Deo reconciliari? tam duri, ut oculos, vultum & animum à proximo avertamus? O JEsu! ô Amor crucifixe, indignus ille est hac tui capitis inclinatione, qui hoc facit; indignus pretioso sanguine tuo; indignus passione ac morte tua, imò mille dignus infernis, qui proximo non ignoscit.

Jo. 19. 30.

S. Laur. Just. de agone Chr. c. 20.

7. Placent exempla Sanctorum ac piorum? Vade Florentiam, & videbis in templo S. Miniati propè muros antiquissimam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem, capite à ligno remoto & dimisso, S. Joan-

Vita 12. Julii.

Joannem Gualbertum, quia ob amorem Crucifixi fratricidæ ex animo ignovit, quasi amicum salutantem, ac in illius ruentem amplexus.

Vade Hierosolymam, & videbis ad S. Sepulchrum Domini aliam Crucifixi iconem, quæ nobili quondam Equiti cruce signato profundè caput inclinavit, quia priùs inimicum, patris sui occisorem, ob honorem & amorem sanctissimæ Crucis, in qua DEus & homo Christus pendens misertus est generi humano, veniam rogantem benignè in gratiam & amicitiam recepit: *Ecce*, inquiebat Eques ille Nobilis nunc reconciliatus, *propter honorem sanctissimæ crucis, ut mihi, qui in ea passus est, peccata mea indulgeat, non solùm tibi culpam remitto, sed & amicus ero, deditque ei osculum pacis.* Cæsar. lib. 8. cap. 2.

Simile quid refert Calamato. Contigit, inquit, generosum ac nobilem militem obvium sibi habere inimicum, qui sui dilectissimi patris interfector extitit, quo conspecto, scelestum arrepto gladio ad trucidandum aggreditur. Hic se inermem conspiciens, ad pedes provolvitur militis, & per amorem crucifixi Salvatoris tanti sceleris veniam & condonationem postulat. Miles audito Christi nomine, sine mora odium deponit, vindictam in amorem mutans, & delinquentem liberum ac incolumem cum pacis osculo dimittens. Quo facto vicinam ingreditur Ecclesiam, crucifixum humiliter adorans, & pedes ejus exosculans. Audite nunc vindicativi! lignea solvuntur brachia, corpus durum inclinatur, & Christus in cruce dictum militem benignè amplectitur, ex cujus ore hæc dulcissima verba promanabant: *Charissime amice & fili sanguinis mei, tu amore mei condonasti mortem patris, qui illum occiderat, & ecce ego condono tibi, atque deleo peccata tua.* Calamato to. 2. disc. 3.

O felices, qui omnes injurias sibi illatas ob amorem crucifixi JESU suis norunt condonare inimicis:

Pater dimitte.

CONSIDERATIO LXXXIV.

Juxta Exemplum Christi Crucifixi oratio pro inimicis facta, DEO est gratissima.

Exauditus est pro sua reverentia. Hebr. 5. 7.

I.

UBi Jacob Patriarcha ex hac mortali vita ad meliorem migravit, metuentes filii ejus, ne fortasse Joseph Ægyptiorum Pro-Rex memor pristinarum injuriarum, vindictam de ipsis sumeret, hac demissam fecerunt, eique humiliter in manus porrexerunt supplicationem: *Pater tuus præcepit nobis, antequàm moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro, ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ quam exercuerunt in te; nos quoque oramus, ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis flevit Joseph, venerúntque ad eum fratres sui: Et proni adorantes in terram dixerunt: Servi tui sumus, quibus ille respondit: Nolite timere &c.* Gen. 50. 16.

Ego hodie ex parte Dei & hominis in cruce pendentis venio ad te, ô mi Christiane! rogaturus: *Obsecro ut obliviscaris* quidquid hactenùs injuriarum à proximo tuo accepisti. Intuere crucifixum Dominum validâ voce inclamantem: *Pater dimitte*, & antequàm moreretur, fideliter monentem: *diligite inimicos vestros.* O quàm facilè, subintrat hic Escobar, inimicos amore prosequemur, si JEsu morientis, & pro inimicis orantis nobis objiciamus imaginem. Escob. t. 3. Coll Chr. obs. 2.

2. Quærebat quondam Ezechiel Propheta ex parte Dei virum incontaminatum ac justissimum, qui interponeret sepem per orationem suam ac bona opera ad placandum DEUm, ne omnem propter scelera admissa dispergeret terram: *Quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me, ne dissiparem eam, & non inveni.* Deo sint laudes infinitæ; Vir ille inventus est sanctissimus, justissimus & incontaminatus. En hic pendet in ligno crucis pro salute hominum, imò & inimicorum, tanquam Mediator inter cœlum & terram, & Advocatus Deum inter & hominem, hic sepem interponit, ne secun- Ezech. 22. 30.

dùm

dùm nostra demerita nos puniat divina justitia; *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, JEsum Christum justum, & ipse propitiatio est pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Quid obsecro, dulcius, ac magis consolatorium? anime mi! si hactenus lapsus es, non ideò desperes, quia adhuc apud Patrem amantissimum, qui non vult mortem peccatoris, potentissimum habes advocatum, Christum Redemptorem tuum, qui sanguinem, crucem, mortem ac passionem suam adhuc hodie Patri pro tuis repræsentat delictis, tibique verè disposito gratiam & veniam inpetrat: *Quæsivi virum, qui interponeret sepem, & ecce inveni.* 1. Jo. 2. 1.

3. Inter omnes oblationes DEO T.O.M. quondam præsentatas, nihil magis illi placuit, quam suavissimum thymiama. Exposuit hoc Moyses jam mundo valedicens, & Israëli benedicens; unde in gravissimis causis semper DEO thymiama offerri voluit, ut ejus fragrantiâ iratum Dei mitigaretur pectus, sedaretúrque indignatio & ira propter peccata populi commota: *Ponent thymiama in furore tuo, & holocaustum super altare tuum* Umbram audisti, mysterium accipe. Deut. 33. 10.

Pendet JEsus tuus, amor tuus, nunc cum Moyse valedicens mundo, in infami crucis patibulo, plenus vulneribus, ac saturatus opprobriis; & quid offert pro tua, omniúmque salute nisi suavissimum thymiama: *Pater, dimitte illis.* Quod solum cor Patris mitigare, & ad commiserationem flectere poterat; erat enim jam parata vindicta in universos peccatores terræ: Terra mota est, sol obscuratus, petræ scissæ, monumenta aperta, & omnia elementa quærebant, & urgebant vindictam. Et quid crucifixus Dominus: *Pater, dimitte illis.* O suavissimum thymiama! De Lanuza Episcopus Barbastrensis sic Filium Dei crucifixum ad Patrem loquentem introducit: *Vide, ô Pater! manus meas, pedes meos, latúsque meum; Ecce thymiama pono in furore tuo, quo contra peccatorem excandescis, ut ejus fragrantiâ furor ille tuus justè commotus temperetur.* Dixit, & impetravit, & exauditus est pro sua reverentia. Luc. 23. 34. De Lanuza disc. 2. Paschæ

4. Placent exempla Sanctorum Christum crucifixum in hoc insigniter imitantium? S. Thomas Ap. pro salute inimicorum & conversione Gentilium ante crucem humiliter orans, ab impiis sacrificulis sagittis primùm, tum crudeli lanceâ occisus est, & sic Calaminæ Apostolatûs honorem martyrii coronâ decoravit. S. Jacobus Apostolus & Episcopus Jerosolymitanus ab impiis Judæis è templi piñalculo deturbatus, & nunc morti proximus, pro suis inimicis impensissimè in suo agone oravit: Confractis cruribus, jacens semivivus, manus tendens in cœlum Deum pro eorum salute deprecabatur his verbis: *Ignosce eis Domi-* Vitæ 55.

Domine, quia nesciunt quid faciunt; qua in oratione graviter ejus capite fullonis fuste percusso, animam DEO reddidit. S. Stephanus orans
Act. 7. 59. pro inimicis genua humi posuit, & lapidibus obrutus, magna voce clamavit: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Sic primus post Christum crucifixum congruenter nomini suo martyrii palmâ & coronâ insignitus est. S. Paulus Ap. charitate Stephani conversus, eam ani-
1. Cor. 4. 12. mo imbibit, & vitâ expressit: *Maledicimur, & benedicimus; persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* Moyses sæpiùs DEum supplicabat pro ingrato Hebræorum populo, qui eum impetebat la-
Num. 14. 10. pidibus: *Cùmque clamaret omnis multitudo, lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël.* David pro salute, qui vitæ suæ toties insidiatus est, non oravit tantùm, sed & injuri-
1. Reg. 24. 7. as magno animo ei condonavit, & pro malo illo benefecit: *Dixitque ad viros suos: Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christo Domini, ut mittam manum meam in eum, qui Christus Domini est.* Quod
Matt. 5. 45. Christus non solùm docuit: *Diligite inimicos vestros, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est.* Et iterum in alio loco: *Benedicite maledicentibus vos, & orate pro calumniantibus vos.* Sed & ipse abunde fecit, dum in cruce inter summas angustias pro suis inimicis oravit: *Pater dimitte illis.* Ubi bene observandum, quod tunc cœli portæ, quæ 5000. annis
Luc. 23. 42. clausæ erant per illa Christi verba: *Pater dimitte illis*, fuerint apertæ, ac reseratæ, quia mox ad latronem pœnitentem dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.*

5. Quando Christus in Jordanis flumine à Præcursore suo baptiMatth. 3. 17. zatus est, æterni Patris vox & testimonium auditum est: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Item dum in monte Thaboræo transMatth. 17. 5. figuratus est, eadem Patris vox de cœlo intonuit: *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Cùm autem in Calvario monte penderet in infami crucis patibulo ab omnibus desertus, irrisus, ac toto corpore plagatus, nulla ampliùs vox
Marc. 15. 39 de cœlo rediit: *Hic est Filius meus dilectus.* Et quare hoc? R. Escobar: *Audiens*, inquit, *Centurio Christum pro crucifixoribus orare: Pater ignosce illis, inclamat: Verè hic homo Filius Dei erat* Ecce Centurio ille publicè Christum, ut dilectum Patris Filium confessus est; non erat proinde opus, ut Pater æternus de novo hoc confirmaret, quia miracula in morte Christi, & infinitus amor, quo nos suos diligebat inimicos, Filium Dei satis demonstrarunt: *Qui inimicis benefacere*, ait citatus Escobar, *non ex*
Escob. tr. 3. Colloq. Chr. l. 7 obj. 1 *quo capite est homo quod ainodò profluit, sed ex Deitate.* Et impetravit, ait S. Hieronymus, quod petierat Christus, multáque statim millia credi-
S. Hieron. ad Hebidiam q. 8. derunt, & usque ad quadragesimum secundum annum datum est tempus

pus pœnitentiæ. O anime mi! observa: *DEus ultionum Dominus*, non sumus nos domini ultionum, Proinde te in omnibus humilia, & ex toto ac sincero corde juxta exemplum mitissimi Salvatoris tui proximo ignosce, ac pro ejus salute exora. Psal 93. 1.

6. Testem tibi sisto Serenissimam Hassiæ Principem, ac Regis Hungariæ filiam S. Elisabetham, extremis quondam calumniis, injuriis ac opprobriis post pii mariti obitum à provinciæ proceribus, imò & propriis subditis affectam, expulsam & rejectam, quas tamen omnes calamitates ab inimicis sibi allatas, æquissimo animo sustinuit, & inimicis suis fideliter, ut DEus illis ignosceret, oravit. Placuit summoperè divinæ Bonitati hæc oratio, unde ex divino responso accepit: Nunquam eam orationibus suis sic DEO placuisse, ac tunc, quando tam ardenti zelo pro suorum salute inimicorum ad DEum oravit. Claudo cum S. Chrysostomo: *Non est possibile, quòd homo, qui dimiserit proximo, non plenam remissionem assequatur. Incomparabiliter magis misericors est DEus, quàm nos.* Montanus in Vita. S. Chrysost. hom. 36. in Acta.

CONSIDERATIO LXXXV.

Crucifixo JEsu super dolorem vulnerum ejus addiderunt blasphemantium linguæ: Et adhuc addunt.

Pratereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. Matth. 27. 39.

1.

JOb vir dolorum, ac typus Christi non tam de plagis ac doloribus suis quàm de linguis blasphemantium, quæ certatim in eum in sterquilinio sedentem irruebant, conquestus est, unde præ dolore animi exclamavit: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Job. 19. 2.

Job, inquam, figura fuit patientis Christi, quem in cruce pendentem impii blasphemabant Judæi, ubi positus erat quasi signum & meta

Thren. 2. 12. meta ad sagittam, unde de eo Jeremias: *Posuerunt me quasi signum ad*
Hebr. 6. 6. *sagittam*, ad quem omnia blasphemiarum emittebant tela: *Rursus crucifigentes sibimet Filium Dei*; non enim sufficiebat illis deicidis Christum ad ignominiosissimam crucis necem esse condemnatum, sed & crucis culpam ac pœnam ei identidem exprobrabant movendo caput ac manus insultantes ac subsannantes: *Vah qui destruis templum Dei &c. &c.*
Matth. 27. 39. Quæ maledicta & convicia graves erant blasphemiæ, qui jaciebantur in Filium Dei & Sanctum Sanctorum; unde de illis vaticinatus est
Isa. 1. 4. Isaias Propheta: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemarunt Sanctum Israel.*

O blasphemi! attendite & considerate, vos pejores estis, quàm illi Hebræi scelerati, quia Christum de novo in crucem agitis, & nunc
1. Cor. 2. 8. in cœlo regnantem blasphemiis vestris configitis: *Illi si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*; vos autem cognoscitis eum, & creditis in eum, imò & per ipsum æternam vestram speratis & expectatis
Ps. 52 5. salutem, & tamen eum blasphematis: *Et jugiter tota die nomen meum blas-*
Matth. 23. 33. *phematur?* O portenta ingratitudinis! *Quomodo fugietis à judicio gehennæ?*

2. Pro omnibus quidem peccatoribus oravit Dominus in cruce pendens, & nunc morti violentissimæ proximus: *Pater dimitte illis.* Sed utrùm etiam oraverit pro sceleratissimis illis DEum T.O.M. jugiter blasphemantibus, multi ambigunt. Observa orationis modum:
Luc. 23. 34. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Nota *quid faciunt*, non dixit: *Quid dicunt*, adeoque oravit pro crucifixoribus suis & omnibus peccatoribus, qui hujus tam acerbæ crucifixionis causa fuerunt primaria, ignorantes tamen, quòd per delicta sua Dominum gloriæ crucifixis-
1. Cor. 2. 8. sent; sed qui formaliter blasphemare solent DEum, non ignorantes
Laur Scalab. & Paul. Dom. Pass. sunt; unde rectè Laurentius Scalabron: *Pro crucifixoribus Patrem rogat ut ignoscat, pro blasphemis autem nec orat, ne deprecatur, quasi crudelissimè in eum sævirent.*

Et de his quondam Propheta Regius in persona Christi crucifixi
Psal. 68. 27. vaticinatus, & lamentatus est: *Super dolorem vulnerum meorum addiderunt*; Imò & hodie blasphemi illi Christiani ac præsertim consuetudinarii dolorem super dolorem addunt. O miseri! quid erit aliquando de vobis?
Levit 14. 14. *Educ blasphemum*, dicebat quondam DEus ad Moysen, cùm in simili casu nesciret, quidnam esset agendum: *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus.* Et cur populus universus? Et nunquid à paucioribus inspectante populo potuisset lapidibus obrui? Resp. Salvianus: *Ut totus populus imbiberet horrorem & aversionem à blasphemia.*
Salvian. l. 4. de gubernat. Dei.

3. Pen-

3. Pendente Domino in fatali ligno sol mundi oculus suos retraxit radios: *Tenebræ factæ super universam terram.* Et quare sol non expectavit, donec sol justitiæ, qui est Christus Deus noster, in cruce obiisset? Resp. Hieronymus: *Videtur luminare majus retraxisse radios suos, ne aut pendentem videret Dominum, aut impii blasphemantes suâ luce fruerentur.* Nolebat enim Serenissimus astrorum princeps ulteriùs aspicere tam impios & execrandos Filii Dei blasphematores, in infimo inferni loco suo tempore collocandos: *Nihil horribilius* ait citatus S. Hieronymus, *blasphemiâ, quæ posuit in cœlum os suum; omne quippe peccatum comparatum blasphemiæ levius est.* Et tu adhuc audes Deum blasphemare? Matth. 27. 45. S. Hieron. in c. 18 Isa.

4. Sed & terræ motus factus est, dum mitissimus orbis Redemptor in cruce expiravit, montes disrupti: petræ scissæ, monumenta aperta, & omnis creatura sese armabat ad vindicandas Filio Dei à blasphemis illatas injurias; hi enim longè crudeliùs sæviebant in Christum, quàm carnifices, qui ejus tantùm sauciarunt corpus; sed illi animam pientissimi JEsu transfixerunt, & adhuc mali Christiani transfigunt, dum contra Deum in cœlum ponunt os suum. Audi Sanctum Bernhardinum: *Nihil horribilius blasphemiâ, quæ ponit os in cœlum! ô diabolici homines! ô incarnati dæmones! non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, qui descendunt in infernum*, inter quos blasphemi primi sunt. Matth. 27. 5. S. Bernhard. ser. 4. Tom. 1. Psal. 113. 17.

Tunc adimplebitur illud, quod dilectus ille Christi Discipulus prædixit: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Adverte: Supremus ille ac justissimus Judex, qui nec prece nec pretio flectitur, longè severiorem se ac prorsùs implacabilem erga blasphemos exhibebit, quàm contra alios peccatores: *Tunc videbunt in quem transfixerunt;* unde Veritas dicit: *Spiritus blasphemiæ non remittetur.* Apoc. 1. 7. Matth. 12. 31.

5. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quæres cur inclinato capite? Observa: Consummavit tunc Christus jam omnia tormenta ac mysteria, quæ Pater illi imposuit perferenda & peragenda; Restabat nunc solùm mortis catastrophe, ut per mortem JEsu vita & salus restitueretur hominibus; quid fecit moriens Redemptor? caput inclinavit, & simul tradidit spiritum, ut in omnibus Patri se exhiberet obedientem; Inclinavit autem caput ad partem dexteram, & quare non ad sinistram; Resp. Alphonsus Salmeron: *Ad dexteram, ut piè credendum est, ne infelicissimum latronem blasphemantem audiret.* Unde S. Lucas: *Unus autem de his, qui pendebant latronibus blasphemabat eum.* Ecce latro bonus cum sermone suo divino salvatus est, alter blasphemus cum maledictis suis æternùm damnatus; cum quo vis ire blaspheme in æternitatem? Joan. 19. 30. Salmer. To. 1. Luc 23. 39.

6. Primus inter homines blasphemus extitit impius Cain: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear,* Sennacherib Rex ob blasphemiam Gen. 4. 13.

4.Reg.19.35. in Deum jactam cum omni exercitu suo miserrimè periit: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cúmque diluculò surrexissent, vidit omnia corpora mortuorum: Et recedens abiit.* Holofernes, quia Deum blasphemavit, à
Judith 13.10. muliere capite truncatus, & exercitus illius trucidatus est: *Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.* Nicanoris blasphema lingua ex mandato Judæ Machabæi ex faucibus præcisa, & cœli volucribus de-
2 Mach. 15. v. 33. voranda data est: *Linguam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari, manum autem dementis contra templum suspendi.* Herodes blasphe-
Act. 12. 23. mans Deum à vermibus consumptus est: *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem DEO: Et consumptus à vermibus expiravit.* Antiochus turpissima plagâ ob blasphemantem linguam periit:
2.Mach. 2.9 *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.* Ite nunc blasphemi, & ad æternum barathrum vos parate.

7. Pro dictorum coronide adhuc unam propono quæstionem: dic mihi sodes! si lupus ovinâ contegitur pelle, ambulátque æqualiter in pascuis cum ovibus, ex quo signo lupum & ovem dignosces? Resp.
Hom. 19. Author Operis imperfecti: Ex voce: *Ovis*, ait, *inclinata deorsum balat, lupus in aera convertit caput suum contra cœlum, & sic ululat.* En discrimen inter hominem probum & reprobum: Blasphemi ponunt in cœlum os suum, & si quid adversi illis acciderit, ululant, ac milliones SS. Sacramentorum &c. &c. effutiunt; homo verò Christianus & in lege DEI bene instructus in omnibus adversis se penitissimè DEO com-
P. Lohner. in Bibl. mittit: *Pacem non habebis in regno tuo*, dicebat quondam crucifixus JEsus ad Robertum Francorum Regem, nisi blasphemos sustuleris.

CON-

CONSIDERATIO LXXXVI.

De irrisionibus, contumeliis & convitiis in Christum in cruce pendentem jactis.

Omnes videntes me, derisérunt me: Locuti sunt labiis, & moverunt caput. Psal. 21. 7.

1.

RECTÈ David pœnitens, vel potiùs ipse Christus Filius Davidis, nunc pendens in cruce, per os Davidis se assimilavit nocticoraci, seu noctuæ aut buboni, prout habet Divus Hieronymus, habitanti in suo domicilio, omniúmque avium, imò & hominum irrisionibus, contumeliis ac convitiis expositæ: *Factus sum sicut nocticorax in domicilio.* Et quomodo hoc? Adverte: Noctua in suo domicilio inter tenebras lugubre concinit canticum, & cùm capitur, ac super perticam alligata collocatur, quantocyùs ad eam quàm plurimæ solent advolare aves, irridentes, & vellicantes eam, ac plumas evellentes, proinde rectè pro lemmate ei affiges: *Omnium peripsema.* Psal. 101. 7.

Christus Dominus priùs habitans in antro Oliveti, exinde in peccatis nostris captus, pro suo domicilio crucem elegit, ubi quasi in pertica elevatus à Judæis, Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, militibus & ferè ab omni populo, velut nocticorax, irrisus, vellicatus, deplumatus vestibus, improperiis saturatus, ac tandem occisus fuit: *Stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis.* Proinde rectè S. Leo: *Supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus amplùs sævire non poterant, linguarum tela jaciebant.* Videamus plura ad doctrinam & correptionem nostram. Luc 23. 35. S. Leo serm. 4 de Pass.

2. Inter tot adversa, quæ à propriis concivibus Jeremias quondam perpessus est, nullum ei videbatur acerbius tormentum, quàm quòd ab omnibus irrideretur: *Factus sum in derisum omni populo meo; canticum eorum tota die.* Ita & Christo Domino in infami pendenti patibulo evenit, ubi inter innumeros dolores factus est omni populo in derisum; Thren. 3. 14.

4.Reg.19.35. in Deum jactam cum omni exercitu suo miserrimè periit: *Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia. Cúmque diluculò surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum: Et recedens abiit.* Holofernes, quia Deum blasphemavit, à
Judith 13.10. muliere capite truncatus, & exercitus illius trucidatus est: *Et percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus.* Nicanoris blasphema lingua ex mandato Judæ Machabæi ex faucibus præcisa, & cœli volucribus de-
2 Mach. 15. v. 33. voranda data est: *Linguam impii Nicanoris præcisam jussit particulatim avibus dari, manum autem dementis contra templum suspendi.* Herodes blasphe-
Act. 12. 23. mans Deum à vermibus consumptus est: *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem DEO: Et consumptus à vermibus expiravit.* Antiochus turpissima plagâ ob blasphemantem linguam periit:
2.Mach. 2.9 *Ita ut de corpore impii vermes scaturirent, ac viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur.* Ite nunc blasphemi, & ad æternum barathrum vos parate.

7. Pro dictorum coronide adhuc unam propono quæstionem: dic mihi sodes! si lupus ovinâ contegitur pelle, ambulátque æqualiter in pascuis cum ovibus, ex quo signo lupum & ovem dignosces? Resp.
Hom. 19. Author Operis imperfecti: Ex voce: *Ovis*, ait, *inclinata deorsum balat, lupus in aera convertit caput suum contra cœlum, & sic ululat.* En discrimen inter hominem probum & reprobum: Blasphemi ponunt in cœlum os suum, & si quid adversi illis acciderit, ululant, ac milliones SS. Sacramentorum &c. &c. effutiunt; homo verò Christianus & in lege DEI bene instructus in omnibus adversis se penitissimè DEO com-
P. Lohner. in Bibl. mittit: *Pacem non habebis in regno tuo*, dicebat quondam crucifixus JEsus ad Robertum Francorum Regem, nisi blasphemos sustuleris.

CON-

CONSIDERATIO LXXXVI.

De irrisionibus, contumeliis & convitiis in Christum in cruce pendentem jactis.

Omnes videntes me, derisérunt me: Locuti sunt labiis, & moverunt caput. Psal. 21. 7.

1.

RECTÈ David pœnitens, vel potiùs ipse Christus Filius Davidis, nunc pendens in cruce, per os Davidis se assimilavit nocticoraci, seu noctuæ aut buboni, prout habet Divus Hieronymus, habitanti in suo domicilio, omniúmque avium, imò & hominum irrisionibus, contumeliis ac convitiis expositæ: *Factus sum sicut nocticorax in domicilio.* Et quomodo hoc? Adverte: Noctua in suo domicilio inter tenebras lugubre concinit canticum, & cùm capitur, ac super perticam alligata collocatur, quantocyùs ad eam quàm plurimæ solent advolare aves, irridentes, & vellicantes eam, ac plumas evellentes, proinde rectè pro lemmate ei affiges: *Omnium peripsema.* Psal. 101. 7.

Christus Dominus priùs habitans in antro Oliveti, exinde in peccatis nostris captus, pro suo domicilio crucem elegit, ubi quasi in pertica elevatus à Judæis, Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, militibus & ferè ab omni populo, velut nocticorax, irrisus, vellicatus, deplumatus vestibus, improperiis saturatus, ac tandem occisus fuit: *Stabat populus spectans, & deridebant eum Principes cum eis.* Proinde rectè S. Leo: *Supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant, & in quem manibus amplùs sævire non poterant, linguarum tela jaciebant.* Videamus plura ad doctrinam & correptionem nostram. Luc 23. 35. S. Leo serm. 4 de Pass.

2. Inter tot adversa, quæ à propriis concivibus Jeremias quondam perpessus est, nullum ei videbatur acerbius tormentum, quàm quòd ab omnibus irrideretur: *Factus sum in derisum omni populo meo; canticum eorum tota die.* Ita & Christo Domino in infami pendenti patibulo evenit, ubi inter innumeros dolores factus est omni populo in derisum; Thren. 3. 14.

sum; imò non tantùm irridebant eum, sed & in illum protervè cantillarunt, fistilarunt, ac sibillarunt; hinc Vates Regius: *In me psallebant, qui bibebant vinum*: bonum namque vinum & aromaticum, quod à piis matronis Christi nunc crucifigendo submissum erat, nefarii illi helluones ebiberunt, & vinum acetosum cum felle patienti Domino propinarunt. O irrisores, ô contemptores Dei & proximi! huc, huc adeste, & JEsum vestrum ab omnibus desertum ac derisum considerate: Audite Sapientem: *Parata sunt derisoribus judicia*; imò & æterna supplicia.

Psal. 68. 13. Landsperg. de Pass. art. 48. Prov. 19. 29.

3. Elisei calvitiem petulantes riserunt pueri: *Ascende calve, ascende calve* sed malè à duobus ferocibus ursis tractati sunt: *Egressique sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros.* Eliseus, ait Abulensis, typus Christi fuit in Calvarium montem ascendentis, ibique crucifixi, & à pueris, qui (prout observat S. Anselmus, lapides & lutum in illum projiciebant) & à cæteris impiis Hebræis illusi: *Si Filius Dei es, descende de cruce.* O JEsu! quid adhuc pro nobis?

4. Reg. 2. 22.

Pensa, & considera ex hoc, anime mi, in quantam miseriarum voraginem ob tui causam devenerit optimus JEsus. Augetur sine dubio etiam viro cordato ac probo miseria ac dolor, si inumeris presso angustiis nullus sit, qui compatiatur, & eum consoletur; Crescitque dolor, si pro compassione & consolatione in illum ab omnibus conjiciantur gravissimæ injuriæ, convitia, derisiones & blasphemiæ. Et hæc omnia pretiosissimus Redemptor meus pro me passus est! Ah lacrimæ meæ ubi estis? Ego vix verbum asperum portare possum, & quid pro me Christus? Audi ipsum loquentem, dum in cruce confixus Beatæ Angelæ de Fulgineo apparuit, & hæc sequentia illi dixit: *Pro auribus tuis, quibus Deum offendisti, & audiendo vana & nociva, in talibus fuisti delectata, ego pœnitentiam maximam feci, non auribus meis audivi multa, quæ multam & maximam tristitiam afferebant, scilicet falsas accusationes, detractiones, insultationes, maledictiones, derisiones, subsannationes, blasphemias, & iniquam contra me sententiam.* Et qualis tua erit sententia?

Bolland. 4. Jan. f. 203.

4. Job toto corpore saucius, imo totum vulnus, atque ab omnibus, tanquam homo monstrosus & abominabilis despectus & irrisus, dixit: *Nunc in eorum canticum versus sum, & factus sum eis in proverbium. Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem conspuere non verentur.* Quæ omnia in Christo crucifixo fuerunt adimpleta, in quem & cantica, ait Le Blanc, in compitis & conviviis faciebant, ac decantabant. Et quid de illis corpus ejus per sex ferè horas in Calvario jugo custodientibus? *Et sedentes*, ait Matthæus, *servabant eum*, videlicet milites & lictores, carnifices & tortores, ac infima & insana fæx plebis, hi omnes vel sedebant,

Job. 30. 9. Le Blanc. in Psal. 68 13.

bant, vel stabant, aut jacebant in circuitu crucis insultantes crucifixo & morienti JEsu; proinde rectè S. Chrysostomus: *Non poterant adhuc animum explere, sed & in patibulo pendentem videntes, amaris eum impetunt verbis, quæ & rebus ipsis mihi graviora videntur.* Sic adimplerunt illud Davidis: *Quem tu percussisti, persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Et tu ô peccator! nunquid & idem facis, si de novo in peccatum mortale ruis? & tu? Psal. 68. 27.

5. Quàm gravis insuper fuerit Christi in cruce pendentis dolor, apparuit ex Propheta Jeremia, qui brevibus verbis de illo vaticinatus est: *Dabit percutienti se maxillam, & saturabitur opprobrijs.* Exclamavit quidem in cruce: *Sitio*, quo verbo ostendit se sitire plura adhuc pro salute nostra pati tormenta ac vulnera, sed non perinde etiam plura opprobria ac convitia, quibus omninò exsaturatus est; Unde advertit S. Matthæus, quòd post tot acceptas contumelias, irrisiones, blasphemias: *Prætereuntes autem blasphemabant eum &c.* ad Patrem exclamaverit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Observa cum S. Cypriano, nunquam in passione Dominus se à Patre esse derelictum conquestus est, quàm ubi illius fama tam atrociter dilacerata est, dum principes Sacerdotum, Scribæ & Pharisæi ac insana plebs, velut rabidi ac mordaces canes crucem circumstantes, vel juxta illam prætereuntes plenis eum faucibus allatrarunt: *Circumdederunt me canes multi: Concilium malignantium obsedit me.* Et tu vis esse talis canis, homo Christiane, allatrans JEsum & hunc crucifixum? Ah quæso, quid aliud agis, dum in templo in tremendo missæ Sacrificio rides, jocaris, fabularis, & cachinnaris (ne dicam quid aliud) quàm quòd de novo Christum crucifixum irrideas? *Si dæmones credunt, & contremiscunt;* ubi est fides tua? ubi devotio tua? te jactas esse bonum Christianum, & in conspectu divini Judicis, multorúm-Angelorum millibus rides? O flebilis risus! ô desolatio magna in loco sancto, ex quo subinde, adimpletâ peccatorum mensurâ, regnorum & provinciarum imminet ruina & interitus. Audite Ludolphum Carthusianum: *Multis non sufficit Christum crucifigere peccando, sed etiam deridens crucifixum, peccata iterando, vel de peccatis se jactando &c.* Thren. 3. 30. Joan. 19. 28. Matth. 27. 39. Psalm. 21. 17. Jacob. 2. Ludolph. Carth. de Vit. Chr.

6. Riserunt quondam Philistæi Samsonem vinctum, exoculatum, incarceratum, agebántque dies festos ac ludos, ut magis illi tanquam inimico pessimo insultarent; textus Hebraicus habet: *Vocate Samsonem, ut ludatur, & rideatur à nobis*, sed inter tam miserabilem lusum concussit Samson duas columnas domûs, quibus innitebatur, ex cujus ruina Principes & tria Philistinorum millia secum obruit, ac sepelivit: *Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dextrâ, & alteram levâ tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philistiim, concussit:* Judic. 16. 29.

cussisque sortiter columnis, cecidit domus super omnes Principes & cæteram multitudinem &c.

S Aug. serm 107. de Temp.

Judic. 16. 28

Samson Christi typus fuit, ita S. Augustinus, illusi & irrisi in cruce; Samson vindictam in hostes spiravit: *Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem pristinam, Deus ultionem recipiam*: Christus econtrà clamavit: *Pater, dimitte illis*, proinde omnia ejusmodi scommata & convitia patientissimo animo sustinuit; potuisset quidem, & hoc sine dubio, duas crucis ad invicem concutere columnas, & uno momento perdere mundum universum, non tamen fecit, ut inimicis suis adhuc præberet pœnitentiæ spatium, unde multi adhuc ex illis irrisoribus ad

Luc. 23. 47.

Deum conversi sunt: *Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit* DEUM, *dicens: Verè hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora suave-*

Salmer. Tom. 10. n. 40.

vertebantur. Finio hanc considerationem cum doctissimo Salmerone, qui ex prædictis derisionibus Christi hanc moralem eruit doctrinam: *Hæc improperia maximè nobis posuit adversùs illa, quæ in hora mortis consuevit dæmon in nos jactare. Nam cùm videt corpus deficere, & animæ exitum instare, Sathan omnia peccata, quæ suis suggestionibus admisimus, nimio terrore nobis objicit, ut in desperationem inducamur, sed fructum passionis Dominicæ consecutis irrisiones Sathanæ nocere non possunt.* O Christiani, fugiamus ad passionem JEsu &c.

CONSIDERATIO LXXXVII.

Christus, licet multùm à Judæis sollicitatus, non tamen descendit de cruce, ut nos doceret perseverantiam.

Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei, Matth. 27. 42.

1.

ELeazarus unus de primoribus, & vir Sanctus, cùm pro lege Dei extrema pateretur tormenta, non descendit de cruce & equuleo, in quo erat suspensus, & rigide, velut tympanum, distentus, ac fustibus pulsatus, sed permansit in omni tentatione con-

constantissimè, & usque in finem fortiter, illustre ac glorioſum Septem Fratribus Machabæis, cæterisque in veteri testamento ad martyrium præbens exemplum: *Duros corporis sustineo dolores: secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior.* Supra quod Cornelius: *Eleazarus distentus, pulsatúsque in tympano typus fuit Christi in cruce distenti, malleisque pulsati, & crucifixi.* 2. Mach. 6. 30.

Christus pendens in cruce, licet iteratò à perfidis Judæorum primoribus ad descensum sollicitatus: *Si Rex Israël est, descendat nunc de cruce, & credimus ei &c.* non tamen descendit, ut nos doceret in cruce perferenda, & in bene cœptis perseverantiam, non enim quis salvus esse potest, nisi quis perseveraverit usque in finem. Matth. 27. 42.

2. Venerunt aliquando ad Christum Dominum tres juvenes bene nummati, qui illius discupiebant fieri discipuli. Primus erat Scriba, & in lege peritus, qui videns Christi miracula & populi applaudentis concursum, sine mora desiderabat ei associari, unde dixit: *Magister, sequar te quocunque ieris;* ad quem Dominus: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Et sic dimisit eum. Matth. 8. 19.

Venit & secundus humiliter flagitans, ut in discipulum ab eo reciperetur, sed priùs ut sibi liceret patrem suum sepelire: *Domine, permitte me primùm ire, & sepelire patrem meum.* Ad quem mitissimus Salvator: *Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Abiit & hic spe sua frustratus & desolatus. Matth. 8. 21.

Venit & tertius impensè rogans: *Sequar te Domine, sed permitte mihi primùm renuntiare his, quæ domi sunt.* Sed & ille juvenis rejectus est, & abiit tristis; post quorum abitum Veritas Christus ad cæteros conversus discipulos dixit: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Quæres hic prudens Lector, quale sit hoc aratrum, ad quod debemus manum mittere? Luc. 9. 61.

3. Resp. S. Ambrosius: *Crux est in aratro.* S. Justinus: *Terra sine crucis vestigio non aratur;* Et S. Maximus: *Bonus agricola, dum aratro dentale subjicit, affigit aures, stivam inserit, figuram crucis imitatur.* S. Ambr. ser. 56. S. Justin in Apologetico. S. Max ho. 2. de cruce.

O bone JEsu! tu fuisti agricolæ Filius, quia ipse dixisti: *Pater meus agricola est,* qui à primo vitæ instanti misisti manum tuam aratrum crucis, & nunquam eam deseruisti, nec respexisti retrò. Petierunt quidem improbi Judæi, ut descenderes de cruce, non tamen descendisti, ut nobis præberes in omni virtute, ac præsertim patientiæ & tolerantiæ exemplum; si enim de crucis infami patibulo post unam, alterámve horam descendisses, quomodo tot milliones SS. Martyrum in tam immani carnificina, quam pro te & fide tua sustinebant, potuissent Joan. 15. 1.

sent constanter perseverare? Juvat hic audire doctissimum Salmeronem: *Si Christus*, inquit, *non perseveraſſet, quis Martyr perseveraſſet in tormentis, quis Christianus in bonis operibus?* O quantùm hic de cruce descensus universæ præjudicasset Ecclesiæ! non enim Angelorum restaurata fuisset ruina, nec devictus hostis infernalis, nec idololatria profligata, nec peccatum expiatum, nec paradisus apertus, nec mors superata, nec de rigore justitiæ divinæ satisfactum, nec denique genus humanum redemptum; proinde Christo perseverandum erat usque ad finem fortiter & constanter in cruce. Et tu, anime mi! quotidie de tua vis descendere cruce? Perseverandum est, perseverandum est, non enim qui bene incepit, sed qui usque ad finem perseverabit, coronabitur, unde S. Bernhardus: *Studete perseverantiæ, quæ sola coronatur.*

Salm. hic.

4. His præmissis, & attentiore mente consideratis, facilius capio, quòd prædicti tres juvenes, qui Christi affectabant sequelam, tam citò ab ipso fuerint rejecti: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno Dei.* Observa illorum juvenum inconstantiam, manus quidem ad aratrum crucis volebant applicare, sed mox respicientes retrò abierunt, & sic non apti erant regno Dei. Perseverandum igitur illis erat in bene cœptis, unde S. Laurentius Justinianus: *Solùm non perseveraſſe, est amisisse coronam.*

Luc. 9. 62.

Si perseveraſſet uxor Loth in bono suo proposito, nunquam versa fuisset in statuam salis: *Respiciens uxor ejus post se, versa est in statuam salis*, cujus memor Christus hanc mortalitati humanæ reliquit doctrinam: *Memores estote uxoris Loth*, quæ periit, quia retrospexit.

Gen. 19. 17.

Luc. 17. 32.

Si Sponsa non perseveraſſet in quærendo Dilectum suum: *Quæram quem diligit anima mea*, nunquam eum invenisset. Si pastor non duraſſet perditam suam in deserto inquirendo oviculam, eam non reperiisset. Si mulier illa Evangelica drachmam suam perditam, vel potiùs gemmam non tam sedulò ac constanter quæsiviſſet, & ipsa spe frustrata abiisset. En virtus boni operis perseverantia est, multorum enim est incipere, sed paucorum perseverare. Bene cœpit Saul, Salomon, Judas, Tertullianus, Origenes & alii innumeri, etiam nobis noti, sed malè finierunt, non enim qui bene cœpit, sed qui perseveraverit usque ad finem, salvus erit. Denarius diurnus non datur incipientibus, sed bene finientibus. Miles non reportat palmam, nisi obtineat victoriam. Non omnibus qui in stadio currunt, corona datur, sed iis duntaxat, qui attingunt metam. Proinde anime mi: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.*

Gen 3 2.

Luc. 13. 4. 2

Matth. 24, 13.

Apoc. 2. 10.

5. *Si Filius Dei es, mitte te deorsum*, dicebat quondam Sathanas ad Christum, ubi ex deserto post quadragenarium jejunium completum

Matth. 4. 6.

eum

eum rapiendo per aëra super pinnaculum templi statuit: *Mitte te deorsum.* Hoc fecerunt & Judæi, dum clamabant ad crucifixum JEsum: *Descende de cruce*, in quo se declarabant filios & discipulos diaboli; unde S. Hieronymus: *Mihi hoc videntur dæmones immitere, statim enim ut crucifixus est, senserunt virtutem crucis, & intellexerunt vires suas fractas, & hoc agunt, ut de cruce descendat: Sed Dominus sciens adversariorum insidias permanet in patibulo, ut diabolum destruat.* Disce non pro qualibet contumelia & verbo aspero descendere de cruce patientiæ &c. Durandum, durandum: *Durate, & vosmet rebus servate secundis.* S. Hieron. in Matth. hì..

Et credimus ei. O mi Redemptor! ecce bonum nuntium fero, nunc Judæi volunt in te credere, hoc unum fac: *Descende de cruce* Subintrat hìc S. Hieronymus: *Fraudulenta promissio, quid est plus de cruce adhuc descendere viventem, an de sepultura mortuum resurgere? Resurrexit, & non credidistis, ergo si etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis.* Permansit patientissimus JEsus in cruce constantissimè, & sic plenam de peccato, morte, diabolo, ac mundo obtinuit victoriam, ubi mors & vita duello conflixêre mirando. Pro reflexione morali juvat hìc audire Thomam Kemp. Ascetam sapientissimum, juxtà ac piissimum: *Domine JESU*, inquit, *sicut dixisti, & promisisti, sic utique fiat, & mihi promoveri contingat. Suscepi, suscepi de manu tua crucem portabo, & portabo eam usque ad mortem, sicut imposuisti mihi. Verè vita boni Christiani crux est, & dux paradisi. Inceptum est, retrò abire non licet, nec relinquere oportet. Eja Fratres pergamus simul, JEsus erit nobiscum. Propter JEsum suscepimus hanc crucem, propter JEsum perseveremus in cruce. Erit adjutor noster, qui est dux noster & præcessor. En Rex noster ingreditur ante nos, qui pugnabit pro nobis. Sequamur viriliter, nemo metuat terrores; simus parati moriforiter in bello, nec inferamus crimen gloriæ nostræ, ut descendamus de cruce, aut fugiamus de cruce.* O quàm bene ac sapienter pro omni statu! S. Hieron. in Matth Thom. Kem. de Imit Chr. l. 3. c. 56.

6. Coronidem huic nostræ Considerationi addat Venerabilis Magdalena Ursina ex Ord. S. Dom. Hæc pluribus annis in S. Religione piissimè transactis, gravissimis morbi molestiis à Deo tentata ac probata est, in qua assidua afflictione suspirabat ad suum crucifixum Amorem: *Domine, usque quò?* Et ecce apparuit ei Dominus cruci affixus, monens eam, ut firmiter secum in cruce perseveraret. Ad quæ verba illa: *Bene est Domine, dolores tui & pœnæ trium horarum modò horarum spatio duravunt, & tu plurimis me has sufferre sine intermissione jubes?* Ad quam crucifixus Dominus: *O ingratam! ego à primo conceptionis meæ momento crucem hanc perpeti cœpi, tormenta omnia, ac singula præsibans, quæ postea dedocilis labris exhausi.* Erubuit ad hanc vocem afflicta, & cautior facta usque ad mortem in sua cruce perseveravit. Vade, & fac similiter. Hadr. Lyr. de Chr. Pat. f. 508.

CONSIDERATIO LXXXVIII.

Christus in cruce pronior est ad nos exaudiendum, quàm in sinu Patris.

Misericordiam volo, & non sacrificium: non enim veni vocare justos, sed peccatores. Matth. 9. 13.

1.

PUlcherrima est illa æternæ Veritatis parabola, imò quotidiana historia, de amico illo pauperculo, de quo Lucas, quòd de media nocte, tempore maximè incomodo & importuno ad amicum suum prædivitem venerit, impensè rogans eum: *Amice commoda mihi tres panes*: Amicus enim meus ex itinere defatigatus, & esuriens ad me hospitaturus advenit, & non habeo pro nunc temporis in domo mea, quod illi apponam. Sed quid responsi tulit? *Non possum surgere, & dare tibi.* Et quare mi Domine! non potuisti surgere de lecto, & tuo amico desideratos subministrare panes.

Luc. 11. 5.

Respondet pereleganter ad propositum Mancinus: Qui requiescit in molli lectulo, difficilè audit vocantem, & difficiliùs surgit, ut indicat parabola proposita, qui verò in duro lecto dormit, facilè audit vocantes. Ita Dominus JEsus, dum quiesceret in sinu Patris, tanquam in mollissimo & suavissimo lecto, difficilem se in audiendo præbebat; Ast postquam in lecto crucis quiescere voluit, propensum se ad audiendum exhibet, in quo ipse à Patre suo exauditus est in omnibus pro sua reverentia.

Mancin lib. 4. dissert 9. Doctr moral. 2.

2. Salomon Rex pacificus pretiosum sibi quondam paravit lectulum, fortissimorum virorum semper munitum præsidio, in quo lectulo mirè se benignum atque mitem solebat exhibere; unde admirabundæ, considerando hunc lectulum, exclamarunt cum Sponsa Sionidæ: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël &c.*

Cant. 3. 7.

Aponius hìc apud Cornelium per illum Salomonis Lectulum allegoricè Christi lectulum, hoc est: Crucem Dominicam subaudit, in qua ipse Dominus, verè Rex pacificus, moriens quievit, & obdormivit,

mivit, omnibus se præbens benignum, atque misericordem, non enim venit vocare justos, sed peccatores, misericordiam potiùs volens, quàm illorum sacrificium. Juvat hìc audire aurea verba Doctoris Mellifluí: *En stat Dominus Jesus Rex tuus expansis manibus, nudo corpore, manibus simul & pedibus perforatis: capite inclinato. Confortare nunc, & elevare anima mea misera, & infirma, & alis fidei & spei ad hunc hortum charitatis enitere, & totum mentis intuitum per varia dispersum in unum collige, ac apum sedulitatem imitans ad conficiendum tibi mel devotionis ad paradisum charitatis ascende. Non est elevatus in crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri.* O verba consolatione plena! S. Bernhard. Tract. de Pass. D N. cap. 44.

3. De fortissimo Samsone recenset Sacra Scriptura, quòd in nuptiali suo convivio Philistæis tunc convivis hoc ænigma proposuerit solvendum: *De comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nemo intra spatium sex dierum inventus est, qui hoc intricatum solvere poterat problema; tandem Samsonis uxor hoc illis patefecit arcanum: *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?* Judic. 14. 14.

S. Augustinus per hunc leonem Christum Dominum intelligit: Ipse enim est leo de tribu Juda, qui sua morte in cruce devicit mortem, dæmonem, peccatum & gehennam: *De edente utique, id est, de morte, quæ cuncta devorat atque consumit, exivit cibus ille, qui dixit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi, quem humana exacerbavit iniquitas, eique aceti & fellis amaritudinem propinans, atque ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conversa suscepit, ac sic de mortui leonis ore, id est, de Christi morte, qui accubans dormivit ut leo, apum, id est, Christianorum processit examen.* S Aug. serm. 107. de Temp.

4. Ad hoc quoque alluśit Mellifluus ille Bernardus, qui crucifixum Amorem suum considerans, quàm pronus sit ad nos in cruce exaudiendum, & præstandam nobis suá misericordiam, de illo dixit, & scripsit: *Cùm Jesus in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo* Blasphemabatur in cruce à Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, maledicebatur à militibus eum crucifigentibns, & custodientibus, universus populus eum deridebat sacrilegis vocibus, JEsus autem immemor omnium injuriarum, ad Patrem pro omnibus rogat: *Pater dimitte illis.* Clamabat tunc mensura peccatorum jam adimpleta vindictam, DEus Pater populo tam scelerato ultimum minitabatur excidium, armabatur totus terrarum orbis ad ultionem, JEsus autem dicebat: *Pater dimitte illis.* O verbum nunquam ex memoria nostra excidendum! Et tu offensus quid agis? S. Bern. de Pass. Dom. cap. 12. Luc. 23. 34.

Olim in sinu Patris erat DEus ultionum, DEus vindictæ, puniens delicta hominum usque in tertiam & quartam generationem: *Mihi vindicta: ego retribuam;* In cruce verò ipse rogat pro delinquentibus, & Rom. 12. 19.

S. Chrysolog. serm. 7. sic prout asserit S. Chrysologus: *Deus Dominum mutavit in Patrem, quia ab eo tempore amari maluit, quàm timeri.* Exemplum sume à latrone pœnitente, qui cùm spe plenus, & credens nunc Christum esse Deum, vix hæc

Luc. 23. 42. verba proferebat: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum*; mox audire meruit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Observa: Non dixit crucifixus Dominus: In extremo judicii die te ad dexteram meam locabo, non post aliquot annos te in paradisum assumam, non post aliquot menses, aut dies tui in regno meo memor ero, sed *hodie*, antequam adhuc sol occumbat. O miram crucifixi JEsu liberalitatem; imò & miram latronis felicitatem. Considera ex hoc, ait Avancinus, *quid non potest uno penè momento Dei gratia acceptata.* O si hæc tibi affulget, anime mi, arripe eam citò ambabus manibus, & nunquam ampliùs eam dimitte.

5. Objecit quondam Christus discobolis Judæis, dum eum vo-

Joan. 8. 56. Theophyl. hìc. lebant lapidare: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Et qualem diem, dices? Respondet Theophylactus hìc: *Diem autem dicit crucem*, hanc prævidit Abraham, & gavisus est, quia per eam ipse, cæterique homines erant salvandi, non enim ignorabat per fidem, quòd immolatio Isaac filii sui figura fuerit & typus immolationis futuræ Filii Dei, per quem salvaretur orbis universus. O peccatores omnes, ite, ite ad hunc montem Moria, nunc Calvarium, ubi in hodiernum usque diem vobis utriusque & Filii Dei & Isaaci filii

S. Chrysost. hìc hom. 47. Abraham demonstrabitur immolationis locus, *in quo monte*, ait S. Chrysostomus, *pro Isaac oblata est ovis, sed pro mundi salute oblatus est Agnus Dei.* Et quid ab hoc agno divino aliud sperare possumus quàm gratiam ac misericordiam, ad quem nos extento digito monstrat Præ-

Joan. 1. 29. cursor Domini: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*: Et cur non etiam tuum, ô mi Lector?

6. Sponsa illa dilecta amantissimi Sponsi sui, candidi & rubicun-

Cant. 7. 7. S. Isidor. hìc. di staturam victrici ac fœcundæ palmæ comparavit: *Statura tua assimilata est palmæ.* Supra quem Scripturæ locum S. Isidorus: *Apertè*, inquit, *victoriosissima crux palmæ comparatur, in quam Christus ascendens apprehendit fructus ejus, id est, dona, quæ largitus est sanctæ Ecclesiæ.* Vide benignitatem Christi in cruce pendentis.

Joan. 5. 2. Nota erat quondam piscina illa probatica, quæ mirabilem ægrotos sanandi habebat virtutem, quoties enim descendit de cœlo Angelus (qui S. Raphael fuisse creditur) & movebat aquam, toties sanabatur unus. Sed unde, quæso, illa virtus piscinæ? Respondet S.

S. Vincent. Ferr. ser. 6. post invocav. Vincentius Ferrerius: *Ut ostendatur virtus crucis & passionis: nam dicit Magister Historiæ Scholasticæ, quòd in illa piscina erat illud lignum, quod postea servivit ligno crucis;*

crucis, Quinque porticus significant quinque Vulnera &c. O felix ille, qui ad hanc gratiarum piscinam confugit! hoc est: ad crucifixum JEsum. Si hoc olim erat in umbra, & figura, quid nunc in veritate?

7. Audiamus Historiam memorandam. Ducebantur in Urbe Senensi in Italia duo sceleratissimi latrones ad mortem, quibus curribus impositis ferro discerpebantur membra. Nihil hic poterat Confessarius, dum loco seriæ pœnitentiæ latrones illi nil nisi blasphemas contra Deum & Sanctos jactabant voces. Audiit hoc S. Catharina Senensis, prospicit per fenestram, & ingentem dæmonum catervam flagitiosos illos miserrimè exagitantium intuetur. Quid hic illa Beata? Illicò ad Amorem suum crucifixum, ut illius exoraret clementiam, se confert, quibus desperatis latronibus ferventissimis precibus suis hanc impetravit gratiam, ut, cùm perventum esset ad urbis portam, ipse crucifixus Salvator plenus vulneribus, ac cruentatus sese ipsis redderet conspicuum, quem non viderunt tantùm, sed & audierunt ad seriam pœnitentiam invitantem. O immensam crucifixi JEsu bonitatem! Ambo latrones nunc subito conversi, inclamarunt Sacerdotem, cui in animo contrito ac humiliato omnia sua confitebantur peccata, & sic exantlato patienter ultimo supplicio, ad meliorem vitam transierunt. Proinde rectè Hugo à S. Victore: *Nemo de Dei pietate diffidat: quoniam major est ejus misericordia, quàm nostra miseria.* Hoc considerans abi in pace bene consolatus.

Surius in Vita S Cathar Sen. 29. April.

Hugo de S. Vict. l. de anima c. 3.

CONSIDERATIO LXXXIX.

Redemptio generis humani quàm carò steterit Servatori nostro Crucifixo JEsu?

Quia apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio. Psal. 129. 7.

1.

INtra sex dies Deus T. O. M. verbo unico *Fiat* creavit omnia, sed ad recreationem hominis peccatoris triginta & plures impendit annos: *Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit die septimo ab universo opere quod patrarat.* Sed non requievit

Gen. 1. 2.

DEus & homo Christus per tot annorum tractus, donec animam meam peccatricem recrearet, & per sanguinem suum pretiosissimum ab interitu redimeret; unde rectè doctissimus, juxta ac pientissimus Idiota: *Urget ratio, & justitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi, quia me fecisti, ad magis amandum sum obligatus, quia me refecisti: nec tam facilè me refecisti, quàm fecisti; nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura; nec tantum dura, sed indigna.* O DEus bone! quanto labore ac dolore stetit animæ meæ salus!

Idiota de an. div. c. 10.

Gen 6.14. 2. *Fac tibi arcam*, dicebat quondam Deus ad Noë, in qua salvetur genus humanum: *Arca hæc*, subintrat hìc Hugo Cardinalis, in sensu allegorico, *Christi humanitas est, quæ omnes fluctus persecutionum sustinuit*: per hanc enim salutiferam arcam ab æterno diluvio salvati, & liberati sumus; Proinde humiliter & gratâ mente sæpiùs cum Ecclesia DEi dicamus: *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per sanctam crucem tuam redemisti mundum.*

Psal. 76. 21. Multo labore stetit redemptio populi Israëlitici ex Ægypto, quæ per manum Moysis & Aaronis facta est. Idem redemptio ex captivitate Babylonica. Plus stetit Christo redemptio generis humani ex servitute diabolica, quod summum beneficium nec ullus mortalium satis capere, nec sufficienter poterit prædicare, quia per illum ex inferni barathro liberati, & in libertatem filiorum Dei asserti sumus: *Quibus igitur oculis*, ait Diez, *sanctissima illa Christi vulnera respicient, è quibus tanta illis bona profluxerunt?* Verbo: debemus omnia SS. Vulneribus Christi JEsu.

Diez in Dom. Pass.

Jacob. Salian. de Timore Dei l. 5. c. 21. 3. Sed ut hanc veritatem magis capiamus, perelegantem similitudinem, quam Salianus in medium producit, audiamus; imò non audiamus tantùm, sed & ferreo stylo nostris inscribamus pectoribus. Peregrinus quidam ad regni alicujus pervenit metropolim, ubi cùm manè pararet egressum, nuntiatur ei omnes civitatis portas esse obseratas, omnibus compitis ac plateis geminata præsidia. Cúmque omnes inquirunt attoniti, quid dies illa parturiat, apparet majori in platea excitatum theatrum, pullo peristromate undique convestitum. Populus magistratum rogat, quid sibi velit hic lugubris apparatus? ille populũ amandat ad regiam; ubi rursum interrogat, an quo supplicio vir aliquis illustris afficiendus sit, ùt hæc nova rerum facies significat? Responsum accipiunt Regem eo die capitale ac planè horrendum exercere judicium: de quo? inquiunt, illi cum alto gemitu, de unigenito filio suo. Attoniti cives, circumspicere sese, atq; obmutescere, móxque receptâ voce: Oportet igitur regium hunc adolescentem attentati parricidii reum esse, nihilque ullo in facinore intentatum reliquisse. Tantum

tum abeſt, ait palatina cuſtodia: Princeps eſt obſervantiâ in parentem, benignitate in ſubditos, pietate in Superos, iñocentiâ in omnes ſingulari: Princeps quo neminem Dei donis cumulatiorem ſol videt in terris. Hic cives: neceſſe eſt ergo parentem illum omni barbarie ac feritate diriorem. Imò contra, inquit præſidium, nemo clementior, nemo ad miſericordiam adversùs delinquentes propenſior.

Quæ ergo cauſa eſt tam horrendæ, tam luctuoſæ, tam ſæculis omnibus inauditæ tragœdiæ? Ecquid tandem potuit talem Patrem adducere ad mortem tali filio decernendam? Et ad capitale ſupplicium carnificis manu, unigenito filio ſtatuendum? Nimirum, ajunt, regius hic juvenis, quâ eſt in omnes humanitate & clementiâ, unum de ſontibus emiſit ex carcere, tanto cum parentis dolore & ſtomacho, ut ejus loco velit filium unigenitum, alioquin innocentiſſimum fractis cervicibus pœnam luere capitalem.

Adeamus nunc animo Jeroſolymam, ſub illum ipſum diem, qui Chriſtum in cruce patientem vidit, & luxit. Civitas in armis eſt univerſa, populus ſtupet attonitus, tota terræ facies atrâ eclypſi divinitùs obnubitur, aſtra lumen mundo negant, cœlum gemit, lapides diſſiliunt, ſepulchra ſponte panduntur, omnia elementa turbantur, funeſtum crucis theatrum in monte Calvario erectum eſt; cui tandem fini? dicent Angeli ejus: Rex cœli & terræ, ille *Pater miſericordiarum*, 2. Cor. 1. 3. *& DEus totius conſolationis* hodie cruci ſuffigit unigenitum filium ſuum. At quem filium, DEus imortalis, quem filium? Exemplar iñocentiæ & ſanctitatis, *agnum ſine macula*, gloriam humani generis, Electorum Levit. 9. 3. omnium caput. Et quod tandem hujus filii ſcelus? Adamum mortis reum eduxit è carcere: Judex vicariam ejus mortem petit, & iñocentem luere, quod admiſit nocens. O *cœli obſtupeſcite ſuper hoc, & portæ ejus* Jerem. 2. 12. *deſolamini vehementer!* Ille pro me miſerrimo & ingratiſſimo peccatore pendet in crucis patibulo, qui dignus ſum inferni barathro: O *cœli obſtupeſcite*: hoc pro me JESUS meus! Ah fluite lacrymæ!

4. Sed conſolatur me valde, quod Vates Jeſſæus aureâ ſuâ peñâ mortalitati humanæ reliquit: *Quoniam apud Dominum miſericordia, & copio-* Pſal. 129. 7. *ſa apud eum redemptio.* Reverà copioſa Chriſti redemptio fuit, dum non auro, ait S. Hieronymus, redemit nos, ſed ſanguine ſuo: non S. Hieron. hîc paucos homines, ſed univerſum mundum: non ad paucos annos, ſed pro tota æternitate, non ad exiguum emolumentum, ſed ad immenſum gloriæ pondus. *Copioſa redemptio* ob vehementiam amoris, dum potuiſſet unicâ Sanguinis ſtillâ nos ab interitu redimere, dedit in cruce ultimam; Si quod ſuffeciſſet redemptioni, non ſuffecit amori: *Copioſa* 1. Cor. 6. 20. *redemptio* propter infinitatem pretii pro nobis dati: *Empti eſtis pretio magno;*

Et

Ephes. 1. 7. Et in alio loco idem Apostolus: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, quæ superabundavit in nobis.* Ex quibus facilè concludes, anime mi, quòd cum omni fiducia ad tam liberalem Redemptorem debeas accedere, quia ipse te vocat: *Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redemi te.* Et tu adhuc tergiversaris? Isa. 44. 22.

5. Pulcherrimus est ille Psalmus, quem diebus Dominicis Ecclesia cantare solet in Vesperis: *In exitu Israël de Ægypto*, in quo agitur de Redemptione Hebræi populi ex durissima servitute Ægyptiaca & de transitu maris rubri, de quo Psaltes: *Mare vidit, & fugit? Jordanis conversus est retrorsum.* Sed quæres, quare dicitur mare rubrum fugisse, nam statim atque Moyses manum suam cum virga tot miraculorum operatrice super mare extendit, illúdque percussit, Angelus divisit mare, ita ut ex utraque parte instar muri starent aquæ, & latissima via populo Dei aperiretur, per quod mare sicco pede pertransierunt. Psal. 113. 1.

Resp. Vidit Hebræos in littore stantes, & propter exercitum Pharaonis magis magisq; imminentem, summo perculsum tremore, dum alium evadendi modum non habebat, nisi maris transitum. Vidit & Moysen prodigiosa virgâ suâ armatum cum populi sui principibus ad se accedentem, & virgam ostendentem. Hic attende, omnia hæc facta sunt illis in figura: Redemptio Israël de Ægypto præfiguravit nostram redemptionem ex servitute diabolica per Christum factam: Virga Moysis crucem Dominicam & mare rubrum ejus cruentam passionem. Jam non miror ampliùs, quod David dicat: *Mare vidit, & fugit* ad conspectum nimirum Virgæ Mosaicæ, per quam & nobis Christus viam ad terram promissionis aperuit, hoc est per crucem.

6. Audiamus quid ad nostrum intentum dicat Jeremias Propheta, qui non obscurè totam Christi passionem prævidit, cujus & ipse typus fuit. Cùm ergo impensiùs consideraret crucifixi JEsu dolores, illos amarissimo mari assimilare non dubitavit: *Magna est, velut mare contritio tua.* Et cur velut mare? Adverte: Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: Omnes fluctus iniquitatum nostrarum intraverunt in sacratissimum cor JEsu & illud non redundavit impatientiâ: *Atrocissima in cruce patienti* ait Cornelius, *magna velut mare fuit contritio tua ô Christe Jesu!* Et hæc omnia propter me, ac propter te, ô mi Lector! Quid ergo huic summo nostro possumus retribuere Benefactori? Thren. 2. 13.

Viri Israëlitæ fuerunt grati Gedeoni redemptori suo, qui eos de manu Madian liberavit, unde dixerunt ad eum: *Dominare nostri tu, quia liberasti nos de manu Madian.* O JEsu, ô Amor crucifixe, tu liberasti nos de manu Madian, de captivitate diaboli, de inferno, de æterna damnatione: *Dominare nostri tu.* Servi tui erimus hìc in vita & per omnem æternitatem. Vivat ergo in nobis JEsus crucifixus. Judic. 8. 22.

CON-

CONSIDERATIO XC.

Christus Crucifixus typus summæ mansuetudinis, quem intueri debent, & imitari omnes veri Christiani.

Cùm malediceretur, non maledicebat: Cum pateretur, non comminabatur. 1. Petr. 2. 23.

1.

MEmento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus; dicebat quondam David, ubi DEO T.O.M. templum magnificum ex voto voluit ædificare, quod exinde per Salomonem filium ejus completum est. Erat autem David, si oculos in illius virtutes conjicias, vir secundùm cor Dei, & ingenio mansuetissimus. Saulem Regem hostem infensissimum considera, quem cùm posset in spelunca Engaddi interficere, noluit in eum manum mittere: *Non extendam manum meam in Dominum meum, quia Christus Domini est.* Absolonem filium suum rebellem, à quo de throno suo ejectus erat, ducibus suis Joab, Abisai & Ethai præcepit, ut eum conservarent illæsum: *Servate mihi puerum Absolom.* Semei cognato Saulis maledicenti, & lapidibus impetenti ignovit, mandavitque, ne Abisai eum interficeret: *Dimittite eum, ut maledicat &c.* Vide ex hoc, quomodo David eo tempore, quo dolor facilè iram solet commovere, illam passionem mansuetudine sua repressérit. Plus Christus Filius David, & hic crucifixus: *Audiant mansueti, & lætentur.* Psal. 131. 1. 1. Reg. 24. 11. 2. Reg. 18. 5. 2. Reg. 16. 10. Psal. 33. 3.

2. Audiamus perelegantem inter Davidem & Christum parallelum. 1. David ex tribu Juda in Bethlehem civitate natus est: Christus ex eadem regia stirpe & loco ortus. 2. David pulcher erat aspectu, rufus, ac rutilantibus oculis; In Christo divinitatis majestas elucebat in facie & ex oculis, Nicephorus ei tribuit oculos fulvos atque fulgentes. 3. David pascens oves, ursum ac leonem interfecit: Christus Pastor bonus leoni tartareo omnem vim eripuit, ita ut nocere 1. Reg. 16. 12. 1. Reg. 17. 34.

2. Reg. 18. 5. non possit, nisi voluntariè ad ipsum accedentibus. 4. David beneficus fuit in omnes, etiam inimicos, quibus lubenti animo remisit injurias: Christus pertransiit benefaciendo, & sanans omnem languorem, ignovitque omnibus etiam moriens in cruce. 5. David Goliathum baculo, fundâ & quinque lapidibus superavit: Christus baculo crucis & quinque SS. Vulneribus hostem infernalem devicit. 6. David trigesimo anno expleto Rex declaratus est; Christus trigesimo ætatis anno in baptismo Rex & Messias denuntiatus est. 7. David plurimas perpessus est persecutiones, nunc à Saule, nunc ab aliis ad necem inquisitus: Christus continuis Judæorum persecutionibus erat agitatus: *Et quærebant eum interficere.* 8. David in luctu & exilio montem Olivarum ascendit, flens, ac nudis pedibus incedens: Christus in luctu instante morte ad eundem Oliveti montem se contulit, ubi sanguineis lacrymis nostra peccata deploravit. 9. David mansuetudini suæ acceptum fert regnum, gloriam & felicitatem, unde dixit: *Mansuetudo mea multiplicavit me*, quod & Saul licet hostis infensissimus agnovit; cùm enim David ei peperciisset in spelunca Engaddi, audiente exercitu exclamavit: *Nunc scio, quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israël.* Sacratissimum cor JEsu erat mansuetudine plenum, hinc dixit, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* O quàm mitis, ô quàm mansuetus Rex per omnem vitam ac præsertim in cruce! *Cùm Jesus*, ait S. Bernhardus, *in summa crucis esset amaritudine, nihil exivit de ejus corde, nisi dulcedo.* Audiant mansueti, & lætentur, se talem habere ducem & antesignanum.

2. Reg. 22. 36.

1. Reg. 29. 21.

Matth. 11. 29.

S. Bernh. de Pass. D. c 12.

3. Finito diluvio Deus iridem perlucidam in superiori aëris regione posuit, ut esset signum fœderis, pacis & reconciliationis inter Deum & hominem: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* Arcus iste, ait Hieremias Drexelius de Christo patiente, præsignavit crucifixum JEsum, expansis brachiis, adinstar arcûs intensi, in ligno crucis pendentem, ubi non misit fulgura ac tonitrua in miseros mortales, sed pacis ac reconciliationis signum ipse in aëre suspensus esse voluit. O summam crucifixi Domini nostri mansuetudinem! Unde S. Joannes thronum Dei vidit iride circumdatum, hoc est, mansuetudine & misericordiâ.

Gen. 9. 13.

Apoc. 4. 3.

4. Ubi Agnus ille Paschalis ex mandato Dei per Moysen & universum populum Deo fuit immolatus: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas;* Pharao Ægyptiorum Rex hactenùs in populum Israëliticum durissimus, & ex cæde primigenitorum perterritus, cœpit nonnihil mansuescere, ac liberum exitum Hebræis permittere; unde à Moyse & Aarone, quos de nocte ad se vocavit, benedictionem petiit:

Exod. 12. 3.

Ab eun-

Abeuntes benedicite mihi. Textus Chald. habet: *Orate pro me.* Quæres hic quomodo tandem cor tam durum Pharaonis tam subitò potuit immutari? Unde, obsecro, *bestia tam ferox mansuefacta est*, ait Rupertus Abbas, respondet: *Unâ Agni præsentia, per immolationem agni Pharao quondam superatus est, & Israelitarum servitus soluta.* Quid autem mansuetius agno? Et nunquid de Christo vaticinatus est Propheta: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum?* Jerem. 53. 7.

Expende hic anime mi, summam pientissimi JEsu tui mansuetudinem. Vix natus orbi licèt inimicissimo se ostendit mansuetissimum, dum pacem universalem illi intimari jussit. Cum Apostolis licet simplicibus ac imperitis summa cum mansuetudine ac modestia conversatus est. Peccata infensissimorum inimicorum, à quibus atrocissimas accipiebat injurias, patientissimè toleravit. Judæ traditori reciprocum amicitiæ osculum præbuit, & ultrò ad se capiendum hostibus benignè obtulit. Annæ Pontifici insidiosè interroganti, licet dirâ alapâ fuerit percussus, mansuetè respondit. In ædibus Caiphæ illam quoque mansuetudinem in omnibus pœnis ac illusionibus exhibuit. Sic & coram Judice Romano & Herode, in flagellatione & coronatione, in crucis bajulatione ac in ipsa crucifixione, ah quàm acerbâ, nec os contra inimicos aperuit, quos tamen uno nutu ad inferni barathrum potuisset deturbare, unde priùs dixit: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. 29. DEus bone, ubi nostra mansuetudo? Audi Mellifluum: *Flagellis cæsus, spinis coronatus, clavis confossus, affixus patibulo, opprobriis saturatus, omnium tamen dolorum immemor, hoc tantùm dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt.* S. Bern. de Chr. pat. Quis hæc attentè considerans non admiretur tantam ac tam perfectam Christi mansuetudinem? Quis non omni amore & honore prosequatur tam benignum ac mansuetum Dominum? Quis non proponat omnem iracundiam, indignationem, animique amaritudinem penitùs exuere, & induere viscera misericordiæ?

5. Recordor hìc illius cæci nati, quem Christus in die Sabbati illuminavit, dum lutum ex sputo fecit, & super illius linivit oculos: *Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus)* Et quid sequitur? *Abiit ergo, & lavit, & venit videns.* Jo. 9. 7. Quæres hìc, quare benignus Dominus hunc cæcum illuminaturus, eum ad fontem Siloë ablegaverit?

Resp. Cornel. & alii, quia Siloë erat typus Christi, ille enim erat *Missus* à Patre, ut mundum cæcum illuminaret, ac deperditum repararet: *Aqua* autem *Siloë*, ait Isaias Propheta, *vadunt cum silentio*, & mites Isai. 8. 6. sunt, & per canales subterraneos ad Regum disponuntur hortos. Christus mitissimus siluit usque ad annum ætatis trigesimum, ac præsertim

tempore passionis *vadebat cum silentio;* Cùm enim reus capitis agere-
Matth. 26. 63. tur, siluit, ne humani generis impediret redemptionem: *JEsus autem tacebat*, unde Climacus: *JEsu silentium admirationi & reverentiæ Pilato fuit.* Rursùm Christus est Siloë, id est, fons aquæ salientis in vitam æternam. O Christiani! venite omnes ad hunc gratiarum fontem in Calvario
Isa. 12. 3. monte pro salute omnium scaturientem: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus*
Vita & Jo. *Salvatoris.* Ita vidit, & experta est S. Franciscа Romana, Virginum,
Nadas. 9. conjugatarum, viduarum & religiosarum exemplar, Christo crucifixo
Mart. & dolorosæ Matri ejus ac sancto Angelo suo tutelari familiarissima; quæ subinde in Eucharistico tabernaculo agnum vidit nive candidiorem, & cor illius vulneratum, ex quo lux mira, & simul fons promanabat, auditâ hac voce divinâ: *Qui sitit, veniat ad me, & bibat,* Audiant hoc mansueti, & lætentur.

6. Mansuetudinem Moysis attendit DEus, de quo Scriptura:
Num. 12. 3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, unde tam potens erat apud DEum, ut vel invitum cogeret parcere populo suo, ejúsque ligaret manus, cùm jam extento brachio vellet inferre pla-
Exod. 32. 10. gam; *Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos;* Moyses autem constanter orabat pro salute populi, & quid sequitur? *Placatúsque est Dominus*, ne deleret populum, ùt destinaverat.

Pendente mansuetissimo Domino in cruce omnis creatura conspirabat in perniciem hominis peccatoris, & quia superfluens delictorum mensura clamabat vindictam, DEus Pater illi populo scelestissimo jam intentabat exterminium: *Terra mota est &c.* Et quid hic DEI Filius in summis tormentis? *Pater dimitte eis.* Observa: *Pater* dixit, ut cor Patris iratum ad mansuetudinem flecteret: *Et exauditus est pro sua reverentia.* Esto mansuetus.

CON-

CONSIDERATIO XCI.

Consideratur labor & dolor Crucifixi JEsu, quem pro salute nostra usque ad finem vitæ sustinuit.

Quærens me sedisti lassus :
Redemisti, crucem passus :
Tantus labor non sit cassus :

Eccles in miss. defunct.

I.

AD Adam quondam dictum est: *In sudore vultus tui vescêris pane.* Gen. 3. 19. Christus Adam secundus & melior per omnem vitam in labore & sudore panem suum manducare voluit : *Mutamus lignum in panem ejus.* Jerem. 11. 19. O durus & arctus panis !

Noë multo labore & dolore suam construxit arcam, in qua salvaretur, genus humanum: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis* Plus pretiosissimus Salvator noster laboravit in construenda arca, extra quam est nulla mundo salus, hoc est in ædificanda Ecclesia sua, extra quam salvari nemo potest; unde in patrem nutricium fabrum lignarium elegit, ut quotidie in conspectu suo haberet instrumenta laboris & passionis. Gen. 6. 14.

David de se ipso ait: *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea,* Psal. 87. 16. Hoc passim Ss. Patres Christo in sensu allegorico applicant, pauper enim erat & in laboribus à prima infantia, pauper in stabulo, pauper in fuga in Ægyptum, pauper in exilio ibidem per septem annos, pauper in reditu in terram Israel, pauper in domo Josephi, cui erat subditus; unde S. Basilius: *Cùm prima sua ætate parentum suorum imperio esset subjectus, & labores corporis omnes unà cum ipsis, animo illis obediens tolleravit* S. Basil. in constit. monast. c. 5.

2. Jacob Patriarcha, ut formosam Rachel in sponsam sibi acquireret, nullum horrebat laborem: *Die noctúque æstu urebar & gelu, fugiebat somnus ab oculis meis.* Gen. 31. 40. Plus Christus pro sponsa sua Ecclesia perpessus est, pro cujus salute se ipsum tradidit in ara crucis immolandum, unde Paulus: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Gal. 2. 20.

David contra ursos & leones pugnavit, ne aliquam ex suis perderet oviculis, unda ad Saul Regem dixit: *Leonem & ursum interjecit ego* 1. Reg. 17. 34 *servus tuus. Erit igitur & Philistæus hic incircumcisus quasi unus ex eis.* Christus, ut suas rationales servaret oviculas, eásque ex ore leonis & ursi infernalis eriperet, seipsum in mortem tradidit, *mortem autem crucis.*

Multum laboravit Jonathas, ascendens per prærupta rupis saxa 1. Reg. 14. 13. ad castra Philistinorum confundenda: *Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum,* ubi cruentam pugnam habuit, & mirabilem ab hoste victoriam reportavit. Plus laboravit Christus ascendens cum cruce per Calvariæ rupem ad debellandum Tartareum hostem, hujus armiger Simon Cyrenæus fuit, qui Christo sub tanto onere deficienti auxiliatricem manum adhibuit, dum ad portam Judiciariam in terram prolapsus est. Tanti nimirum ponderis erant Isa. 53. 6. peccata nostra, quia *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.*

4. Magno ac summo labore ab urinatoribus in Sinu Persico quæruntur gemmæ ac margarithæ, qui vecti cymbis in profundum maris & usque ad abyssum per funem sese demittunt, & in aquis inter scopulos hinc & inde discurrentes tam diu quærunt, donec plures conchas, in quibus delitescunt uniones, & margarithæ, inveniant.

Et quid fecit pientissimus orbis Servator Christus? Erat perdita una pretiosa margaritha ac gemma pretii prorsùs inæstimabilis (Anima hominis) descendit hic de cælo, ut eam inveniret in terra, imò in profundum maris hic divinus Urinator se demisit, ubi in maxima dolorum tempestate naufragium fecit: *Veni in altitudinem maris, & tem-* Psal. 68. 3. *pestas demersit me.* Et quemadmodum naufragus sibi de ligno circumspicit, quo mediante ad littus possit evadere salvus: Sic & mitissimus Dominus lignum crucis in cruento illo passionis naufragio apprehendit, in quo ille quidem periit, sed nos per illud salvati sumus.

5. Collige ex hoc, anime mi, aliquam doctrinam moralem, Matth. 12. 10. quantum pro te laboraverit crucifixus JEsus; & tu habes manum aridam, quia negligis operari, quæ Dei & tuæ Salutis sunt? Servus ille Matth. 8. 6. Centurionis in domo jacebat paralyticus, & tu es spiritualiter paralyticus, hoc est languidus & ad divina piger obsequia? Ad Petrum ac cæteros discipulos in monte Olivario dormitantes Christus dicebat: Matth. 26. 40. Luc. 5. 5. *Sic non potuistis unâ horâ vigilare mecum?* Vigilarunt illi priùs pro lucro temporali per totam noctem in remigando & piscando, & tamen nihil cœperunt. Nunc cùm pro cœlo laborandum esset, dormitant omnes; Audi os aureum: *Nihil*, inquit, *est, quod adeò sit inconcinnum &* S. Chrysost. ho. 13. in ep. ad Phil c. 3. *alienum à Christiano; atque requiem & recreationem quærere, & ad præsentem viam nimiùm affici, alienum est à professione & militia nostra. Dominus tuus*

crucis-

crucifixus est: & tu requiem quæris? Dominus tuus affixus est, & tu deliciaris? hæccine sunt militis generosi?

6. Cæterùm res miseranda pati naufragium, & inter decumanos in irato pelago perire fluctus, ubi omnes in diffracta nave sortem suam deplorantes opem Dei lacrymabili voce implorant. Ita factum est tempore Jonæ Prophetæ, ubi *Dominus misit ventum magnum in mare: Et facta est tempestas magna in mari, & navis periclitabatur conteri: Et timuerunt nautæ, & clamaverunt viri ad Deum suum.* Jonæ 1. 4.

Ita Christus patiens in naufragio vitæ suæ: *Laboravi clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ. Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.* Clamavit circa horam nonam voce magna: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Clamavit rursùs voce magna, dum emisit spiritum: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum;* Et quidem voce magna clamavit arente palato, quia de suo corpore in passione multos emisit humores, per sanguineum sudorem, per cruentam flagellationem, per spineæ coronæ impositionem, per clavorum transfixionem. O qualis erat ille labor & dolor morientis in cruce JEsu! Psal. 68. 4. Matth. 27. 46. Luc. 23. 46.

Clamavit & David pœnitens, sed præ horrore peccatorum suorum, in quo ostendit se ex animo de admissis dolere noxis: *Laboravi,* inquit, *in gemitu meo: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Eccè dolor internus non duntaxat se prodit in gemitu, sed & lacrymis. O Christiani! quid nos oportet facere, ut condignos possimus facere pœnitentiæ fructus? Scio remedium. Non obstantibus delictis nostris adrepamus fidenter ad crucifixum JEsum, non jam fulmine armatum, sed undique vulneratum, & exclamemus contriti ac gementes: Parce nobis Domine, qui ut sanaremur vulneratus es, qui ut viveremus mortuus es, & mortuus es in cruce? O amor, ô amor! Deus in ligno pro homine indigno? O amor, ô amor! Dicat qui potest, & explicet nobis divinum istum amorem, ego non possum, ah non possum. Interim fluite lacrymæ meæ, quia omnium istorum fui causa laborum & dolorum. O pientissime JEsu! *Quærens me sedisti lassus: Redemisti, crucem passus: tantus labor non sit cassus.* Psal. 6. 7.

7. *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Sanchez vir illuminatissimus existimat hoc esse epithaphium, quod Propheta Threnologus Hierosolymæ in suo busto, in quo ipsa tunc jacebat sepulta, incidi jussit? unde viatores & hospites per illam viam transeuntes allocutus est, ut dolorem suum dolendo, & informe hoc bustum videndo solarentur. Thren. 1 12.

Verùm S. Mater Ecclesia in hebdomade majori hoc crucifixo JEsu & SS. Matri ejus Dolorosæ applicat: Ah qualis labor & dolor in corde

corde utriusque! *Defecit*, ait moriens JEsus, *in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus*, & afflictissima Mater ac Virgo: *O fili mi, quis mihi det ut moriar pro te.* An hic est Filius meus & DEus meus? DEus qui inter Cherubinos sedet, nunc, ut malefactor pessimus, pendet inter infames latrones? DEus qui tribus digitis appendit molem terræ, nunc in summis doloribus moritur in cruce? O mœstissima Matrum! O Mater dolorum, ô Fili *Bennoni*, date omnibus, qui amant vos, & hujus doloris & amoris meminerint, in suo ab hac mortali vita discessu, lætitiam sempiternam.

Psal. 30. 11.

8. Pincera ille Regius in Ægypto bonum signum ac felix somnium habuit, dum illi videbatur, quòd in calicem Pharaonis uvas expresserit, & hoc populum ei tradiderit: *Tuli ergo uvas, & expressi in calicem.* Supra quod Hugo Cardinalis: *Tunc in calicem uvas exprimimus, quando per memoriam Passionis Christi dilectione afficimur.* Et quis, obsecro, non aliquo amore afficiatur erga talem ac tantum Redemptorem, & erga talem ac tantam Matrem? *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, ô JESU! ô MARIA!*

Gen. 40. 11.

Hugo Card. hic.

Psal. 136. 6.

CONSIDERATIO XCII.

Christus Crucifixus, DEUS totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

Sicut abundant passiones Christi in nobis, & per Christum abundat consolatio nostra 2. Cor. 1. 5.

I.

Sancto Joañi Evangelistæ in Pathmo exuli ab Angelo porrectus est liber, ut eum devoraret: *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce tanquam mel.* Liber iste dulcis & amarus Christum JEsum & hunc crucifixum præsignavit. Amarus quidem tibi primâ fronte videbitur, sed si illum bene per seriam meditationem degustaveris, videbitur tibi dul-

Apoc. 10. 9.

cis

cis ac ſuaviſſimus: *Chriſtus liber eſt*, ait S. Chryſologus, *quem Joannes in ſua Apocalypſi conſpexit, ſcriptus intus & foris* Foris *Chriſti vulnera cernimus, ſed intus immenſi erga nos amoris incendia contemplamur.* O beatus, qui ſcriptus eſt in hoc libro vitæ. Audi & S. Bernhardum: *Hæc mea*, inquit, *ſublimior Philoſophia: Scire* JEſum *& hunc crucifixum. Non requiro, ſicut ſponſa, ubi cubet in meridie? quem lætus amplector inter ubera commorantem. Non requiro, ubi paſcat in meridie? quem intueor Salvatorem in cruce*, à quo mihi promanat omnis conſolatio. S. Chryſol. ſerm. 1. de Reſur. S. Bernh. ſer. 43. in Cant.

2. Job Idumæorum princeps, vir ſingularis pietatis ac tolerantiæ, & typus Chriſti patientis, de ſe ipſo ait: *Cùm ſederem quaſi Rex, circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.* En typum expletum in crucifixo JEſu Rege Judæorum, prout Titulus præſefert S. Crucis: I. N. R. I. In hoc purpureo ſedens throno, omnes conſolatur mœrentes, ſi ad ipſum volunt accedere: *Ego, ego ipſe conſolabor vos.* Non mittam legatum, aut Angelum, ſed *ego ipſe conſolabor vos;* quod conſiderans S. Franciſcus Saleſius exclamavit: Ergo *ſtatuamus æquè tam in monte Calvariæ, quàm in Thabor dicere: Bonum eſt me tecum eſſe Domine; ſive in cruce moriaris, ſive gloriâ refulgeas.* Job. 29. 25. Iſa. 51. 12. S. Franc. Sal. Phil. p. 4. cap. 15.

3. Canticum totum myſticum eſt, ac plenum incomprehenſibilis amoris Chriſti erga ſponſam ſuam, & viciſſim ſponſæ erga Chriſtum Sponſum; unde Sponſa de ipſo ait: *Manus ejus tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.* Tornatiles erant hujus ſanguinum Sponſi manus, quia aſſiduò in vita hac mortali ſe verſabant; & volvebant ad omnigena miſericordiæ opera: Nunc curando leproſos, nunc illuminando cæcos, nunc ſuſcitando mortuos, nunc multiplicando panes, nunc aquam mutando in vinum, nunc ſubminiſtrando Euchariſtiam. Sed & plenæ erant hyacinthis pretioſis ac rubeſcentibus, id eſt: cruentis plagis, ex quibus noſtra promanat ſalus; unde Philo Carpath. in hunc locum: Tunc tornatiles factæ ſunt Chriſti manus, quando is illas extendit in cruce, quando eæ clavis perforatæ fuerunt; plenæ autem hyacinthis, quia plenæ ſunt gratiis ac beneficiis in miſeros peccatores & in omnes mœrentes ac deſolatos. Cur ergo aliud in noſtris calamitatibus quærimus ſolatium, quàm Crucifixum JEſum? Cant. 5. 14.

4. Joſepho Patriarchæ ob amorem virtutis & caſtitatis compedes & vincula injecta ſunt: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſit animam ejus.* ſed iſta vincula paulò poſt in pretioſos annulos, torques aureas & ſtolam Byſſinam Deus mutavit, dum ob vaticinium futuræ ſterilitatis à Rege Pharaone denominatus eſt Princeps totius Ægypti, & curru regio vectus, ſalutatus eſt *Salvator mundi*, in qua dignitate non ſe auſterum, ſed omnibus benignum præbuit, & conſolatorem; Pſal. 104. 18.

rem; unde & perfidos fratres ad se in afflictione & fame accedentes
Gen. 45. 15. blandè excepit, eósque paternè consolatus est: *Osculatúsque est Joseph omnes fratres suos, & ploravit super singulos: post hæc ausi sunt loqui ad eum.*

Joseph etiam in hoc Christi typus fuit, qui in passione sua nimiùm humiliatus est, *& ferrum pertransiit animam ejus*, sed tandem exaltatus, ipsam crucem, clavos & lanceam vertit in suum triumphum, imperium & gloriam: *Regnavit à ligno Deus!* in quem finem hæc ipsa jam à Regibus adorantur, & in labaris ac vexillis quasi trophæa gestantur.

Per fratres autem perfidos à Josepho nunc in gratiam receptos, rectè nos ipsos (quia peccavimus in fratrem nostrum JEsum) possumus intelligere; Accedamus igitur ad eum cum magna fiducia, ut misericordiam consequamur: *Non enim*, ait Mellifluus, *elevatus est in crucem, ut se difficilem præberet accedere ad eum volentibus, sed magis ut omnibus posset paratior inveniri.*
S. Bernh. de Pass. D. c. 44.

5. Eliseus tempore caristiæ & famis ollam colocynthidarum amarissimam injectâ farinâ dulcoravit, dum enim discipuli ejus pulmentum cocturi, non nisi herbas sylvestres collegissent, nimiâ illius pulmenti amaritudine perterriti exclamarunt: *Mors in olla vir Dei.* Invenit huic malo remedium Eliseus, dum lebeti farinam immisceri jussit, quæ omnem sine mora sustulit amaritudinem.
4. Reg 4. 40.

Homo Christiane! si amaro es animo, si mors in olla, si undique & ubique te circumdant tribulationes; Ecce plus in cruce, quàm Eliseus, hic, inquam, dulcissimus Salvator tuus tibi paulò ante mortem suam saluberrimam subministravit medicinam (Sanctissimam Eucharistiam) & dum homines ipsi crucem & mortem machinabantur, ipse illis seipsum Deum cum thesauris omnibus potentiæ, sapientiæ & bonitatis suæ in hoc SS. Sacramento, unico velut bolo absumendum dedit. O prodigium amoris! ô solatium languentis & amantis animæ.

6. Josias Rex in Israël pientissimus, qui sanxit inter Deum & populum fœdus, ut aboleret abominanda idola, fana excelsorum, & vitulos aureos Jeroboam, qui directus & electus erat divinitùs ad gentis
4. Reg 23 25. Judaicæ conversionem, de quo Scriptura: *Similis illi non fuit ante eum Rex.* Hic, inquam, dum in prælio à Pharaone Nechao in flore ætatis suæ anno 34. occisus fuit, ab omnibus propter eximias virtutes, ac præsertim ab Ecclesiastico commendatus est: *Memoria Josiæ in omni ore, quasi mel indulcorabitur ejus memoria.*
Eccli. 49. 1. 2.

Subintrat hic Cornelius: Josias est JEsus Christus, cujus passionis apud fideles & Sanctos est gratissima memoria; hic enim igne charitatis & zeli succensus, se ipsum fecit hostiam Deo pro salute hominum

in

in ara crucis; idcircò memoria vitæ, passionis & mortis illius omnibus Christianis debet esse suavissima, præsertim Sacerdotibus quotidie sacrificantibus, Religiosis mentibus & perfectionis studiosis, ac denique omnibus desolatis animis; hinc S. Bernhardus suis præscripsit: *Sit tibi JEsus semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum, & desiderium tuum, lectio tua, oratio & contemplatio tua, vita, mors, & resurrectio tua.* O quàm dulce tibi erit, si nunc amator crucifixi JEsu fueris, & tunc aliquando mori inter brachia Salvatoris tui! S. Bernh. in formula honestæ vitæ sub initium.

7. Revertor ad Sponsam? *Sicut malus*, inquit, *inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Adverte: Juxta mentem SS. Patrum malus inter ligna silvarum est crux & Christus crucifixus in medio latronum; sicut enim Adam peccavit in malo, manducando pomum à Deo prohibitum: Sic Christus satisfecit in malo pendens in cruce, ut ubi culpa commissa fuerat, ibi fieret & satisfactio. Ita Cornelius & alii. Cant. 2. 3. S. Bernhard. Rupert. &c.

Pergit eadem Sponsa: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Quæres, quis hic Christi fructus? Resp. Remissio peccatorum, justificatio & gratia divina, quam nobis promeruit crucifixus JEsus: Ubi mox addit Sponsa: *Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.* Et quænam hæc cella vinaria? Resp. Guilielmus Abbas: Porrò vinum, quod in cella Dei bibitur, est charitas & amor; cella vinaria sunt SS. ejus Vulnera ac præsertim sacratissimum COR JESU, ad quod nobis per apertum latus ejus plenus patet introitus. Sandæus habet: Devotio tenera erga Crucifixum est cella vinaria, in quam introducit animas sibi dilectas Rex Sponsus. Et quis, obsecro, peccatorum, non veniat in animo contrito & humiliato ad hanc cellam vinariam? *Peccavi Domine*, ait S. Augustinus, *peccatum grande, & multorum sum mihi conscius delictorum, sed nec sic despero: quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit & gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia deficit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine JEsu, in mentem meam venerit. Clavi & lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus aperuit mihi latus tuum, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* O solatium! Guilielm. hic in Cant. Sandæus Centuria 7. S. Augustin. cap. 13. Med.

8. S. Catharinam Senensem; dilectam Christi sponsam in testem adduco. Experiebatur aliquando hæc sacra Virgo ingentem nauseam in servitio alicujus infirmæ, cancro fœtido laborantis; ut igitur seipsam vinceret, generoso ausu ob amorem Christi crucifixi è fœtenti vulnere omnem promanentem exsuxit saniem. Sequenti nocte apparuit illi oranti cœlestis Sponsus, apertum illi exhibens latus cum reli- Manuel to 2. tr. 17. disc. 18.

quis SS. Vulneribus, sic eam affatus: Charissima filia, plurimos per gratiam meam superasti victrix conflictus, quapropter mihi etiam semper gratissima extitisti, sed heri speciale mihi præstitisti beneficium, dum te despiciens ex fœtenti vulnere saniem haurire ob amorem mei & proximi non abhorruisti; idcircò & ego tibi potum impertiar, omni creato liquore dulciorem. Quo dicto eam ad SS. latus & cor suum admovit: Hic, inquiebat, bibe filia mea, ex quo suavissimo haustu tantam dulcedinem advertit, ut deinceps omnem penitùs recusârit cibum & potum. O animæ! gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.

CONSIDERATIO XCIII.

Crucifixus Dominus, si attenta mente ipsum consideramus, salutarem nobis debet incutere timorem.

Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali gessit. Luc. 23. 40.

1.

IN exitu Israël de Ægypto, ubi præeunte Moyse cum virga sua Hebræi per mare rubrum usque in adversam ripam salvi, & sicco vestigio transierunt, Pharaone interim cum exercitu suo in fluctibus submerso, subdit Scriptura: *Liberavitque Dominus in die illa Israël de manu Ægyptiorum; & viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & servo ejus Moysi.* Et quare, dices, populus ille electus tantoperè sibi timuit, ubi infensissimos hostes suos in littore vidit extinctos? Nunquid potiùs gaudere debuissent Hebræi, dum à tam crudeli ac miseranda Gentilium servitute fuerunt divinitùs liberati?

Exod. 14. 30.

Respon-

Respondent Interpretes, quòd ideò dicti Hebræi timuerint, quia videntes punitionem istorum rebellium, prudenter metuere poterant, severiorisse fore mulctandos pœnâ, si Deum post tot accepta beneficia offenderent; sic & tu, ô anime mi! quò pluribus te agnoscis cumulatum à Deo & crucifixo JEsu beneficiis, donis ac gratiis, eò magis semper tibi timere debes, ne ingratitudinis notam incurras. Manf. & alii to 4. dict. & num. 8.

Ecce semper timendus Deus & Homo Crucifixus, cui Pater dedit omne judicium & omnem potestatem, hic enim, plus quàm Moyses, per virgam virtutis suæ (SS. Crucem) traduxit nos per mare rubrum passionis suæ in terram rectam, ac perpetuo lacte & melle manantem, infernali interim Pharaone cum exercitu suo in eodem passionis pelago submerso; hunc, inquam, Dominum timeamus: *Ostendam vobis*, ait ipse, *quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam*: Et hic Christus crucifixus est! ubi amor tuus, ubi timor tuus? Luc. 12. 5.

2. Adam summoperè sibi timuit, ubi post admissum suum delictum ad vesperam vocem Domini in paradiso deambulantis audivit: *Vocem tuam audivi in paradiso, & timui.* Et hic timor prima fuit Adamo dispositio ad pœnitentiam, & erroris sui emendationem: *Initium sapientiæ, timor Domini.* Gen. 3. 10. Psal. 110. 9.

A primo fure pomum vetitum in paradiso rapiente, transeamus ad alium in Calvario monte in cruce pendentem, ac culpam suam severissimo mortis supplicio luentem. Et dic, obsecro sodes, quænam hujus latronis tam stupendæ conversionis causa fuit? Resp. Prima hujus pœnitentis verba ab ore ejus emanantia: *Neque tu times Deum? timor Domini principium sapientiæ.* O egregium spectaculum, cernere pessimum latronem, manibus, pedibúsque crucis patibulo affixum, tóque corpore cruore respersum, nunc linguam suam, quam solùm habebat liberam, tam subitò in Dei laudes & crucifixi JEsu honores solventem: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: Et nos quidem justè, nam digna factis recipimus; hic verò nihil mali fecit.* Et hic timor Dei erat initium ejus justificationis; hinc rectè Mellifluus: *Tota interim beatitudo nostra est timere Deum;* Si hic timor perit, totum virtutum fundamentum ruit. Prov. 1. 7. Luc. 23. 40. S. Bernh. ser. 5. de fest. omn. SS.

3. Huic latroni subjungo Centurionem & omnes illos, qui usque ad finem passionis Christi in cruce morientis fuerunt præsentes & spectatores, de quibus S. Matthæus: *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes JEsum, viso terræ motu & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Ecce timuerunt valde; priùs enim audiebat Centurio, quòd ideò Christus ad ignominiosissimam crucis necem à Pilato, Matth. 27. 54.

urgentibus impiis Judæis, fuerit condemnatus, quia se Regem Judæorum, hoc est, Messiam & Filium Dei esse dixit; nunc videns ipse Deum tot prodigiis Filium suum attestari, agnovit eum verè esse Filium Luc. 23. 48. Dei, & timuit, & non ille solus, sed & milites, imò *& omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum illud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur* Audi S. Augustinum Crucifixum Dominum suum & timentem, & sincerè amantem: *Candet*, inquit, *undatum pectus, rubet cruentum latus, tensa arent viscera, decora languent lumina, regia pallent ora, procera rigant brachia, crura pendent marmorea, rigat terebratos pedes beati sanguinis unda. Specta, glorioso Genitor gravissima prolis lacera membra. Vide Redemptoris supplicium, & redempti dimitte delictum* Vide ex his, qualiter ad Deum Patrem sit orandum, in timore videlicet & in amore: *Timete Dominum omnes Sancti ejus*, & addit Vates Regius: *Quoniam suavis est Dominus* etiam in cruce pendens, ubi passionem suam sibi esse voluit fellis & absynthii plenissimam, nobis autem ipso melle suaviorem; hinc torcular quidem crucis ipse calcavit, sed suavitatis vinum nobis expressit, quod omnes amatores Crucifixi JESU in se ipsis solent experiri.

S. August. in Med. c 6.

Psal 33. 10.

4. S. Paulus, ut neophytos suos Romanos in fide Crucifixi confirmaret, & ad eum timendum ac amandum fortiter excitaret, hanc illis auream in scriptis suis consignavit, & reliquit sententiam: *Quid ergo dicemus ad hæc? Si DEUS pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Adverte: Adeò DEUS peccatum odit, ut idcircò proprium Filium dederit in mortem, ut pro peccato ex justitia satisfaceret, & à peccato homines ad sanctitatem, æternámque salutem traduceret.

Rom. 8. 32.

O infinitus amor! non satis habuit Deus condonare culpas, & remittere pœnas, sed insuper voluit nos donare gratiâ suâ, ac veros facere amicos & hæredes regni cœlestis; ideò dilectus Filius ejus in se suscepit mortem, ut nos vitâ donaret. O amor immensus! *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* Unde monet S. Laurentius Justinianus, si offensæ divinæ gravitatem bene velimus cognoscere, & in timore DEI proficere, ut Christum patientem & Crucifixum nobis sæpiùs ante oculos ponamus, quia ex qualitate remedii facilè cognoscitur vehementia languoris: *Conspui*, inquit, *Christus voluit, ut nos lavaret: velari voluit, ut velamen culpæ & ignorantiæ à cordibus nostris auferret; in capite percuti, ut caput nostrum, scilicet Adamum sanitati restitueret: colaphisædi, & verbis deridere, ut nos labiis & operibus ipsum laudaremus: demum occidi jubetur, ut vulneribus nostris pretioso sanguinis ipsius balsamo medeatur: Fusus est*

S. Laur. Justinianus in lignovitæ tr. de Timore cap. 4.

cruor

cruor Medici, & factus medicamentum phrenetici. Agnoscamus igitur, quàm gravia sint nostra vulnera, pro quibus necesse fuit Dominum JEsum vulnerari.

5. Hoc agnovit S. Philippus Nerius, Congregationis, quæ Oratorii dicitur, Sæcularium Sacerdotum in cõmuni viventium Fundator & Rector, quomodò amare, & simul timere debeamus Crucifixum Dominum ac Judicem nostrum. Cùm in Campania apud patruum suum mercatorem ageret, & Cajetæ portum, ubi mons petrosus est, tribus vastissimis hiatibus à summo usque deorsum dehiscens (qui mons in morte Christi scissus est, ubi etiamnum sacellum apparet per antiquâ crucifixi imagine insignitum, quam nautæ, dum subjectum mare sulcant, adhuc hodie tormenti bellici edito fragore salutare assolent) In hoc, inquam, Sacello in petra excisо S. Philippus sæpiùs, ut mercator, divertens à Crucifixo instructus est, quam imposterùm vitæ rationem & normam deberet instituere. Cœpit & hoc, & per reliquum vitæ tempus, quotiescunque piam Crucifixi effigiem conspicatus est, à lacrymis & suspiriis temperare non potuit. Ex vita lib. 1. cap. 2. num. 2.

Hinc in omni adversitate ad crucifixum Dominum suum confugit, cujus iconem semper in pectore suo gerebat, & hoc salutari signo Cæsarem Baronium à gravi morbo liberavit, multisque ægrotantibus & energumenis sanitatem ac salutem restituit; Imò & mortuum adolescentem ad vitam revocavit, qui resuscitatus ad Philippum dixit: *Peccatorum memoriâ exciderat, illúdque confiteri desidero;* quâ factâ confessione, imaginem Crucifixi ei porrexit, & adolescenti inter ulnas suas spiritum DEO reddenti, peramanter valedixit. Vita lib. 3. c. 12. n. 2.

Quàm insignis ulteriùs amator & cultor crucifixi JEsu fuerit, apparet ex hoc, quòd, cùm semel in Oratorio S. Hieronymi cum suis alumnis Romæ moraretur, vacarétque de more divinis, dæmon idem Oratorium ingressus sit, ad cujus conspectum Sanctus exclamavit: *Heu vos Fratres: adstat dæmon;* ad quæ verba procumbunt omnes in genua: ipse verò SS. Crucis signo apprehenso confestim hunc Stygium tentatorem fugavit. Vita lib. 3. c. 2. n. 14.

Quid dico de illius summa humilitate, dum se semper omnium peccatorum maximum sine ulla animi simulatione asserebat. Cum Beatissima Virgine sæpiùs exigebat plures horas dulcissimis colloquiis. Sacrificando & SS. Eucharistiam sumendo multoties liquescebat amore totus, & in aëra raptus; penetrabat secreta cordium; prophetiæ & miraculorum donis dilatus, neque loqui poterat de passione Christi sine verborum jactura & largis lacrymis, unde ad Crucifixum Amorem suum quotidie dixit: *A me tibi, Domine caveas; nisi enim me* Vita lib. 2. c. 17. n. 1.

tuo

tuo protexeris auxilio, hoc utique die te prodam. Item: *Lateris Crucifixi Vulnus satis amplè patet: at ni Deus adjuvet, faciam, ut amplius pateat.* Ecce hujus Sancti amorem & timorem erga crucifixum JEsum. Imitare.

CONSIDERATIO XCIV.

Christus Crucifixus, ut abominandam peccatorum nostrorum curaret lepram, & ipse leprosus factus est.

Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: Et nos putavimus eum quasi leprosum. Isa. 53. 4.

1.

UBi pretiosissimus orbis melioris Reparator Christus Petrum, Jacobum & Joannem per ingentem piscium capturam ad sui sequelam vocavit, leprosum hominem ad se venientem per extensionem manûs suæ curavit, de quo S. Lucas: *Et ecce vir plenus leprâ, & videns JEsum, & procidens in faciem, rogavit eum, dicens: Domine si vis, potes me mundare: Et extendens manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim lepra discessit ab illo.* Luc. 5. 12.

Observa: Leprosum erat universum genus humanum per peccatum protoparentis nostri Adami, quæ lepra hæreditaria in omnes homines pertransiit: *In Adam omnes moriuntur;* 1. Cor. 15. 22. Lepram prædicti hominis Christus per extensionem manûs suæ sanavit; in cruce extendens manus suas exitialem peccatorum nostrorum lepram mundavit. Quis igitur ad talem ac tantum Medicum non libenter accedat, quia & ipse in cruce pendens tanquam leprosus reputatus est: *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor; & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum à Deo & humiliatum, ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Isa. 53. 2. Collige ex hoc anima Christiana immensum pien-

pientissimi Redemptoris tui erga te amorem, dum in passione leprosi formam assumpsit, ut lepram tuam in se susciperet, & curaret: *Et livore ejus sanati sumus.*

2. Consideremus patientiam & lepram Jobi, quam nobis proponit S. Jacobus Apostolus: *Sufferentiam Job audistis, & finem Domini vidistis: quoniam misericors Dominus est, & miserator.* Adverte: Job expressus typus Christi patientis. Ille perdidit omnia, Christus in cruce privatus est bonis omnibus, quin & vestibus, hinc nudus pependit *in cruce.* Job septem suos perdidit filios: Christus omnes suos Discipulos, qui eo comprehenso fugerunt. Job percussus est ulcere pessimo à capite usque ad talos: Christus toto corpore & in membris omnibus acerbissimos perpessus est dolores. Job ab amicis gravia sustinuit opprobria, à quibus appellatus est hypocrita, leo, tygris &c. Christus in cruce irrisus est quasi blasphemus, seditiosus, & percussus à Deo. Job leprosus extra civitatem suam ejectus est, sedens in sterquilinio: Et sicut qui exitiali leprâ infecti sunt, abominabile esse solent etiam fratribus ac amicis suis, de quo dictus Job: *Fratres meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me:* Sic & Christo JEsu accidit, quem tanquam leprosum abominabantur, & fugerunt Judæi; & quemadmodùm homo leprosus, & toto corpore insanabili leprâ maculatus intuentibus sui horrorem incutit: ita Christus toto corpore flagellis & vulneribus lividus, horrorem simul & commiserationem aspicientibus commovebat, ut meritò Pilatus illum proponens Judæis dixerit: *Ecce homo,* quasi homo in homine tam miserabili esses quærendus. Et hæc omnia JEsus tuus pro anima tua peccatrice? O prodigium amoris! proinde meritò S. Augustinus: *Nihil,* inquit, *tam salutiferum, quàm quotidie cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo. Ecce enim Salvator passus est, leprosus in cruce factus est, patiens factus est, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus: quod si feceritis, infirmitatem non molestè portabitis,*

Job. 5. 11.

Job. 19. 13.

S. August. ser. 32. ad Frat. in Eremo.

3. Olim voluit DEus, ut judicium inter lepram & lepram penès Sacerdotes esset Aaronicos: *Quicunque ergo maculatus fuerit leprâ, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Christus in cruce tanquam leprosus vestes habebat dissutas, milites enim sciderunt non vestes tantùm sed & carnem ejus. Caput habebat nudum, & solâ spineâ redimitum coronâ: Os veste contectum, unde Isaias: *Quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.* Contaminatus & sordidus erat, quia totus cruentus, unde per os Prophetæ Threnologi clamavit: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Leprosi caro erat vilissima & abjectissima: Christus

Levit. 13. 44.

Isa. 53. 3.

Thren. 1. 12.

Psal. 21. 7. ait: *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abjectio plebis.* Leprosi denique urbe pellebantur, & nemo illos aditu, congressu, & sermone dignabatur: Sic & benignissimus Redemptor noster extra
Hebr. 13. 12. urbem ad crucis patibulum expulsus est: *Propter quod & JESUS, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est*, ut crux Christi,
S Leo serm. 9. de pass. subintrat hic S. Leo, non templi esset ara, sed mundi. Et pergit Apostolus, ut omnes fideles ad Christum Crucifixum amandum, colendum, & imitandum animaret: *Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.*

Vita de S. Lud Ep. 4. Placuit autem Christo Domino sæpiùs Sanctis suis apparere in forma leprosi, prout S. Ludovico Tolosarum Episcopo, qui nepos erat S. Ludovici Galliarum Regis; dum enim aliquando lavaret pedes pauperum, & ad quendam leprosum devenisset, in eo personam Christi agnovit præsentem; unde illud leprodochium illi videbatur paradisus.

S. Augustinus simili pauperculo peregrino dignatus est lavare pedes, ad quem exinde Christus, prout refert B. Jordanus de Saxonia: *Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti, ejúsque lavare pedes.*

De B. Martyrio refert sequentia S. Gregorius Magnus hom. 36. in Evangelia: In terra Lycaoniæ Martyrius vitæ valde venerabilis Monachus fuit, qui pergens ad monasterium quoddam, leprosum quendam invenit in via, ad hospitium suum redire volentem quidem; sed non valentem. Eum itaque pallio suo constrictum super humerum levavit, & tulit, vicinúsque monasterio, ad quod tendebat, magnâ voce clamavit: Currite, januas monasterii citò aperite, quia frater Martyrius venit Dominum portans: statim verò ut Martyrius ad monasterii aditum pervenit, is qui leprosus putabatur, de collo exiliens, & in specie vera Christi Dei & hominis apparens ad cœlum rediit, dicens: Martyri, tu me non erubuisti super terram, ego te non erubescam super cœlos. Narrabat autem postea Martyrius, quòd cùm eum portasset pondus minimè sensisset; nec mirum, quia portabat portantem omnia. Hæc S. Gregorius.

O miseri, sed & felices leprosi, quia & Salvator vester quasi
Isa 53. 4. leprosus in cruce reputatus est: *Et nos putavimus eum quasi leprosum.* Non horret vos Dominus, quia similis vobis dignatus est apparere Sanctis hominibus; solùm hoc perpendite, ac satagite, ne duplici lepra inficiamini, videlicet corporis & animæ, quæ est peccatum; illa enim vos ejicit extra castra, hæc autem extra astra,

Matth. 27. 24. 5. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus: Vos videritis*, dicebat quondam Præses Romanus ad populum Judæorum tumultuantem. Et respon-

respondens populus universus, dixit: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Hoc clamo & ego, sed sub meliori sensu: Sanguis JEsu crucifixi, licèt leprosi reputati, & à DEo percussi, sit super me, & super animam meam. O pientissime JEsu! O Amor crucifixe quomodò poteris condemnare servulum tuum licet indignissimum, quem tam immenso divino sanguinis tui pretio redemisti? Nunc & Sanguis tuus tam pretiosus apud me descendet in corruptionem? Ah meliora spero, qui jam paulatim ad te pergo.

Olim, prout observat Plinius, cùm lepra, seu morbus elephantiacus etiam Reges Ægyptiorum evasissiet; ex medicorum consilio in humano sanguine se solebant lavare; Quod ferale balneum & Constantino Imperatori Magno tum adhuc Gentili & leproso Romani suadebant Medici; Ast longè salubrior medicina à Deo ei parata est, dum enim à S. Sylvestro sacrum baptisma suscepit, & virtutem S. Crucis agnovit, sine mora à fœdissima lepra & corporis & animæ liberatus est. Plinius l. 6. c. 1.

Naaman vir dives sed leprosus ab Eliseo jussus est, ut se septies lavaret in Jordanis flumine: *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* 4. Reg. 5. 14.

Anime mi! si lepram peccati habes, prout nemo mundus est à sorde: *Si dixerimus quoniam non peccavimus; mendacem facimus eum, & verbum ejus non est in nobis.* 1. Ep. Jo. 1. 10. Vade? & lava te septies in Jordane Passionis & in septem effusionibus Sacrosancti Sanguinis Christi JEsu, & sanabitur anima tua à delictorum lepra: *Sanguis* JESU *Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato.*

CONSIDERATIO XCV.

Ex consideratione Christi JEsu crucifixi omnia adversa æquo animo nobis sunt perferenda.

Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini. 1. Petr. 4. 1.

1.

QUid hoc est: Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini? Ergo arma nostra sunt instrumenta passionis Christi? Ita est, respondet S. Thomas Ang. Bene dicit armamini, quia memoria passionis Dominicæ contra insultus & tentationes diaboli roborat nos, & munit: Proinde Christo tam generosè pro nobis passo & crucifixo, ut nos à peccatis & vitiis expediret, nos quoque armemur eâdem, seu simili cogitatione & animi resolutione, exemplo & amore Christi omnia adversa generoso animo pro Evangelica veritate sustinendi: *Nihil adeò grave est*, ait S. Gregorius M. *quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio in memoriam revocetur.*

S. Gregor. in Epist.

2. Uriam virum egregium imitemur, quia valde indignum facinus est, si nos deliciarum mollitie diffluamus, & interim Dominus noster pro nobis in cruce pendet: *Non enim decet sub spinoso capite membrum vivere delicatum.* Urias, inquam, vir inclitus & egregius considerans Arcam Dei sub tentoriis degentem, indignum censuit in propriam descendere domum, & cum uxore oblectari, unde dixit: *Arca Dei habitat sub papilionibus, sed & Dominus meus Joab, & omnes servi ejus super faciem terræ dormiunt; & ego domum meam ingrediar, ut comedam, & bibam, & dormiam cum uxore mea? Per salutem tuam Rex, & per salutem animæ tuæ non faciam hanc rem.* Audis hoc? JEsum Crucifixum quotidie cernis in cubili tuo; & tu quid? Ille in pœnis, & tu in deliciis? Ille DEus majestatis deprimitur & subsañatur: & tu vermiculus, pulvis & nihil

S Bern. de Pass.

2. Reg. 11, 11.

nihil vis magnifieri ac laudari? Ille JEsus tuus deputatur inter plagiarios, patibularios, ac sceleratos, & tu homo Christiane, magnus inter homines vis reputari? O si cognovisses, & tu, & quidem in hac die, quæ nunc ad pacem tibi, quantam in morte securitatem pariat seriò meditata passio crucifixi Redemptoris tui! O si cognovisses! & utinam nunc cognosceres!

3. Cognovit illa mulier (cui Salôme nomen) mater filiorum Zebedæi, quòd regnum Christi à cruce dependeat, & Christus non alio modo ad regnum suum perveniat, quàm per crucem; unde ubi audivit: *Et tradetur gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die resurget,* subjungit sine mora Evangelista: *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi,* & primas regni sedes pro filiis suis petiit. Et quare hoc; quomodo crucis patibulum, de quo loquebatur Christus, & regnum cælorum inte se conveniunt? Matth. 20. 19

Resp. Basilius Seleucus: *Antevertit latronis voces mulier; ille in cruce orationes fundebat: Memento mei, dum veneris in regnum tuum, hæc autem crucem pro regno supplicabat;* quia intelligebat, quòd postea Christus dicebat: Sic oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Ecce Dominus regnavit à ligno, & *factus est principatus super humerum ejus.* Supra quod egregiè divus Augustinus: *Christus principatum super humerum habuit, quando crucem in montem Calvariæ portavit: Nec incongruè crux significat principatum, quia per ipsam & diabolus vincitur, & mors superatur, & totus mundus ad Christi notitiam & gratiam revocatur.* Basil Seleuc. Orat. 24. Isa. 9. 6. S. Aug serm 72. de Temp

4. Non possum capere, quare S. Paulus ad Colossenses, neophytos suos, ut errores aliquos in fide irrepsos ipsis eximeret, moresque Christianis dignos edoceret, ad ipsos scripserit: *Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Quid dicis Paule, vas electionis, & doctor gentium: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi?* Nunquid Christi passio sufficientissima extitit ad redimendos mille mundos, si totidem fuissent? Cur ergo dicis aliquid ei deesse? Et quid ergo passioni Christi crucifixi deest: Colossens. 1. 24.

R. Cornelius & alii: Nimirum communicatio & participatio passionis & meritorum Christi, ut scilicet Christus non tantùm in se, sed etiam in suis membris, id est Apostolis, Ss. Martyribus aliisque fidelibus, similia patiatur, & hac passione propagetur & perficiatur corpus ejus, quod est Ecclesia; quia Christus quidem passus est in sua carne, sed nondum in tua; cùm ipse passus sit patienter pro te: restat ut & tu libenter patiaris pro ipso, cùm æquum sit membra capiti Cornel. hic

1. Petr. 2. 21. per omnia conformari: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* O quàm durum multis!

Luc. 22. 29. 5. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum:* dicebat quondam Veritas Christus ad dilectos suos discipulos in ultima cœna congregatos; ubi singulariter ponderanda sunt ista verba: *Sicut disposuit mihi Pater meus regnum* Subintrat hìc doctissimus Oleaster:

S. Bonav. ser. 3. de Pass. Dic nobis bone JEsu: quomodo tibi Pater disposuit regnum tuum? Et mox respondens ait: Per calicem passionis & crucem: *Volve*, ait Seraphicus Doctor, *& revolve vitam boni JEsu, & non invenies eum nisi in cruce, ex quo enim carnem assumpsit, semper in pœna fuit.* Ecce hæc erat Salvatori tuo prævia dispositio ad regnum æternum & cœleste acquirendum; unde iterum ad discipulos: *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Si hoc Christus, quid tu anime mi? An servus est major Domino suo? Æneam audiamus, quomodo socios suos in adversis animaverit:

Luc. 24. 16.

O socii (neque enim ignari sumus antè malorum)
O passi graviora! dabit DEus his quoque finem.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

Per varios casus, per tot discrimina rerum, tendimus ad cœlum.

Psal. 65. 12. *Transimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.*

6. Miror quare Jacob Patriarcha adeò terrefactus fuerit, ubi mirabilem illam scalam à terra usque ad cœlum pertingentem conspicatus est, unde evigilans de somno pavens exclamavit: *Quàm terribilis est locus iste: non est hic aliud, quàm domus Dei & porta cœli.* Et quomodo, obsecro, terribilis ille locus esse potest, in quo ipsi inter Angelos ascendentes & descendentes rectissima ad cœlum via monstrata est?

Gen. 28. 17.

vers. 13. Resp. Vidit Jacob, prout observat Scriptura, simul *Dominum innixum scalæ*, hoc est verbum incarnandum, & in cruce suspendendum; proinde non mirandum, quòd Jacobo terribilis ille locus videbatur:

S. Aug. serm. 79. de Temp. cap. 10, 10. *Scalæ incumbere*, ait D. Augustinus, *est in ligno pendere*, & iterum: *Scala ad cœlos attingens, crucis figuram habuit, Dominus innixus Scalæ Christus Crucifixus ostenditur.* Hinc Sapiens de illo Jacobo dixit: *Justum deduxit* (Dominus) *per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei*, hoc est per vias asperas, ùt habet Chaldaicus, & per viam crucis, hæc enim rectissima ac securissima ad cœlum via est, quâ justi & à Deo dilecti pergunt ad gloriam sempiternam. Terribilis videtur ille locus multis Christianis, ubi Dominus in Calvario monte scalæ crucis innixus apparet, sed & ibidem nobis viam ad cœlum aperit: *Si quis vult post me venire, abnegat semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*

Luc. 9. 23.

7. Invo-

7. Involarunt quondam impii Judæi, velut apes furiosæ, in JEsum Nazarenum, id est floridum, eúmque millenis pupugerunt vulneribus: *Circumdederunt me sicut apes;* sed inde non sibi mel, sed gentibus præsertim expresserunt; imò & Christo mel de plagis fluxit, hinc consummata passione in resurrectione favum mellis gustare voluit: *At illi*, Apostoli, *obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.* Ubi observa pientissimi Redemptoris mirandam in suos benignitatem: priùs ipse fel, quàm mel voluit gustare, priùs ab apibus in Calvariæ monte cruentari, quàm dulci favo mellis in Sion recreari; Sicut alter Jonathas, manibus ac pedibus ascendit in Golgatha, antequam in extremitate virgæ, hoc est crucis, favum mellis degustaret: *Favos*, ait antiquissimus Tertullianus, *post fella gustavit, nec antea Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Judæorum proscriptus in crucem.*

Psal. 117. 12.

Luc. 24. 42.

Tertull. l. de coron. mil. c. 14.

Vide & considera ex his, anime mi, quomodo omnis Christi actio nostra fuerit instructio, per quod indicare voluit, quòd in hac mortali vita non mel gaudiorum ac voluptatum, sed potiùs fel afflictionum sit nobis delibandum. S. Catharina Senensis non auream à Christo Sponso suo oblatam coronam, sed spineam elegit, & constanter per reliquum vitæ suæ curriculum in capite suo gestavit. Nunc ergo per aspera, tunc autem ad prospera; nunc amarum fel, tunc dulce mel; nunc per crucem, deinde ad lucem: *Dulcia non meruit, qui non gustavit amara.* Elias per turbinem ascendit in cœlum; nec DEus tibi, si amat te, aliam viam in cœlum pinget: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Vade in pace, & tacitè hæc tecum considera.

4. Reg. c. 1. Act. 14. 21.



CON-

CONSIDERATIO XCVI.

Crucifixus JEsus rebus afflictis solamen nostrum, & auxilium in tempore opportuno.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hebr. 4. 16.

1.

AD David afflictum, & à Saule multis exagitatum persecutionibus plures venerunt afflicti, desolati, ac debitis gravati alienis, ut ab eo in tempore opportuno optatum obtinerent
1. Reg. 22. 2. auxilium: *Convenerunt ad eum omnes, qui erant in Angustiis constituti, & oppressi ære alieno, & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Princeps omnium tribulatorum & afflictorum est crucifixus
Hebr. 4. 15. Dominus DEus noster: *Non enim habemus Pontificem; qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Quare ergo miseri mortales non in omni tribulatione nostra ad eum confugimus? Audi Apostolum Hebræos suos recèns ad Christum Pontificem suum conversos, & ideò magnas à falsis fratribus sustinentes persecutiones, quomodo eos in afflictione
Exod 25. 17. sua hortatus & consolatus sit: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* Thronus gratiæ erat olim Propitiatorium:
Rom. 3. 25. *Facies & propitiatorium* quod erat locus placationis, eò quòd ibi Deus Moysi apparens, & cum eo loquens, placabatur, & propitiabatur populo. Allegoricè autem hoc propitiatorium significabat Christum: *Quem proposuit DEus propitiationem per fidem in sanguine ipsius*, alii legunt *Propitiatorem*, qualis Christus in cruce pro nobis factus est; ad hunc ergo in nostra tribulatione veniamus, ut gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

2. Filii Jacob Partiarchæ, licèt perfidi, in necessitatibus suis, & in tempore extremæ famis venerunt ad fratrem suum Joseph in Ægyp-

Ægyptum, ut ab eo vitæ necessaria reciperent, quos omnes, licèt interim viginti anni effluxissent, bene novit, benignè accepit, osculatus & amplexus est: *Ego sum Joseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum: nolite pavere &c.* Gen. 45 4. Anima peccatrix! quæ toties per delicta tua vendidisti JEsum tuum in mortem, & quidem in mortem crucis, noli pavere, adhuc enim gratiarum Dominus vivit, adhuc aperta sunt sanctissima ejus vulnera: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Jo. 10. 9. Veni proinde, anima mea, ad Crucifixum Redemtorem tuum, & dic ei cum prædictis Josephi fratribus: Meritò hæc patior, quia peccavi in fratrem meum JEsum; sed quia benignus & misericors est, patiens & Joel. 2. 13. multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia, neque vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat, ideò non despero, sed multò magis spero ab hoc crucifixo amore meo veniam, gratiam & misericordiam in tempore opportuno, ac præsertim in supremo agone; hoc est tempus opportunum, ex quo pendet tota æternitas.

3. Aaron Sanctus Domini, id est à Deo sanctificatus & consecratus in sacerdotem, ubi ex proceribus ducenti quinquaginta viri, & ex populo quatuordecim millia hominum & septingenti ob murmurationem in castris igne cælesti consumpti sunt, condolens animitùs tantæ stragi, se meditatorem inter DEum & hominem interposuit, und vestibus Pontificiis ornatus cum arrepto thuribulo accurrit, & inter mortuos ac viventes stans per orationem suam ac thurificationem impedivit, ne[ulteriùs procederet incendium: *Et stans inter mortuos ac viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit.* Num 16. 48.

En perelegantem typum in Christo crucifixo expletum. Aaron pretiosâ tiariâ erat ornatus, Christus in cruce spinea redimitus coronâ: Aaron aureis annulis in manibus, Christus ferreis clavis: Aaron gemmatum gestabat pectorale, Christus crudeli lanceâ apertum latus: de capite Aaron fluebat in vestimenta ejus unguentum odoriferum: *Sicut unguentum in capite, quod descendit ad oram vestimenti ejus,* de capite Psal 131. 2. Christi fluebant rivuli divini cruoris, ut capilli illius sanguine conglutinati, quasi unus restis viderentur, ita B. Virgo ad S. Birgittam: *Capilli ejus quasi restis,* hinc bene dicere poterat: *Vulnerasti cor meum in uno* Revel l. 4. *crine colli tui,* Aaron medius inter vivos & mortuos stetit deprecans Do- cap. 70. minum: *Et plagae cessavit* Christus in cruce in suppedaneo stans, ut probat S. Irenæus, ferreisque affixus clavis, ut eò firmius inter mortuos & viventes staret, *pro populo deprecatus est, & plaga cessavit* unde Apostolus: *Pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Col. 1. 20. O plus quàm Aron!

Ecce quomodo Crucifixus JEsus solamen nostrum sit & auxilium in tempore opportuno; quærebant enim tunc, pendente Domino in cruce, vindictam contra insensatos peccatores creaturæ omnes, cœlum & terra, sol & luna, & ipsæ petræ scissæ sunt, ac monumenta aperta &c. ipse verò mitissimus JEsus ad Patrem pro populo deprecatus est: *Pater dimitte illis*: Et plaga cessavit, & exauditus est pro sua reverentia: Quis, obsecro, non amet talem ac tantum Redemptorem? quis ipsum imposterùm audebit adhuc offendere? *Verè dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.*

Ephes 5. 2.

4. Audi eandem æternam Veritatem & incarnatam Patris Sapientiam: *Delectabor per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum; & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Et quare cum filiis hominum, & non cum Angelis? Nunquid Angeli erant domestici tui? Et quid est homo, quòd memor es ejus? Observa Christum non Angelorum, sed hominum assumpsisse naturam, quibus ob naturæ corruptionem virtus ardua & difficilis est, quos per adventum suum & passionem roborare & consolari voluit. Ita effecit, ut in deliciis esset S. Petro & Andreæ crux, S. Laurentio craticula, S. Sebastiano sagittæ, & sic de cæteris Sanctis ac Electis Dei, qui ab hoc occiso in cruce leone de tribu Juda in omnibus adversis suis suavissimum mel hauriebant: *De forti dulcedo.* Didacus Nissenus hanc subdit rationem: *Homines*, inquit, *venatione prædicationis & aucupiô crucis cepit;* Et Hugo Cardinalis: Potiùs sunt ei deliciæ in filiis hominum, quàm in Angelis, vel in aliis creaturis à se conditis; quia de iis, quæ aucupiô vel venatione capiuntur, fiunt deliciæ, non autem de domesticis.

Prov. 8 30.

Dom. 1. Quad §. 1.

5. Si ergo Christi deliciæ sunt esse cum filiis hominum, etiam cum miserrimis, derelictis & angustiatis, quare igitur tantoperè gravamur, si crux aliqua nos affligit? Pater est, qui nos castigat: *Ego quos amo, arguo, & castigo*, quem quotidie invocamus: *Pater noster, qui es in cœlis;* quis ergo de manu illius non libenter aliquam crucem suscipiat? Audi ipsum loquentem: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Apocal 3. 19.

Psal. 90. 15.

Joseph Patriarcha sedens in throno regio Ægypti soli Benjamino fratri suo dilectissimo scyphum dedit: *Scyphum meum argenteum, & pretium quod dedit tritici, pone in ore sacci junioris, factúmque est ita &c.* Ut sic teneriorem erga hunc fratrem suum germanum contestaretur affectum; Supra quod S. Ambrosius: *Fecit reum rapinæ, ut teneret obsidem gratiæ.* Ita & Christus schyphum suum, seu calicem passionis illis tribuit, quos teneriùs diligit. Et quis, obsecro, non cum gaudio & sola-

Gen 44. 2.

S. Ambr. hic

ſolatio ex hoccalice Domini bibat? *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Jo. 18. 11.

Fel amariſſimum eſt, & ſymbolum tribulationum, quod nihilominùs cœcos Tobiæ ſenioris oculos mirificè curavit, priſtinúmque ei viſum ac lumen reſtituit: *Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Tob 6 9. Sic tribulationes primâ fronte videntur nobis valdè amaræ, ùt fel, ſed mentis & animæ cœcitatem in nobis mirum in modum curant, & ad cœleſte regnum promovent; proinde ſunt pignus & arrha electionis ad gloriam.

6. Vidit aliquando dilectus Chriſti Diſcipulus in raptu innumeram electarum animarum turbam, ſtantem ante thronum DEi cum ſtolis albis & palmis, gratias agentes, & laudantes DEum, & clamabant voce magna: *Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno;* Apoc. 7. 10. ubi audita eſt vox unius de Senioribus (Lyranus vult fuiſſe S. Petrum) clamantis & dicentis: *Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt? Et unde venerunt?* Et reſponſum ipſe dedit: *Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni; ideò ſunt ante thronum Dei.* Ecce fructum tribulationum, ac præſertim SS. Vulnerum & meritorum Chriſti JESU crucifixi & Agni pro peccatis noſtris occiſi, in cujus ſangine laverunt, & dealbaverunt ſtolas & animas ſuas omnes illi Electi. Quid ergo reſtat, niſi ut crucifixum antefignanum noſtrum in omnibus tribulationibus fideliter ſequamur, & gratias illi agamus, quidquid evenerit. Sic ſi ſocii erimus tribulationum, erimus & conſolationum.

CONSIDERATIO XCVII.

Christus & hic crucifixus nos animat, ut crucem nostram alacriter feramus, si volumus gloriæ ejus esse participes.

Hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Luc. 24. 26.

1.

1. Reg. 17. 16. Quid dabitur viro, qui percusserit Philistæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël? Quærebat quondam David puer pastoricius, ubi cum Goliatho immani illo gigante in duellum & arenam volebat descendere; Et respondebant illi Israëlitæ: *Virum qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei.* Hos ubi audivit sermones David, spe tanti præmii illectus & animatus, sine mora statuit cum dicto gigante congredi, & fastui ac arrogantiæ illius sese pro viribus opponere; sciebat enim, quòd si victor contra hunc Colossum existeret, è pecorum stabulo ad regia transiturus esset palatia, & ex pauperculo pastore futurus esset Regis gener. Ecce spes præmii & retributionis huic juveni animum addidit, ut se mortis periculo exponere non dubitaret.

S. August. in Manc. c. 16. *O homo*, ait S. Augustinus, *venale est regnum cœlorum, aliud non quærit pretium nisi te ipsum: tantum valet, quantum es. Te da, & habebis illud.* Proinde egregiè decertandum tibi erit cum hoste infernali & vitiis. Et ecce præcessit Christus filius David cum baculo crucis, qui animat te, monstrátque viam, quà sit eundum, ut ad illud immensum præmium, & imarcescibilem æternitatis gloriam & coronam pervenias, de qua Paulus, qui per modũ tantùm transeuntis illá paradisi gloriam viderat:

Rom. 8. 18. *Existimo, quòd non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Ubi benè & attentiore mente observanda sunt verba illa: *Hujus temporis*, qui si à condito mundo incepisses pati tormenta omnium SS. Martyrum, & ea usque ad finem mundi patereris: *Non sunt condigna ad futuram gloriam passiones hujus temporis*, nisi in quan-

quantum valorem â crucifixi JEſu ſanguine accipiant, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio; juvat hic pro ſolatio noſtro audire S. Bernhardum: *Fateor*, inquit, *non ſum dignus ego, nec propriis poſſum meritu regnum obtinere cœlorum. Caterum Dominus meus duplici jure illud poſſidens, hæreditate Patris ac merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donat.* Tyræus de Chr. pat. fol. 40. Ecce quid ſint merita crucifixi JEſu! Et quis in illis non ſperet ad impetrandum gratiam finalem, quæ in nullius cadit meritum?

2. Negotiator ille Evangelicus, qui bonas quæſierat margarithas, pro una inventa pretioſa *vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Matth. 13. 46. Negotiator ille expertiſſimus Salvator noſter eſt; illa margaritha anima cujusque hominis, item felicitas æterna ineffabilis & incomprehenſibilis pretii, pro his incarnata Sapienta dedit omnia, quæ habuit, animam, corpus, ſanguinem, vitam & honorem, quia *cum ſceleratis reputatus eſt*, Iſa. 53. 12. imò quidquid dolorum in paſſione ſua & per omnem vitam ſuſtinuit; factúsque eſt adeò pauper, ut neque in vita, neque in morte habuerit, ubi caput reclinaret. Vide ex hoc quàm caro pretio Chriſtus ſuam gloriam & regnum cœlorum, animámque tuam emere voluerit: *Sic oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam.* Et tu delicate miles quid agis? Nunquid in omni cruce & tribulatione hunc tuum divinum ducem ſequi oportet? An aliud tibi cœlum DEus pinget? Audi S. Thomam Villanovanum: *Momentum tibi erit vita præſens, ſi oculum dirigis ad æternum præmium: tranſit citò quod cruciat, permanet in æternum, quod coronat.* S. Thom Vill. in conc. fuueb

3. Moyſes typus Chriſti *magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* Hebr. 11. 25. Erat is in aula regia Pharaonis inter delicias educatus, ſed grandior factus ſubitò purpuram cum ſacco mutavit, & pauperrimus opilio factus eſt: *Majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti*, quem jam nunc temporis ævo prævidit paſſurum, & pro ſalute generis humani crucifigendum: Moyſes, ajunt Ribera & Cornelius, partim ex fide & traditione Abrahæ, aliorúmque Patrum cognoſcens Chriſtum pro genere humano paſſurum, partim ſpiritu prophetico prævidens ſpeciatim injurias & opprobria illi à Judæis inferenda; ut Chriſto patienti ſimilis fieret, maluerit pati, affigi & opprobriis affici cum Hebræis, quàm honoribus & opibus abundare in aula Pharaonis: hoc enim propriè eſt, & dicitur *improperium Chriſti.* Et addit ſcriptura: *Aſpiciebat enim in remunerationem*, hoc eſt ad æternam gloriam, quæ cogitatio illi calcar addidit ad fortiter & alacriter patiendum, quia melius eſt hic ad modicum tempus cum Chriſto pati, quàm æternum eſſe miſerum ac damnatum: *Ego*, dicebat DEus ad Abraham, *ero merces tua magna nimis.* Gen. 1. 18.

4. Vidit dilectus ille Christi Discipulus civitatem Sanctam Jerusalem in forma non sphærica & rotunda, sed quadrata: *Et civitas in quadro posita est.* Et cur in quadro? an non mundi hujus universa moles in figura rotunda consistit? Resp. S. Bonaventura: *Quadrum figurat soliditatem & securitatem illius regni.* Et hoc quidem verum est; sed aliam inquiro rationem: Forma quadrata crucem facit, qui ergo ad cœleste regnum pervenire discupit, crucem sequatur, per crucem enim venitur ad lucem, & neque DEUS tibi, ô mi Domine Lector, adillam cœlestem civitatem obtinendam aliam viam pinget: *Fieri non potest*, ait S. Chrysostomus, *non potest, inquam, fieri, ut, qui hic in socordia, securitatéque vixerit; qui in deliciis omnibus assiduè dies consumpserit; qui temerè neglectéque transegerit ætatem; illic honorem consequatur.* Fieri non potest.

Apoc. 21. 16.

S. Chrysost. conc. 3. de Laz.

5. Vox æternæ Veritatis est: *Intrate per angustam portam: quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: Et multi sunt, qui intrant per eam;* Et ut majorem Dominus excitaret verborum suorum emphasin, ac nostris altissimè imprimeret cordibus, de novo illa verba repetiit, ut si seriò animam nostram salvare velimus, arctam viam capessamus: *Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et quem, obsecro, Christianum hæc Christi verba non terreant, non moveant? Unde ulteriùs pergit apud Lucam: *Contendite intrare*, Græcus textus habet: *Agonizate*, & extremas vires, velut agonizantes & in stadio currentes, exerite, ut comprehendatis.

Matth. 7. 13.

vers. 14.

Hoc transmisso venio ad alium textum, quem eadem veritas mortalitati humanæ ponderandam reliquit: *Tollite jugum super vos - - jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Ecce quomodo, obsecro, ista duo conveniunt? Angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci qui inveniunt eam; Econtra jugum meum suave est & onus meum leve? Ergo levis & suavis ad cœlum via est?

Matth. 11. 29.

Resp. Euthymius has sententias, quæ primo intuitu videntur contrariæ, pereleganter concilians: *Onus*, inquit, *præceptorum leve ob spem æternorum bonorum, virtus quidem gravis est ob laborum molestiam, levis autem propter retributionem.* Ecce præmium cœleste & merces sempiterna omnes difficultates nobis solent indulcorare, ut eò facilius per angustam portam & arctam viam ad cœlestem nostram patriam, ad quam creati sumus, possimus penetrare.

Euthym. hic.

6. Ubi

6. Ubi mitissimus Salvator Christus in deserto quinque panibus & duobus piscibus quinque hominum millia satiavit, volebat ille populus eum facere Regem: *JEsus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Jo. 6. 15. Sed cùm esset in horto Olivario, comprehensores suos non fugit, sed ultrò obviam ad illos progressus est, interrogans eos: *Quem quæritis?* Jo. 18. 4. Et quare hoc?

Resp. Simon Cassianus: *Ideò hìc non fugit, quia præparabatur ad crucem, è qua erat regnaturus. In deserto ad regnum quærebatur, sed sine cruce. Noluit regnare absque crucis gloriosa ignominia.* Crux enim Servatori nostro cœleste regnum & summam gloriam peperit: *Regnavit à ligno Deus.*

Finem huic considerationi imponat S. Forannanus Episcopus, de quo refert Arnolphus Rayssius, quòd è Belgio cum 12. Sociis ad mare profectus sit, rectà in Galliam, verbi divini disseminandi causâ, navigaturus; verùm nec nautam, nec navim in littore invenit. Quid hìc S. Forannanus? Ad DEum oculos & mentem erigit, consilium & opem rogat; Et ecce ex improviso quatuor trabes, seu ligna oblonga in modum crucis compacta ad littus adnatant. Quid multis? Forannanus ope divinâ fretus primus ad hanc navim se demittit, in medio crucis securè consistens, & læta voce illud Davidicum decantans: *In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis.* Psal. 76. 20. Hunc S. Episcopum suum secuti sunt & cæteri duodecim itineris & laborum Socii, quorum tres & tres in qualibet crucis extremitate stabant, sic aurâ Spiritûs Sancti feliciter flante intra paucas horas felicissimè in Galliis appulerunt. Arnolph. Rayssius in Hierogazophilacio Belgico.

Si vis per hoc mare magnum & spatiosum hujus mundi ad portum cœli pervenire,
navem crucis ascende.

CON-

CONSIDERATIO XCVII.

Ad Crucifixum JEsum, verum sanguineum sponsum invitantur Sacræ Virgines & piæ animæ.

Egredimini, [& videte filiæ Sion] Regem in diademate, quo coronavit illam mater sua. Cant. 3. 11.

1.

Cant. 3. 11. DIlecta illa sponsa, ubi sponsus ejus erat à matre coronandus, filias Sion, ut è domibus suis egrederentur, & huic spectaculo adessent præsentes, peramicè invitavit: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem in diademate, quo coronavit illum mater sua.* O dura mater, impia Synagoga! Siccine tractas divinum Sponsum tuum, amantissimum JEsum?

Invito & ego hodie omnes pias animas, & Christo sacratas Sponsas, ut egrediantur de cubilibus suis, veniántque ad calvariæ collem, ubi cubat in meridie dilectus sanguinum sponsus; ah quàm
Isa. 53. 2. durus luctus, & quàm mirabilis hujus divini Sponsus aspectus: *Vidimus eum, & non erat aspectus, unde nec reputavimus eum.*

Cant. 5. 10. Sponsa illa vidit dilectum suum candidum & rubicundum, & electum ex millibus. Ecce candidus & rubicundus est crucifixus JEsus, candidus propter innocentiam, rubicundus propter passionem ac Vulnera. O lugubre spectaculum, cui simile non vidit orbis, neque amplius videbit: *Egredimini, & videte filiæ Sion.*

2. Sponsus sanguinum, ut magis sponsam suam (piam animam) ad jugem sui memoriam, amorem & gratiarum actionem incitaret, sæpiùs illi crucis & mortis suæ injecit mentionem, ac præsertim ut sui effigiem jugiter in corde & brachio suo gestaret, & quasi signaculo cor & brachium obsignaret: *Pone me ùt signaculum super cor tuum, ùt signaculum super brachium tuum.* Signaculum in corde est pia meditatio de
Cant. 8. 6. Christo crucifixo sanguinum sponso: Signaculum super brachium est

pia

pia operatio, ut in omnibus Sponsa Christi se suo conformet dilecto; unde Guilielmus in Cantica: *Pone me ùt signaculum*, hoc est: *Imprime mihi intus, me jugiter cogitando; imprime mihi foris propter me strenuè operando, ut pia cordis interna cogitatio in externam brachii operationem emanet.* Ecce imprimi debent piis Crucifixi Sponsis divina ejus Vulnera in cordibus earum ùt sigilla ceræ; & quemadmodum sigilla duram refugiunt cerâ, & quærunt mollem, ita & cor nostrum, nisi à calore divini amoris mollefactum fuerit, non in se recipiet cœlestem divinorum Vulnerum inpressionem.

Testem adducо B. Claram de Monte Falchio Virginem Augustinianam, ob singularem erga Christum Crucifixum amorem *Claram de cruce* nuncupatam, cujus cordi Christus Dominus non solùm crucem, sed & clavos, flagella & spineam coronam impressit, quæ signa passionis Dominicæ etiam hodie spectantibus exhibentur. Ita Bozius & plures alii. Bozius Lib. 1. de signis Eccles. cap. 18.

3. Inter alios titulos, quos Sponsa Christo dilecto Sponso suo solet attribuere, unus est, quo eum nominat simul & fasciculum myrrhæ & Botrum Cypri: *Fasciculus myrrha Dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur*; Et mox subdit: *Botrus Cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.* Sed quomodo convenit amaritudo myrrhæ cum dulcedine uvæ? Ecce mysterium in cruce Christi: eadem passio considerata ab eo, qui amat, fit illi simul Myrrha & Uva, amara ac dulcis, amara corpori, dulcis animæ, amara sensui, dulcis spiritui; hinc meritò exclamat S. Bonaventura: *O passio desiderabilis! quid mirabilius, quàm quòd mors vivificet, vulnera sanent, sanguis album faciet, & mundet intima, & nimius dolor nimium dulcorem inducat?* O amor dulcis & amarus; vel ut meliùs dicam, totus dulcis, quia ipsa amaritudo vertitur in dulcedinem. Cant. 1. 12. S. Bonav. in Medit. de Pass. Chr.

S. Catharinam Virginem Senensem consulamus, quæ aliquando post sacram Communionem Dominum & hunc crucifixum magno cum lumine adventantem conspicata est, ex cujus sacris quinque Vulneribus quinque radios ad quinque corporis sui loca descendentes advertit, unde divinitùs quinque sacris Christi stigmatibus insignita est; cui Dominus insuper auream & spineam coronam obtulit, ut alterutrum eligeret, ipsa verò spineam elegit, & capiti suo impressit. Cæterùm mira fuit Christi cum hac Sponsa sua familiaritas, quam non duntaxat sibi desponsavit, sed & ad divinissimum lateris sui vulnus eam admovens, ineffabili ac cœlesti potu refecit. En amarum & dulce! Vita, Raymundus Capuanus & alii.

4. Jehu dux magnanimus cùm contra idololatras pergeret de illis sumpturus ultionem, in via inveniens amicum interrogavit:

4. Reg. 10. 15 *Nunquid est cor tuum rectum, sicut cor meum cum corde tuo?* Qui sine mora respondit: *Est*; ad quem iterùm Jehu: *Si est, da mihi manum tuam; qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum.*

Hoc ad vos quoque dicit, sacræ Virgines Dominus JESUS Sponsus vester, stans in triumphali curru S. Crucis (ita S. Ambrosius crucem appellat) *Nunquid cor vestrum rectum est cum corde meo? Si est, date mihi manum vestram*, & sic levabit vos ad se in currum suum, & usque in cœlum.

Joan. Brugmannus in vita & alii. Talis sponsa fuit S. Lydvvina Virgo Belgica, quæ Christi Crucifixi considerans dolores, præ animi teneritudine sæpe sanguineas profundebat lacrymas. Hæc aliquando in ægritudine sua, quâ continuò velut aurum in fornace probabatur, Angelos mirâ luce fulgentes vidit in cubile suum ingredientes, & arma passionis Dominicæ præferentes, quorum unus crucem, alius lanceam, alius clavos, & alii alia sacratissimæ Passionis deferebant insignia: Sequebatur dolorosa Virgo, Mater amoris & doloris cum diversis sacris Virginibus & cœli incolis. Demum advenit Christus ipse, elegantissimam pueruli indutus formam, qui sine mora in virum perfectum mutatus, instar crucifixi totus cruentus, & toto corpore saucius apparuit, & corpusculo hujus pientissimæ & infirmæ Virginis quinque SS. Vulnerum suorum signa luculenter impressit. His ita gestis ad eam divina Mater accessit, atque arma passionis Dominicæ, quæ ab Angelis ferebantur, illi devotè deosculanda exhibuit: *Quid potest amanti anima esse*

Lud Blos. Margar. Spir. cap. 15. *suavius*, ait Blosius, *quàm ut post distractiones, labores, perturbationésque multas in hac lacrymarum valle illi occurrentes, eámque fatigantes, sub hac salutifera crucis umbra respiret, sese reficiat, sensus dispersos colligat, animámque exhaustam delectabili arboris hujus fructu confortet?*

5. Minabatur quondam Angelus Moysi mortem; Sephora uxor ejus advertens mysterium, citò circumcidit filium suum, cujus sanguinem ubi vidit ad pedes Moysis decurrentem, exclamavit: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Cæterùm Doctores plurimi verba hæc Christo Redemptori nostro pereleganter accommodant, quia nonnisi plurimo fuso sanguine Sponsam Ecclesiam sibi comparavit: *Quam acquisivit sanguine suo.*

Exod. 4. 25.

Act. 20. 28.

Hoc & vos, ô sacræ & Deo dicatæ Virgines meritò Christo Crucifixo dicere potestis: *Sponsus sanguinum tu mihi es*, quia tuo sanguine animam meam tibi coëmisti, & desponsasti; unde dixit S. Agnes Virgo tenerrima ad impium tyrannum: *Sanguis Christi Sponsi mei tinxit genas meas.* Et Christus vicissim ait ad similem Sponsam: *Vulne-*

Vulnerasti cor meum soror mea Sponsa, ob tui enim dilectionem nimiam tam indigna, tam horrenda, ipsámque mortem sustinere volui; Ego enim *sub arbore malo suscitavite, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* Adverte: Sub arbore malo omnes ferè latini Patres crucem intelligunt; Eva enim consentiendo serpenti, hoc est diabolo, ab eo, quoad animam violata & corrupta est; hinc Christus non gladio, non igne, non alio tormento, quàm ligno crucis occidi voluit, ut commissum in ligno ab Adam & Eva peccatum ligno crucis expiaret, ut sic diabolus, *qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Cant. 4. 9. Cant. 8. 5.

6. Sponsa illa dilecta nil magis concupivit, nil magis desideravit, quàm sub umbra mali, hoc est: sub cruce requiescere; unde dixit: *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi: Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Talis Sponsa fuit comprimis ipsa omnium Christi sponsarum Regina, stans, & sedens sub umbra crucifixi Filii & amoris sui, & tamen fructus illius mali & crucis illi dulcis videbatur: *Et fructus ejus dulcis gutturi meo.* Et quomodo, obsecro, dulcis? Cant. 2. 3.

℟. Multorum opinio est, quòd sicut Christus in sua sanctissima Passione *habuit simul summum gaudium & summum dolorem*: Ita sanctissima Virgo in condolendo patienti Filio senserit simul *summam compassionem, & summam congratulationem.* Compatiebatur passioni Filii, & de ejus fructu lætabatur. Ad quod alludens S. Ambrosius dicebat: *Maria stetit juxta crucem non ut Filii passionem videret, sed ut mundi redemptionem expectaret.* Imitabere ô Sponsa Christi, utrumque Virginis statum. Vinc. Caraff. in fascic. Myrrh. l. 3. conf. 23.

CONSIDERATIO XCIX.

Christus patiens, & moriens in cruce Sacerdotes omnes monet, qualem animarum zelum habere debeant.

Tabescere me fecit Zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Psal. 118. 138.

1.

DAvid ad se reversus, & regiâ viâ nunc in cœlum pergens summoperè doluit, quòd tot viderit animas cæco impetu à via salutis abripi, & ad inferni barathrum per transgressionem mandatorum Dei quotidie in præcipitia devolvi; unde exclamavit: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Plus doluit Christus Filius David de perditione tot animarum, quas pretioso sanguine suo redemit, hinc non sine sanguineis lacrymis exclamavit in cruce: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Per quod, ait antiquissimus Origenes, Zelum suum indicare voluit de paucitate salvandorum, & de multitudine damnandorum, in quibus miseris omnis perit fructus Passionis ejus.

Psal. 118. 53.

Matth. 27. 46.

2. Venit Archangelus salutis humanæ nuntius ad B. Virginem, annuntians ei in conclavi Verbum ex ea incarnandum, & inter alias causas ac motiva, ut consensum tanto libentiùs præberet mysterio, illi prædixit: *Et regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Hic hæreo, quare Archangelus dixerit: *Regnabit in domo Jacob?* Cur non in domo Abrahæ Patriarchæ fidelium omnium; quare non in domo Isaac, qui in immolatione sua erat typus Christi pro salute humani generis immolandi? Cur non in domo David, ex cujus stirpe post mille annos Christus natus est? Nihil horum, sed *regnabit in domo Jacob.*

Luc. 1. 33.

Hugo Car. in Gen. 31.

℟. Hugo Cardinalis: Jacob pro dilecta Rachel formam servi suscepit, diu noctúque gelu & æstu, frigore & calore per plures annos

ureba-

urebatur, & tamen *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Hic Jacob perfecta figura Christi Domini fuit, qui pro Ecclesia & amore animæ nostræ formam servi susscepit, imò nec formam patibularii aspernatus est, ut animam tuam lucrifaceret. O quàm pretiosa es ô anima, quam tanto pretio emit DEus! Et ecce Domine JEsu, in sanguinis tui opprobrium, iis ipsis animabus adhuc hodie repletur infernus. O Zelator animarum, si amas JEsum & hunc crucifixum; ama & animas, quas vides adeò amari à crucifixo Amore tuo. Succurre illis. Gen. 29. 20.

3. Disputant inter se Sacrarum literarum gnari, quale opus majus sit creare novum mundum, mortuos suscitare, & innumera facere prodigia, an verò unicam à jugo diaboli & peccati ad DEum convertere animam? R. S. Augustinus: *Majus opus est ex impio justum facere, quàm creare cœlum & terram.* Rationem subdit S. Doctor Angelicus: *Bonum gratiæ unius hominis majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Subintrat hìc Richardus à S. Victore: *Ignoro*, ait, *an possit hac gratiâ interim majorem aliquam Deus homini conferre, quàm ut ejus ministerio perversi homines melìùs mutentur, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur.* S. Aug. tr. 32. in Joan. S. Th. p. 2. q. 113. a. 9. Rich. V. in. Cant. c. 4. 1.

Cognosce ex hoc ô Zelator & curator animarum dignitatem tuam. Ecce clamat adhuc hodie de cruce Salvator tuus: *Sitio*, salutem tuam & proximi, quam illi tanti stare vides, ergo nihil sitienti JESU tuo dabis refrigerii? Dixit quidem ille in cruce: *Consummatum est*, sed adverte: non dixit *Perfectum est*, quia inter utrumque adhuc differentia est; Consummavit Christus opus redemptionis hominum, sed & curatores ac zelatores animarum debent & sua addere, unde Paulus dixit: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea.* Pergamus ulteriùs. Coloss. 1. 24.

4. Appropinquabat paulatim Passio Dominica, ubi Christus discipulis in unum congregatis, & mœstis ob discessum Domini inter alia intimavit: *Amen, Amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos; Mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini*; Quod post paucas horas accidit, cùm viderunr Christum Magistrum suum capi, crucifigi, mori, sepeliri; Et ut eos de novo animaret, subjunxit: *Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus, cùm autem pepererit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Vide hìc, & considera, quomodo mitissimus Salvator tuus passionis & mortis suæ tempus parturienti comparaverit, resurrectionis verò gaudio post partum, erant enim in passione ac præsertim in cruce dolores, angores & angustiæ plùs quàm parturientis; verùm libenter hæc omnia sustinuit Jo. 16. 21.

benignissimus Dominus : *Quia natus est homo in mundum* ; imò renatus ad vitam cœlestem & æternam.

Collige ex hoc, qualem animarum zelum habuerit amantissimus Redemptor tuus, quem pro possibili imitatus est S. Paulus, qui paratus erat non solùm impendi, sed & superimpendi in animarum salutem, cupiebat enim omnibus omnia fieri, ut omnes Christo lucrifaceret; imò qui optabat anathema fieri pro fratribus. O si tales animarum zelatores & nunc haberemus, ubi tantoperè labascit Christianismus ! Sed quid mirum ? *Piscis à capite computrescere incipit*, ait Salvianus, qui suo ævo quasi alter Jeremias habitus est. Venio ad alia. Sed nota priùs hoc : *Piscis à capite &c.*

Salvianus de Provid l. 7.

5. Rebecca mulier prudens, & magno animo prædita, libenter in se suscipere voluit maledictionem, ut Jacob dilectus filius obtineret benedictionem : *In me sit ista maledictio, fili mi.* Observa Lector prudens, etiam in hoc aliquod latet mysterium, quod nobis enucleat doctissimus, juxta ac pientissimus Didacus Baëza : *Ecce*, inquit, *crucifixi plusquàm maternam charitatem, qui in cruca extentus, & confossus pro nobis maledictum factus, imprecationem suscipere non dubitavit ; Atque bona quidem discipulis & omnibus hominibus cedebat, mala autem, dolores, opprobria ipse solus sustinuit.* Et cur hæc omnia ? nisi ut demonstraret zelum animarum, quô cupiebat omnes salvos fieri ; proinde rectè & optimè S. Gregorius Magnus : *Nullum Deo omnipotenti tale est sacrificium, quale est zelus animarum.* Et S. Joannes Climacus : *Non est tanti totus mundus : quantum pretium unius anima ; ille transit, hac immortalis est & aterna.* O si hoc perpenderent omnes curatores animarum !

Gen. 27. 13.

Didac. Baëza l. 1. c. 9 §. 10.

S. Gregor. M. hom. 12. in Ezech.

S. Joan. Clim. in Ep. ad Pastor.

6. Pendebat JEsus unigenitus Dei Filius inter latrones in infami crucis patibulo : *Et quid*, obsecro, *ultrà debuit facere, & non fecit* ? Ecce hic adimpletum fuit illud Prophetæ vaticinium : *Aspicite in gentibus, & videte : Admiramini, & stupete : Quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credet, cùm narrabitur* : Ah DEus inter latrones ! ô cœli obstupescite ! Dum ergò in summa esset & corporis & animæ amaritudine, immemor omnium injuriarum ad Patrem exclamavit : *Pater dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Posteà ad latronem pœnitentem conversus dixit illi : *Amen dico tibi : hodie mecum eris in paradiso.* O pientissime JEsu ? ô Amor crucifixe ! Ubi remanet Mater tua ? Natat illa in pelago dolorum, & tu illius obliviscceris ? Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine ? & latroni loqueris, & Matri non loqueris ? intuetur te illa in mulieribus benedicta, & confixis in te oculis Vulnera tua maternâ pietate considerat ! Et tu priùs latronem, quàm SS. Matrem tuam consideras ? R. Arnoldus Carnotensis : *Tanti scilicet Christo est salus anima, ut priùs de ea agat cum latrone, quàm cum Matre de clientela.*

Isa. 5. 3.

Habac. 1. 5.

Luc. 23. 34.

Luc. 23 43.

Arnold. Carnot tr. de 7. Verb. Dom.

7. Et

7. Et ideò post mortem suam tam violentam aperiri sibi voluit sacratissimum pectus suum, ex quo promanavit sanguis & aqua, per quam effluxionem, prout observat S. Augustinus, figurata sint Sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, *sine quibus ad vitam, qua vera vita est, non intratur.* Ecce quomodo etiam in hoc ostenderit zelum salutis nostræ, quia ex crudelitate etiam, quam milites in eum exercuerunt, noverat immensum elicere thesaurum, videlicet SS. Sacramenta, quæ nostras sanctificant animas. Ideò cum clamore valido expiravit animam, ut lucraretur animam Centurionis, hominis gentilis & increduli: *Videns Centurio, qui ex adverso stabat, quòd sic clamans expirasset,* ait: *Verè Filius Dei erat iste.* Ideò in corpore glorificato SS. quinque Vulnerum stigmata reservare voluit, quia prævidit unum ex Discipulis suis futurum incredulum, neque etiam sibi resurgenti crediturum: *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* Supra quod pereleganter S. Joan. Chrysostomus: *Considera,* inquit, *Dominatoris clementiam, qualiter & pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, & accedit, ut salvet illum.* Disce ex his zelare salutem animarum.

Jo. 19. 34.

Marc. 15. 39.

Jo. 20. 25.

CONSIDERATIO C.

Moritur JEsus, vita nostra in cruce, & in Patris manus commendat spiritum suum.

Et clamans voce magna JEsus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. Luc. 23. 46.

1.

DAvid cùm moraretur in deserto Maon undique ab hostibus circumcinctus, & exercitu Regis Saulis ex omni parte ad eum perdendum diffuso, ita ut nullus ei pateret effugii locus, oculos suos ad cœlum humiliter levavit, postulans impensissimè, ut Deus animam suam ex hoc misero ergastulo liberare dignaretur, ut sic ungues dæmonum & hostium huic prædæ avidè insidian-

diantium posset evadere : in quem finem ad DEum exclamavit : *In*
Psal. 30. 6. *manus tuas commendo spiritum meum.*

David sicut in pluribus, ita etiam in hoc typus Christi fuit in summis doloribus ac persecutionibus in cruce paulò ante mortem cla-
Luc. 23. 46. more valido ad Patrem clamantis : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Hic locus Psalmi trigesimi, ait Le Blanc, de Christo est, qui cùm omnia aliis diversis tradidisset, Apostolis pacem, tortoribus corpus, inimicis veniam, latroni paradisum, Joanni Matrem ac vicissim Matri Joannem, militibus vestes &c. restabat sola anima, sed omnibus longè præstantior, quam Patri testamento suo legavit, ut filialem de Patris benevolentia & amore fiduciam declararet, & sic indicaret libenter se mori, eique offerre animam tanquam pretium nostræ redemptionis :
1. Cor. 6. 20. *Empti estis pretio magno.* O infinita charitas !

2. Gedeon Hebræorum Dux fortissimus hostiles Madianitarum copias clamore fugavit, atque devicit, cujus cum trecentis suis militibus armatura fuit gladius, lampas in vacua lagena, tuba & clamor una-
Judic. 7. 18. nimis : *Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite ; & conclamate, Domino, & Gedeoni.* Gedeon, ait Cornelius,
Cornel. in Isa. 9. 3. typus Christi fuit, lagena confracta ejus humanitatem designavit in cruce per tot vulnera confractam, lampas ardens in lagena inclusa, erat immensa illius charitas, tuba Verbum Dei, idcircò clamans expiravit, quia *Verbum* erat. Ille hostiles debellavit copias, Christus infernalem exercitum : *Non ferro, sed ligno.* Prout ait S. Augustinus ; Et
Luc. 23. 46. cùm iam ageret animam, clamans voce magna : *Pater*, aiebat, *in manus tuas commendo spiritum meum.* Hæc morientis Redemptoris in cruce suprema fuit oratio, unde Evangelista : *Et hæc dicens expiravit :*

Pater, dixit, in primo verbo *dimitte illis*, ô quale solatium peccatoribus verè pœnitentibus : *Pater*, dixit in ultimo verbo, *in manus tuas commendo spiritum meum.* O solamen omnibus in Christo morientibus. Adverte, Christus stans coram Judicibus magna ex parte siluit, cum morte congressurus clamavit, ac si diceret : Ecce hic est capitalis ho-
Cant. 8. 6. stis meus, hic mihi debellandus, mors & diabolus : *Fortis sicut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.* Et ecce uterque horum hostium devictus est ; Vicit Christus, & victoriam morte consignavit, ac promulgavit illam sub ipsum è vita discessum : *Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.*

Habac. 3. 5. 3. Rectè Habacuc de Christo in cruce moriente : *Ante faciem ejus ibit mors : Egredietur diabolus ante pedes ejus.* Observa : Christus, prout dictum est, in cruce mortem & diabolum debellavit, eósque ante se in
Coloss. 2. 14 triumphum duxit ; *Et expolians principatus & potestates, traduxit confidenter*

ter, palàm triumphans illos in semetipso. De morte ait S. Athanasius: *Mors Christum metuens, ad ipsum non audebat accedere, Christus autem inclinato capite eum vocavit*; Diabolus verò stabatà dextris Crucifixi Redemptoris, observaturus an aliquod peccatum vel minimum per totam Christi vitam posset deprehendere, & quia nihil invenit nisi propriam confusionem, quantocyùs ab illo discessit. Accedamus nos, anima Christiana, ad morientem JEsum per piam contemplationem, & discamus ab eo, quomodò pariter animam nostram in manus Patris commendemus. Hinc rectè dictus S. Athanasius: *Cùm in cruce dicit: Pater in manus tuas commendo spiritum meum, in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat per ipsum & in ipso vivificandos: Membra enim sumus, & multa ista membra unum corpus sunt, quod ipsum Ecclesia est. Omnes ergo in se Deo commendat.* Unde rectè Sancta Mater Ecclesia statuit, ut quotidie ille Versus: *In manus tuas commendo spiritum meum* in Completorio sub noctem caneretur, ut doceret nos, quando cubitum imus, animam nostram DEO commendare, quia multis de nocte ex catharro, suffocatione, apoplexiâ & aliis accidentibus subitaneæ mortis occurrunt pericula. Quem Versum etiam usurpare solent moribundi. S. Raymundus de Pennafort mortuus est in iisdem verbis in manus tuas Domine commendo spiritum meum, item S. Nicolaus Episcopus, de quo Ecclesia: Suspiciens in cœlum, cùm Angelos sibi occurrentes intueretur, illo psalmo pronuntiato: In te Domine speravi, usque ad eum locum, in manus tuas commendo spiritum meum, in cœlestem patriam migravit. Item S. Ludovicus Galliarum Rex pientissimus, S. Basilius & innumeri alii; utinam & nos, optime Lector!

S. Athanas. q. 6. ad Antiochum.

Brev. Rom. 6. Decembr.

Dixit autem moribundus Salvator noster hæc verba cum valido clamore: *Et clamans voce magna JEsus ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et quare sic clamans expirare voluit? R. 1. Ut suam & vivendi & moriendi potestatem orbi testaretur, priùs enim dixerat: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso; Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Clamans expirare voluit. 2. Ut animis nostris intonaret; quousque peccata nostra ipsum deduxerint, ad iniquos Judices, ad cruentam columnam, ad supplicii locum, ad funestam crucem, ad ipsam mortem. Clamans expirare voluit. 3. Ut doceret quàm vehemens ipsi dolor fuerit tam exterior, quàm interior; de dolore exteriore ait Propheta: *Si est dolor sicut dolor meus*, sed non minor fuit dolor interior, cùm prævidit, quòd tam cruenta passio in tot hominum millibus esset perdita, qui sponte in æternos ignes essent ruituri. Clamans expirare voluit. 4. Ut instrueret nos in periculis, morbis ac præsertim in-

Luc. 23. 46.

Jo. 10. 18.

Thren. 1. 12.

stante morte clamare ad DEum, quia nullius innocentia ab insidiis diaboli satis secura est, si enim Cerberus ipsi Christo in extremis adhuc insidias struere voluit, quantò magis tuo insidiabitur calcaneo, hoc est fini vitæ. Clamans expirare voluit. 5. Ut nos surdos à scelerum lethargo susciteret, unde monet Apostolus: *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Clamans expirare voluit. 6. Ut moriens nos ut mortuos ad vitam revocaret. Sic Lazarum evocans è sepulchro voce magna clamavit: *Lazare veni foras.* Hinc illa Romani ducis liberrima confessio: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait, verè hic homo Filius Dei erat.* O anime mi! Quid agis, dum hæc consideras? Ecce salus tua ac mea in patibulo exspirat, Deus patitur, Christus occiditur, Veritas opprimitur, Vita moritur, ut viverent mortui; percute cum turba morti Christi præsente pectus tuum, & revertere, de vitio ad virtutem, de morte ad vitam.

Ephes. 5. 14.

Jo. 11. 43. Marc. 15. 39.

Jo. 19. 30. 5. *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quid hoc est ô mi JEsu! Alii morientes primò emittunt spiritum, & deinde inclinant caput, tu verò priùs caput inclinasti, & exinde emisisti spiritum? Magnum hìc latet mysterium, inspiciamus, & levemus capita nostra, quonam appropinquat redemptio nostra. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 1. Ut non necessitate, sed voluntariè se mori ostenderet; ita S. Chrysostomus. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 2. Ut ostenderet, quòd moriebatur ex obedientia, Patri obediens usque ad mortem; ita Antonius Glissandus. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 3. Quia cùm omnium peccata portaret, eorum onere summè gravabatur; unde caput inclinavit. Ita Lanspergius. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 4. Ut ultimum vale dilectissimæ & nunc afflictissimæ Matri juxta crucem stanti diceret; ita dictus Lanspergius. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 5. Quasi plagam Occidentalem salutaturus; Hierosolymis & plagis Orientalibus dorsum vertit, versùs autem Europam faciem ostendit, & caput moriens inclinavit, ubi Ecclesiam fundare voluit. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 6. Ut tanquam felicissimus Caduceator momentum cum clamore valido humano generi annuntiaret, quo Patri æterno reconciliati sumus, ac in signum reparatæ amicitiæ osculum veluti terræ dedit. Ita Larson. *Inclinato capite tradidit spiritum.* O sublime mysterium! DEus moritur, quis hoc assequi potest, & quidem pro te moritur, quid rependes, ne sis ingratus tanto Benefactori? *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Resolve te.

S. Chrysost. hom. 84. Glissand. qu. 302.

Lanspergius. hom. 52. de Pass. Idem ibidem

Larson. de Pass. Dom.

CON-

CONSIDERATIO CI.

De prodigiis, quæ Christo pendente, & moriente in cruce in cœlo & terra facta sunt.

Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est &c. Luc. 23. 45.

1.

REge potentissimo indignâ morte extincto, perturbantur aulici & omnes fideles subditi. Hoc videre erat in Josia Hebræorum duce ac pientissimo Rege, qui omnes abominationes abstulit in Israel, & cultum veri Dei in regno exulantem reduxit, hic, cùm in bello pro salute patriæ & subditorum pariter pugnâsset, & lethali vulnere percussus interiisset, observat Scriptura, quòd ab omnibus mirandum in modum fuerit deplanctus: *Universus Israel & Jerusalem luxerunt eum.* 2. Par. 35. 24.

Mortuus est Rex Regum, & Dominus Dominantium in bello, ubi cum diabolo, mundo & peccato duello conflixit mirando, mortuus, inquam, est, & quidem in cruce morte indignissimâ, centenis vulneratus plagis, quem non duntaxat plangebant pii sed & *Angeli pacis amarè flebant*, imò cœlum & terra, dum in illius obitu tot facta sunt prodigia: *Expavit*, ait S. Bernhardus, *tota machina mundi, ubi Christus in ligno crucis mortuus est: Venite, & videte opera, quæ posuit prodigia super terram.* Isa. 33. 7. Psal. 45. 9.

2. *Sol obscuratus est*, ut ignominiam creatoris sui in cruce coram omnibus denudati aliquo modo tegeret. Figuram hujus accipe ex Noëmo Patriarcha in tabernaculo suo denudato, & à Cham protervè illuso, quem Sem & Japhet filii faciem ab ejus nuditate avertentes, pallio tegebant; unde S. Hieronymus: *Videtur*, inquit, *mihi Sol retraxisse radios suos, ne aut pendentem Dominum viderent, aut impii blasphemantes sua luce fruerentur.* Et pergit Evangelista: *Et tenebræ factæ sunt super universam* Luc. 23. 45. S. Hieron. hìc in Matth.

Exod. 10. 22. *terram.* Attende: Cùm Moyses dux & legifer populi Israelitici, jubente Deo extendit manum in cœlum, *factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti tribus diebus.* Christus Filius Dei vivi extendit manus suas in cruce, & factæ sunt tenebræ tribus horis non tantùm in Ægypto & Palæstina, sed & in toto terrarum orbe. S. Dionysius ait se hanc ecclipsin vidisse, ideò exclamavit: *Aut Deus naturæ, auctor mundi patitur, aut mundi machina dissolvitur.*

Amos 8. 9. 3. In hac generali ecclipsi verificatum fuit illud Amos Prophetæ vaticinium: *Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet Sol in meridie.* Hoc prodigium factum est in passione Christi, quâ sol quasi pullatus incessit, & luxit creatoris sui cruentam & tam indignam necem; ita S. Hieronymus, S. Augustinus, & alii apud Cornelium. O tristis luctus!

Drex de Christo moriente. Audite quid Tamerlanus, terror orbis, fecerit. Cùm aliquam civitatem obsidere voluit, prima die ante conspectum civium vexillum candidum erigi jussit, ut obsessis significaret, si sese dederent, indemnes esse futuros. Altero die figebat vexillum purpureum, ad indicandum, si nollent se subjicere, demetenda esse illorum capita. Tertio die si persisterent tanquam hostes repugnare, atrum & nigrum vexillum ante illorum conspectum posuit, ad indicandum, jam nulli ampliùs parcendum, sed sanguine miscenda omnia, & flammis devastanda.

Christus JEsus non terror orbis, sed amor & deliciæ generis humani, mundum à servitute diaboli vindicaturus, triplex quoque vexillum nobis proposuit, album in ultima cœna, dum linteo se præcinxit, & discipulorum pedes lavit, atque tunc præsertim, dum sub specie panis candidi se ipsum in SS. Sacramento in cibum præbuit. Altero die purpureum, dum jussu Pilati cruentum in modum flagellatus est; denique nigrum, dum horrendas mundo universo tenebras
Luc. 23. 44. immisit: *Tenebræ factæ sunt in universam terram.*

4. Tempore Josue belli Ducis invictissimi Sol in medio cursu
Josue 10. 12. stetit: *Sol contra Gabaon ne movearis.* Tempore Ezechiæ Regis Sol in
Isa. 38. 8. cursu suo retrogressus est: *Et reversus est Sol decem lineis per gradus, quos descenderat.* Tempore passionis in die Parasceves Sol omninò obscuratus est, & sub atro velamine se abscondit, quia non poterat videre Dominum ac Creatorem suum tam misera morte pereuntem, ut sic ostenderet Christum verum fuisse DEum, cui funebria volebat persolvere; quod & cæteræ creaturæ irrationales fecerunt, omnes suo Domino condolentes, ut nos confunderent, si ei non ex animo condoleamus, qui causam mortis ei dedimus.

5. David, ubi ab Amalecita intellexit, quòd Saul & Jonathas in bello fuerint interfecti, scidit vestimenta sua, ut dolorem suum palam ostenderet, quantùm utrumque æstimaverit, quibus tam lugubri modo parentavit: *Apprehendens autem David vestimenta sua scidit, omnésque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt.* 2. Reg. 1. 11

Pater æternus perceptâ Unigeniti Filii sui morte quid fecit? Scidit vestimenta sua, hoc est, Velum templi in Sancto Sanctorum in detestationem sceleris Judæorum; Si enim Caiphas summus Pontifex, ubi audivit à Christo ipsum esse Filium Dei, quasi hoc esset blasphemum, in signum doloris vestimenta sua scidit: *Tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus?* Matth. 26. 65. Decuit & conveniens fuit, ut ipse DEus Pater ejusmodi signum daret in detestationem deicidii dilectissimi Filii sui, hinc pretiosissimum templi velum per Angelos scindi voluit, sub quo ipse quodammodò sedens in templo amictus, & velatus fuerat: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum*, ô cœli obstupescite! *Nunquam res talis facta est in Israel.* Audiamus D. Hieronymum: *Velum templi*, inquit, *scissum est, & omnia legis Sacramenta, quæ priùs tegebantur, prodita sunt.* Ibi habitabat Arca, quæ continebat Manna, nunc in Ecclesia Dei SS. Eucharistia; ibi asservata fuit Virga Aaronis, nunc Crux Dominica; ibi erat propitiatorium, nunc ipse DEus & Homo Christus propitius peccatoribus. Hic adimpletum fuit illud Veritatis: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Sic fiet illi, qui Deum deserit. Matth. 27. 51. Judic. 19. 30. S. Hieron. hic. Matth. 21. 43.

6. Dixerat aliquando Christus: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Ecce in morte Christi & lapides clamabant, arguebántque Judæorum saxea pectora ipsis saxis duriora, proinde S. Ambrosius: *O duriora saxis pectora Judæorum! finduntur petræ, sed horum corda durantur: horum immobilis duritia manet orbe concusso:* Lapides, inquam, testabantur Christum esse DEum, & homines tot visis prodigiis negabant, ex quorum consideratione etiam impiissimi debuissent scindi ad pœnitentiam. Nec hoc tantùm Hierosolymis in rupe Golgothæa accidit, sed & alibi terrarum, prout patet in monte Alvernia, in quo à Christo crucifixo quinque SS. Vulnerum stigmata S. Franciscus accepit, in Promontorio ad littus Campanum Cajetæ, in Hispania in monte, qui dicitur Monseratus & passim in pluribus aliis orbis partibus, prout vidi quondam Romæ ad S. Joannem Lateranensem ex Hierosolymis illuc translatas marmoreas columnas, quæ per medium præcisæ conspiciuntur cum hoc inscripto: *Et petræ scissæ sunt.* Et cor tuum adhuc immo- Luc. 19. 40. S. Ambr. l. 12. in Lucam. Matth. 27. 51.

immotum est ? Non scindatur ad passionem & mortem Domini? O rupes, ô cautes !

7. Cùm vidissent quondam homines ad unam vocem Christi
Matth. 8. 27. mare iratum & ventos placatos, exclamarunt admirabundi : *Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei*? Et qualis est hic anime mi, quem
Matth. 27. 51. mortuum in cruce omnia Elementa deplorabant : *Terra mota est*, tanquàm abhorrens à tam immani scelere in Creatorem suum admisso, quia hoc deicidium tantum scelus erat, ut illud sustinere terra non posset, nec vellet, proinde aperire voluit os suum, ut sicut quondam
Num. 16. 31. Core, Dathan & Abiron cum omni eorum familia vivos deglutivit, ita & nunc omnes peccatores terræ voluit devorare & sepelire in inferno, nisi mitissimus JEsus in cruce orasset; *Pater dimitte illis; quia nesciunt quid faciunt.*
Matth. 27. 52. Et quid sequitur ? *Et monumenta aperta sunt*, extra urbem videlicet, ut ipsa cerni possent cadavera, ô qualis horror! Et tamen nullus mortuorum ante Christum in vitam rediit, quod dilucidè
S. Hieron. hìc. demonstrat S. Hieronymus: *Et tamen cùm monumenta aperta sint, non anteà resurrexerunt, quàm Dominus resurgeret, ut ipse esset primogenitus resurrectionis ex mortuis.*

Gen. 4. 11. Olim dixit DEus Caino fratricidæ: *Terra aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua.* Cùm Dei Filius, Abel innocentissimus sanguinem omnem pro nobis fudit, poterat dicere Pater cœlestis: Ecce terra undique panditur, quæ sanguinem Filii mei de manu vestra requirit ; sed misericordiam volo, non judicium, Sanguis enim Filii mei meliùs clamat, quàm Abelis, non vindictam, sed misericordiam. En fructum passionis.

CON-

CONSIDERATIO CII.

De triumphali Titulo ſupra caput JESU Crucifixi in trunco affixo, quid nobis inſinuet?

Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: JEſus Nazarenus Rex Judæorum. Jo. 19. 19.

1.

JAcob Patriarcha, ubi inſtante morte à Joſeph filio ſuo, nunc Ægyptiorum Pro-Rege erat viſitatus, ejus virgam, quam in ſignum poteſtatis, in manibus gerebat, humiliter adoravit: *Fide Jacob moriens*, ait Gentium Doctor Paulus, *ſingulis filiis Joſeph benedixit: Et adoravit faſtigium virgæ ejus.* Ad quid iſta adoratio virgæ & faſtigii ejus? R. Hæc omnia illis in veteri teſtamento contingebant in figura, ſcripta ſunt autem propter nos. Hæc virga, ait S Ephrem, figura fuit SS. Crucis Dominicæ, & faſtigium ejus præſignavit Titulum crucis, hoc eſt: Tabellam, in qua ſacratiſſimum Nomen JEſus Nazarenus Rex Judæorum erat exaratum; Moriens ergo Jacob in Fide Redemptoris oſculatus, & veneratus eſt Sacroſanctum Nomen JEſu crucifixi, cujus aſpectu tunc nondum frui poterat. Si hoc olim in umbra, quid nunc in veritate? O Chriſtiani! Vel ex hoc diſcite, quantùm ſit honorandus iſte Titulus triumphalis, quem ſupra caput pientiſſimi Redemptoris veſtri in cruce pendentis affixum cernitis. Conſiderate, inquam, illa ſacratiſſima verba: JEſus Nazarenus Rex Judæorum.

Hebr. 11. 21.

S. Ephr. de laude Crucis. Marchant. tr. 3. lect. 8.

2. Erat autem hic Titulus, quem Romæ quondam in templo S. Crucis conſpicatus, & veneratus ſum, ſcriptus non calamo, aut peniculo, ſed ſtylo ferreo ſuper candidam tabulam, cujus litteræ minio, ſeu rubro colore erant tinctæ; quia mortis continebant cauſam, & ut aliis terrorem mortis incuterent, ac majeſtatem Romani Præſidis oſtentarent, quem Titulum unus juſtitiæ miniſter in bajulatione crucis

Chri-

Christo, immaculato illi Agno ad cruentam pergenti victimam, in oblonga pertica, seu hastâ præferebat.

Sueton. cap. 37. Sic quondam Julius Cæsar Imperatorum primus, cùm victor ex Pontico bello rediret Romam, sibi ante currum suum triumphalem, tabellam præferri voluit, in qua grandioribus litteris erant exarata tria ista verba: *Veni, vidi, vici* Currus triumphalis Christi Domini, ait S. Ambrosius, crux est, per quam, & in qua omnes hostes suos devicit, superavit, debellavit: *Veni, vidi, vici*, hoc est: dæmonem, mundum, peccatum; Titulus erat J. N. R. J. ô charissimus Titulus!

Josue. 5. 18. 3. Josue suis militibus signum dedit, quando levavero clypeum meum, qui in manu mea est, contra Urbem Hai, tunc tradet eam nobis Dominus: *Leva clypeum, qui in manu tua est contra urbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Levavit Josue clypeum in pertica, & secuta est victoria. Josue JEsum adumbravit, pertica crucem, clypeus SS. Nomen JEsus in titulo crucis exaratum; hinc omnis nostra gloria & victoria, quia non est aliud nomen, in quo oportet nos salvos fieri, quàm sacratissimum Nomen JESUS.

Gen. 28. 18. Jacob qui mirabilem illam cœlestem scalam viderat, & Angelos Dei per eam descendentes & ascendentes, ipsúmque Dominum in summitate ejus innixum, surgens de somno lapidem erexit in titulum,

Cant 1. 2. fundens oleum desuper. Sic Christus Dominus ubi ipse scalam crucis ascendit, voluit titulum crucis super se erigi, quem ipse priùs oleo perfudit, quia oleum effusum est nomen ejus: seu unguentum effusum, ait Philo Carpath. immensam ipsius misericordiam atque pietatem erga nos ostendens, imò & effundens.

Jo. 19. 19. 4. *Scripsit autem & titulum Pilatus.* Observa mysterium. Pilatus Sanctissimum Nomen JEsu non ore videtur pronuntiasse, sed manu

Sylveira c. 8. in Luc. 1. 63. scripsisse tantùm. Causam assignat Sylveira, quia ipse erat totus sordidus, manus autem illius erant aliquo modo mundæ, quia lotæ:

Matth. 27. 24. *Acceptâ aquâ lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine justi hujus: vos videritis.* Nota hic tibi pro reflexione morali aliquam doctrinam, ut mundus sis ore, corde & opere, si vis dignè venerari sacratissimum Nomen JEsu, extra quem est nulla salus.

Scripsit verò Judex ille Romanus: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*, Quo titulo personam, patriam & causam voluit indicare: *JEsus* personam, *Nazarenus* patriam, & *Rex Judæorum* mortis causam, quia se Regem fecit.

5. Voluit aliquando plebs Hebræa, ubi benè à Christo pasta erat, eum rapere, & facere Regem; Et quid fecit pretiosissimus Salvator

Jo. 6. 15. Christus? *JEsus ergo cùm cognovisset, quia venturi essent ut raperent eum, ut face-*

facerent cum Regem, fugit iterum in montem ipse solus. Ecce dum Judæi benignissimum Dominum Regem volebant facere, fugit, & abiit.

Sed audi plura: Ubi ad crucem condemnatus est per iniquissimam Romani Judicis sententiam, cujus tenor erat juxta S. Vincentium Ferr. *JEsum seducentem populum, blasphemantem Deum, dicentem se Christum Regem Judæorum esse: Cruci affigendum condemno, & adjudico.* Post latam istam sententiam scripsit & Titulum Pilatus vel per se, vel per Secretarium: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*: hunc Regis titulum acceptavit JEsus libentissimè, nihil contradicens. Et quare hoc, mi Domine? An quia regnum tuum non est de hoc mundo? S. Vincent. ser. de Pass.

R. Ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam: Dominus regnavit à ligno: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu.* Ecce in cruce Christus Dominus à Patre constitutus, declaratus, & factus est Rex omnium & Angelorum & omnium hominum: *Regnavit à ligno DEUS*, ait Ecclesia. Psal. 2. 6.

6. Ad Samuelem quondam venerunt Hebræi, postulantes ab eo Regem: *Rex erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes, & judicabit nos Rex noster: & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* 1. Reg. 8. 19.

Dedit nobis Pater æternus Regem unigenitum ac dilectissimum Filium suum JEsum, *& factus est principatus super humerum ejus.* Hic, inquam, Rex bellum nostrum pro nobis pugnavit, ah quàm cruentum! Vulneratus est propter iniquitates nostras, tela & plagas ipse unus excepit, ut nos salvaret, ac tueretur invulneratos. Proinde regnum suum non per delicias, sed per propriam mortem sibi & nobis comparavit. Vivat ergo Rex noster: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*: Cujus Titulus triumphalis defendat nos ab omnibus malis, ac tunc præsertim in supremo agone, ex quo nobis pendet æternitas. O gloriosus, ô quàm amabilis titulus: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum!* Isa. 9. 6.

7. Cæterùm non placuit hic Titulus impiis Judæis ac Christicidis, unde venerunt ad Pilatum: *Noli scribere Rex sum Judæorum.* Ecce ex utraque parte remorsum conscientiæ; sæpiùs enim prodiderat Pilatus in sanguinario illo judicio innocentiam Christi: *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*: *vos videritis*; unde nunc publicum testimonium huic innocentissimo Agno dare voluit, scribendo hunc honorificum Titulum: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum.* O glorioſum Titulum, quem non ex se, sed ita disponente Deo Pilatus exaravit, in quo licet ignoranter Christum Messiam, verum Judæorum Regem, & mundi Salvatorem declaravit, qui ex Dei decreto crucifigi & mori debebat, ut humani generis peccata lueret, & expiaret, hominésque Deo reconciliaret Joan. 19. 21. Matth. 27. 24.

ciliaret ac salvaret. Quare hic Titulus, ait Cornelius, fuit Christo
Cornel. in Matth. 27. 37. summi honoris elogium, ostendit enim ejus non tantùm innocentiam, sed & dignitatem, & traducens ac infamans Judæos per totum orbem quasi Christicidas; unde Origenes: Hic titulus, ait, *caput JEsu instar corona exornat.*

Jo. 19. 22. 8. *Quod scripsi, scripsi*, persistebat Pilatus in sua sententia, nec jota mutabitur, quibus verbis pientissimi Redemptoris nostri excusare voluit innocentiam, quia coactus eum ad mortem condemnavit, & simul accusare Judæorum malevolentiam: *Quod scripsi, scripsi.* Ecce saltem in hoc laudandus est Judex Romanus: ideò hic Titulus stare debuit, etiam ringentibus Judæis, quia non est potentia, nec prudentia,
Surius in vita 16. Nov. c. 3. nec consilium contra Dominum. Interim imitemur S. Edmundum, cui Christus adolescenti & ipse in specie adolescentis apparuit, hunc ipsissimum Titulum in fronte suo aureis præseferens litteris: *JEsus Nazarenus Rex Judæorum*, monens eum, ut hoc Sacrosanctum Nomen cordi imprimeret, ac fronti inscriberet, fore enim ipsi, ac omnibus similiter facientibus adversùs malam ac subitaneam mortem magnum præsidium. Si prudens es, imitare exemplum.

CONSIDERATIO CIII.

Cur Crucifixus Dominus latus suum per crudelem militis lanceam voluerit adaperiri?

Unus militum latus ejus lanceâ aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua. Joan. 19. 34.

I.

Jo. 5. 3. PRiusquam Filius Dei fuit incarnatus, erat hic mundus quasi probatica piscina, in qua jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Inter illos languidos erat comprimis Adam, proh! quanto tempore expectavit, ut veniret quisquam, qui ipsum in piscinam mitteret, & sic sanum faceret. Venit ille homo, imò DEus & homo Christus, ipsum interrogans: *Vis sanus fieri?* Respondit Adam: *Homi-*

nem non habeo. Noli dicere: *Hominem non habeo;* En habes hominem, quem tibi monstrat Præses Romanus: *Ecce homo*: qui pro te & posteris tuis similibus prævaricatoribus nunc pendet in ligno, & tua luit, ac solvit posterorum delicta, de quo Isaias: *In misericordia sempiterna miser-tus sum tui; dixit Redemptor tuus Dominus.* Isa. 54. 8.

Et quia in finem dilexit nos, etiam post finem vitæ non cessavit diligere nos, in cujus amoris signum sacratissimum latus, imò & cor suum crudeli militis lanceâ adaperiri voluit, *ut prævaricatores redirent ad cor.* Unde S. Bernardus; *Permittit sibi cor aperiri, ut nos certos redderet, quòd non solùm linguâ, sed & corde diligeret.* O bone JEsu! quis non amet te pendentem in cruce? O anima peccatrix, quid rependes pretiosissimo Redemptori tuo pro te tot affecto contumeliis, tot presso doloribus, tot sauciato vulneribus, & nunc aperto latere & corde transfixo clamanti ad te: *Præbe fili mi, cor tuum mihi?* Ezech. 18. 32. S. Bern. de Pass. Dom. Prov. 23. 26.

2. Quærebant inimici Christi animam ejus in diversis corporis partibus, anima enim est in toto corpore, & in qualibet corporis parte. Quærebant eam in capite, ubi maximè suas exercet vitæ operationes, ideo dederunt ei alapas, & percutiebant caput ejus arundine, & impo- Marc. 15. 19. suerunt ei coronam de spinis, quarum septuaginta duæ hoc divinissimum caput graviter sauciarunt. Quærebant eam in manibus ac pedibus, quia *anima mea*, ait Vates Regius, *in manibus meis semper*, ideò fer- Ps. 118. 109. reis eas, & pedes perforarunt clavis: *Foderunt manus meas & pedes meos.* Psal. 21. 17. Quærebant eam in toto corpore, proinde flagellarunt eum, ut in toto corpore à planta pedis usque ad verticem non esset in eo sanitas. Et Isa. 1. 6. quid ultra fecerunt? hoc illis in mentem venit, quia cor est primum vivens & ultimum moriens, igitur quæratur cor. Ecce adstat in tempore truculentus miles, vibrat lanceam, dexterum ejus latus aperit: *Et continuò exivit sanguis & aqua.* Supra quod S. Ambrosius: *Exivit sanguis & aqua, aqua ut mundaret, sanguis ut redimeret.* Veni igitur anima mea pretioso Christi sanguine redempta, veni, & lava maculas tuas in sanguine Agni. O quàm salutare lavacrum.

3. Naamo Syro diviti sed leproso ab Eliseo quondam dictum est: *Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* Et quid sequitur? *Descendit, & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* Hoc & ego dico tibi, anime mi! fortasse lepram occultam habes in conscientia & anima tua: *Lavare, & mundaberis*; Lava te septies in septem Christi JEsu sanguinis profusionibus, ac præsertim in sacratissimo & aperto ejus latere, lavacrum enim est, in quo à cunctis peccatorum maculis mundaberis; Fons est patens in ablutionem peccatoris. Medicina cœ- 4. Reg. 5. 10

lestis est, & pharmacum sanans nostras infirmitates; unde rectè Mellifluus: *Filius Dei altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis, id est peccatis pretioso sui sanguinis balsamo mederetur.* Et subjungit: *Agnosce, ô homo, quàm gravia sunt vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari*; Olim fons latens in sinu Patris fuit, nunc factus est fons patens in cruce & in sinu Matris Virginis, quando post apertum latus de ligno depositus est in amplexum Virgineum; pedes dedit peccatoribus, & Magdalenæ, manus amicis, ùt Petro; cor dat filiis, quibus dicit: *Ad ubera portabimini.* Ecce quàm liberalis est in te DEus, quàm tu parcus in illum, ut pro tanto sanguine nec lacrymam stilles, neque consideres corde!

S. Bern. ser. de Pass. D.

Isa. 66. 12.

4. David, ubi percussit Philistæum, victor in urbem Jerusalem ingressus, in omnibus triviis & plateis illud mulierum audivit congratulatorium canticum: *Percussit Saul mille, & David decem millia.* Displicuit hic sermo in oculis Saul, proinde irâ percitus, & plenus indignatione nitebatur Davidis pectus crudeli lanceâ transfigere: *Tenebátque Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete.* O ingratitudinem vix auditam; priùs David eum à maligno liberavit spiritu, & pro salute totius regni se contra Goliad expositi, nunc aliam non reperit mercedem, quàm ut lanceâ illius latus transfigatur.

1. Reg. 18. 7.

Figuram percepisti in Christo expletam, qui priùs pertransiit benefaciendo omnibus, nunc pro gratiarum actione non aliam accipit mercedem, quàm crucem, clavos, lanceam. Audi verba dolorosæ Matris ad S. Birgittam: *Santibus turbis in circuitu, unus accurrens cum furia maxima venit, & infixit lanceam in latere dextro tam vehementer & validè, quòd quasi per aliam partem corporis lancea voluit pertransire. Et cùm extraheretur lancea de corpore, statim abundanter exibat de vulnere illo cum impetu quasi quidam fluvius sanguinis & aqua.*

Revelat. lib. 7. c. 15.

5. Recordor hic Evæ primæ omnium viventium matris, quare à DEO ex latere Adami fuerit procreata, & ædificata in mulierem. Cur non ex capite illius, aut ex pedibus? Rationem assignat S. Doctor Angelicus, Evam formari non decuit ex capite, ne viri Domina videretur, neque ex pedibus, ne à viro conculcanda videretur; sed ex latere cordi proxima, ut tenerè diligenda intelligeretur. Sed alium sensum hìc inquiro: Per Evam cunctorum hominum Matrem Ecclesia præsignata est, quæ ex latere Christi crucifixi formata est, ut testaretur pientissimus Redemptor ac sanguinum Sponsus, se eam summo amore & charitate diligere. Audiatur S. Augustinus: *Propter hoc*, inquit, *prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, matérque vivorum, magnúmque signavit bonum ante magnum prævaricationis malum: Et secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, qua de latere*

S. Th. p. 1. c. 92. a. 2.

S. August. tr. 120. in Joan.

latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius? Ad quod jam pridem pœnitens David anhelabat, cùm mundari desiderans, ita oraret: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Psal. 50. 3.

6. Et quid ulteriùs dico de hoc aperto Crucifixi laterali vulnere? Porta vitæ est, ideò enim mitissimus Dominus lanceâ latus suum aperiri voluit, ut orbi universo suæ mortis indicaret fructum, qui est aperire nobis cœli portam. Proinde rectè notat S. Augustinus, quòd Evangelista non dixerit: *Percussit, aut vulneravit latus ejus, sed aperuit, ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* S. August. loc. cit.

Paradisus & hortus delicarum est. In paradiso enim voluptatis collocavit DEus primum hominem. O si nunquam peccasset, non in tantam mortalitas humana devenisset miseriam. Sed DEO sint laudes infinitæ, per unum hominem mors, & per unum hominem crucifixum vita æterna. O certè felix Adæ culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem. Vade anima peccatrix, cum dolore & amore ad sacratissimum laterale vulnus, & per illud ad divinissimum Cor JEsu, & dulcius quid esse potest? Vade, vade; & noli tardare, invenies hic novum deliciarum paradisum.

Mare rubrum est, in quo submersi sunt Ægyptii, Israelitæ verò salvati, quibus planum iter ad terram promissionis aperuit. O anima Christiana! si angustiaris, si tribularis, vade ad hoc mysticum mare rubrum, quod submerget, & extinguet peccata tua, & tibi securam ad terram promissionis monstrabit, & aperiet viam. Exterriti quidem sunt Hebræi ad primum conspectum maris rubri, sed ubi ducem suum Moysen secuti, & ingressi sunt: *Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Sap. 19. 7. Exterrent te peccata tua, ut ingredi præsumas in SS. Cor JEsu, sed noli desperare, ostium adhuc apertum est, si processeris intrò cum vera fiducia & in animo contrito, fiet tibi campus floridus & hortus deliciarum, quia non ideò passus est, ut te damnaret, sed ut salvaret. Ubi est fiducia tua in meritis Crucifixi JEsu? *Et si ambulavero*, ait Psaltes Regius, *in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psal. 22. 4.

7. Expertus est nobilissimus ille Juvenis B. Joannes de Incontris, in paterna quidem domo in deliciis educatus, sed ubi agnovit non aliam in cœlum esse viam, quàm crucem portare post JEsum, sæculo valedixit, & ordinem S. Augustini ingressus est. Nec deerant tentationes in novitiatu, hinc in gravem animi mœrorem incidit. Et ecce cùm in procinctu est ordinem deserendi, alloquitur eum crucifixus Lyr. l. 5. c. 6

fixus Dominus: *Fili, ubi cibus tibi aridior, lectus durior, molestiores fuerint vigilia, ingredere in vulnus hoc, & intinge illa in sanguine lateris mei, & illicò dulcescent omnia.* Obtemperavit Juvenis monenti, sanctè vixit, & inter amplexus crucifixi Amoris sui beatam animam expiravit.

CONSIDERATIO CIV.

De clavis & lancea, quibus Sacratissimum Corpus JEsu crucifixi perforatum fuit.

Foderunt manus meas, & pedes meos. Psal. 21. 15.
Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Jo. 19. 34.

1.

Habac. 3. 4. S. Cyprian. de Pass. Chr.

RECTÈ Habacuc Propheta de Christo, suo tempore pro salute totius generis humani crucifigendo vaticinatus est: *Cornua in manibus ejus.* Supra quod pereleganter S. Cyprianus antiquitate, doctrinâ, & sanctitate celeberrimus hanc tulit sententiam: *Erant in manibus ejus duo cornua* (duo n[illegible] clavi ferrei) *in quibus erat fortitudo tua abscondita, & imperium tuum.* [illegible]x addit: *Conspiceravi opera tua, & expavi: Claris sacros pedes terebrantibus, Jossisque manibus de vulnere &c.*

Fuit autem mitissimus Dominus in crucis trunco quatuor affixus clavis ferreis, licet hoc Scriptura non indicet, efficax tamen probat ratio, & S. Joannes, qui huic cruentæ interfuit crucifixioni, ait: *Milites ergo cùm crucifixissent JEsum, acceperunt vestimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Ex quibus verbis SS. Patres annotare solent, quòd quatuor fuerint crucifixores, & quòd Christus non tribus, sed quatuor oblongis clavis fuerit affixus cruci.

Quod etiamnum probant antiquissimæ crucifixi Salvatoris nostri imagines, prout videre est Romæ apud S. Petrum, & apud S. Joannem Lateranensem; Item Lucæ in Hetruria in imagine lignea per Nicodemum pro sua devotione excisâ, & Syroli propè Lauretum, imò in ipsâ Alma Domo, ubi Verbum Divinum incarnatum fuit, &

Apo-

Apoſtoli conſecrarunt; Et Aſſiſii in monaſterio S. Claræ, ubi veneratus ſum antiquiſſimum crucifixum non ſculptum, ſed in aſſere pictum quatuor clavis, quid ad S. Franciſcum dixit: *Vade Franciſce, repara domum meam.* Mitto quàm plurimas alias antiquitates.

2. Sed miror, quare Eccleſia de crucis ligno & clavis Domini dicere ſoleat: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera*, in quibus verbis S. Didacus, exoſculans crucem, ſpiritum Deo reddidit; Econtra lanceam diram ac crudelem appellat: *Mucrone diro lanceæ.* Et nunquid potiùs lancea dulcis debuiſſet vocari, quæ Chriſto jam vitâ functo latus aperuit, ubi non ampliùs ei cruciatum ac dolorem cauſavit? Priusquàm hanc ſolvamus quæſtionem, audiamus quid Romæ acciderit.

Refert Titus Livius de Tarquinii ſuperbi impia filia. Cùm ejus parens crudelem in modum è medio per hoſtes conjuratos ſublatus eſſet, & nunc cadaver recentibus ſauciatum vulneribus in publica jaceret via, obvians filia in curru, Rhedarium ad tam lamentabilem aſpectum currum ſuum firmantem, animavit, ut ſcuticam admoveret, & ſine reſpectu ſupra corpus Patris equos & rhedam agitaret: *Nunquid corpus patris mei retardare poterit curſum itineris mei?* Ex quo factum, quòd Tarquinius Rex licet jam mortuus equorum ferreis ungulis ac ferratis rotis penè contritus fuerit. Monſtratur hic locus Romæ adhuc hodie, qui olim Tullia Tarquinii, nunc vicus ſceleratus vocatur.

Anime mi, aſpice crucifixum JEſum tuum, qui clavos vivens perpeſſus eſt, ſed lanceam mortuus, unde ira ac crudelis vocatur, quia in mortuum deſæviit Authorem vitæ: *Dulces igitur clavi*, ait Mallonius, *dulce lignum, quod in vivum Chriſtum ſuam exercuit crudelitatem; dira lancea, quæ in cadaver ſuam ſævitiam effudit &c.* Quòd Carnifices illi non fuerint emolliti, qui manus ac pedes Chriſti trabalibus terebrarunt clavis, non miror, quia infideles erant, ſed hoc eſt prodigium ſummæ ingratitudinis, ſi Chriſtianus aſpiciens & contemplans crucifixum Redemptorem ſuum, non aliquo pio ſenſu moveatur. Mallon. c. 20. de S. Sind.

3. *Foderunt manus meas, & pedes meos*, ait Pſaltes Regius, & Evangeliſta: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Ecce uterque vigilanti verbo uſus eſt: Foderunt manus meas & pedes meos, cur non dixit: Terebrarunt, transfixerunt, penetrarunt, aut transadigerunt manus ac pedes ejus? R. Primò: corpus Chriſti fuit terra illa benedicta, quæ effoſſa ferro multum, imò centeſimum fructum attulit, unde Poëta: *Foſſa caro Chriſti cœlica regna dabit.* Foderunt ſecundò manus meas & pedes meos clavis, ut exinde prorumperent quatuor fontes paradiſi & omnium gratiarum, quibus irrigatur univerſa terra. Foderunt tertiò Pſal. 21. 17. Jo. 19. 34.

manus

manus & pedes Christi, ut in cujus petræ foraminibus omnes peccatores verè contriti securum in vita & morte invenirent refugium:
Psal. 103. 18. *Petra refugium herinaciis.* Ad quam petram idem sanguinum Sponsus
Cant. 2. 4. dilectam suam animam invitat: *Columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ.* Addit Evangelista: *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Et cur aperuit, & non transfixit, transverberavit, trajecit? Observa: Vigilanti verbo usus est Evangelista: Janua clausa adaperiri solet, vitæ janua est apertum latus Christi, ad quod referandum Longinus lanceâ
Jo. 10. 9. suâ, tanquam clave usus est; audi ipsam Veritatem: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur: Et ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* O nos felices, quia in his sacris vulneribus in omni tribulatione nostra, in vita & in morte certum possumus invenire auxilium. Ju-
S. Bernard. serm. 21. vat hìc pro solatio nostro audire Doctorem Mellifluum: *Foderunt*, inquit, *manus ejus & pedes, latúsque lanceâ foraverunt, & per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo; id est, gustare & videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, & ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? At clavus reserans, clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluntatem Domini. Quidni videam per foramen: Clamat clavus, clamat vulnus, quòd verè Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi: Ferrum pertransiit animam ejus, & appropinquavit cor illius; ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum cordis per foramina corporis, patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos Oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? in quo enim clarius, quàm in vulneribus tuis eluxisset, quòd tu Domine suavis & mitis, & multa misericordiæ? Majorem enim miserationem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro addictis morti & damnatis.* Hæc S. Bernardus.

3. Th. 3. p. q. 46. a. 6. 4. Cæterùm pientissimi Redemptoris nostri dolores ob hujuscemodi transfixionem clavorum fuerunt vehementissimi. Ita S. Thomas: Configuntur, ait, in locis nervosis & maximè sensibilibus, scilicet in manibus & pedibus, & ipsum pondus corporis pendentis continuò auget dolorem, & cum hoc etiam doloris diuturnitas, quia non statim moriuntur, sicut hi qui gladio conficiuntur. Quod idem confirmat Lanspergius: Clavos quibus Christus cruci affixus fuit, adeò grossitie Vulnera manuum oppleviſſe, ut sanguis prodire non posset, donec totum corporis pondus manibus sic affixis sustentaretur: tunc enim laxatâ manu vulnera, sanguine ubertim erumpente manarunt.

Baron. ad an. Chr. 34. De his quatuor clavis recensetulteriùs Metaphrastes & Cardinalis Baronius, quòd eos quidem dolorosissima Mater & Virgo, cùm Filius

Filius de cruce deponeretur, diligenter collegerit, sed quia apud Judæos consuetudo erat, ut cuncta instrumenta, quibus sontes & rei necabantur, eâdem die humi defoderentur, eosdem quoque cum cruce sepeliendos tradidit, donec ab Helena pientissima Imperatrice anno Christi 326. cum Dominica cruce fuerint reperti, quos Romam ad Constantinum M. filium attulit, qui unum in casside ad avertenda in bello pericula gestabat; Secundô frænum equi munivit, quo faciliùs victoriam ex hostibus referret; & hic Mediolani religiosè asservatur. Tertium in mare Adriaticum dimisit, & sic navigabile fecit, ac mirum in modum tranquillavit; Quartum in corona sua regia, quam ùt Imperator gestare solebat, infixit, qui etiamnum hodie Romæ in Ecclesia S. Crucis non sine magno pietatis sensu certis temporibus monstratur. Si quos verò alios clavos aliis in locis reperiri audias, eos vel ad similitudinem cusos, parte aliquâ veri clavi immissâ, credas, ut fidelium devotioni fieret satis.

Quod concernit Sacram Lanceam, ipse miles Longinus hanc sibi reservavit, quod sacrum pignus posteà in manus Imperatoris Constantinopolitani pervenit, qui cuspidem illius Regi Francorum dono misit. Anno Christi 1453. ubi civitas Constantinopolitana in manus Machumeti Secundi Turcarum Imperatoris devenit, succedens in regno filius Bajazetus eam Innocentio VIII. Pontifici Max. per Legatum Romam transmisit, ubi adhuc hodie in Vaticano universo populo præ devotione acclamante ostenditur; O JEsu! confige timore tuo carnes meas. Quarest. 10. c. 11. sect. 9. 2.

CONSIDERATIO CV.

Christus per crucem & Passionem suam nobis Christicolis clausas cœli portas aperuit.

Tu devicto mortis aculeo, aperuisti credentibus regna cœlorum. Ecclesia in hymno Ambrosiano.

1.

Gen 3. 24. ADam generis humani protoparens, ubi post prævaricationem suam à paradiso ejectus est, observat Scriptura: *Et collocavit Dominus Deus ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem.* Ecce propter peccatum Adami, per quod se ipsum & omnes posteros suos perdidit, paradisi portæ per flammeum gladium clausæ sunt.

Sed attollite tandem post quinque annorum millia portas, Principes, vestras, ô Cherubini, custodes paradisi advolate. Ecce per has clausas portas introibit Rex gloriæ; & quis iste, dicitis, est Rex gloriæ? Psal. 23. 7. Respondet ipse universorum Dominus: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*; in quo prælio? Ah quàm cruentum erat hoc prælium, in quo Dominus noster JEsus Christus & hic Crucifixus in Calvario monte cum diabolo, morte & peccato duello conflixit mirando. O quàm cruentum prælium; sed nunc ut glorioſus de cunctis hostibus suis Triumphator solus dignus erat, qui clausas cœli portas reseraret, ad quas aperiendas non alio instrumento usus est quàm cruce; unde S. Chrysostomus: *Crux Christi clavis paradisi est*; *Crux Christi aperuit paradisum*; Et S. Vincentius Ferrerius: *Crux est clavis; qua aperuit paradisum*; audi ipsum Dominum loquentem: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; Observa non per aliam quàm crucis viam, & tu expectas aliam?

S. Chrysost. de divite Luc. 16. Luc. 24. 26.

2. De hac cœli clave perelegans vaticinium tulit Isaias Prophetarum princeps: *Dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet, &* Isa. 22. 22.

non erit qui claudat: Et claudet, & non erit qui aperiat. Et qualis hæc clavis tam potens? Et nunquid clavis manibus gestatur? Cur ergo hic Vates divinus ait: *Dabo clavē domûs David super humerum ejus?* R. Simon Cassianus: Clavis super humerum crux est appositа dorso JEsu, cui versâ facie ad homines crudeliter fuit affixus. Et statim sequitur utilitas passionis, apertio cœli; Electis nunquam claudenda, reprobis verò nunquam aperienda. Oportet ut & hic Procopium audiamus: Clavis, ait, hæc Christi est crux, quam ipse humero gestavit, unde de eo dictum est: *Et factus est principatus super humerum ejus.* Christus enim sua cruce & passione promeruit, ut hæc universalis imperii Ecclesiæ potestas ei daretur: unde crux fuit ei quasi clavis, quâ ille cœlum aperuit, & velut instrumentum omnipotentiæ Christi, quod est clavis ejus regia, quâ omnes res ab ea claudi & aperiri possunt. Sim. Cass. l. 14. Procop. apud Cornel. Isa. 9. 6.

Et nunquam vidisti, Lector prudens & Staurophile, quomodo Imperatori, Regi aut Principi civitatem suæ ditioni subjectam ingredienti claves prægrandes & deauratæ à Magistratu sæculari ad portam præsentari soleant, per quas claves ejùs suprema in subditos indicatur potestas? Et ecce crux Domini nostri JEsu Christi clavis nostra ad cœlum est. O beatus ille, cui in mortis articulo hæc clavis præsentatur! In quem finem moribundis & agonizantibus Christianis, cùm eos consolari, & ad civitatem cœlestem transmittere volumus, ob oculos ponimus, imò in manus porrigimus effigiem Christi Redemptoris nostri, non recèns nati, prædicantis, SS Eucharistiam instituentis, sanguinem sudantis, aut resurgentis, vel in cœlum ascendentis, sed in cruce expirantis, ut infirmus firmam æternæ suæ concipiat beatitudinis fiduciam. Hinc Leo Magnus ex infallibili Petri cathedra stipulatam nobis offert promissionem, dicens: *Secura est exspectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominica passionis.* Adverte ubi est participatio Dominicæ Passionis. Et quid tu hac in re? Quid? S. Leo serm. 9. de Pass.

3. Vis memorabile exemplum? S. Philippus Nerius, qui omnem suam scientiam ac sanctitatem crucifixo Salvatori debet; cùm SS. Theologiæ operam daret, devotam quandam Crucifixi imaginem in schola ad parietem appensam, sæpiùs non sine piis lacrymis solebat aspicere, & quia in hoc vitæ libro contemplando multos progressus fecit: cæteros libros suos vendidit, & pretium pauperibus erogavit. Hic ergo talis ac tantus vir cùm aliquando ad Sanctimonialem despe-rabundam vocaretur, & illa continuò exclamaret se esse reprobam ac damnatam, ei crucifixi Redemptoris effigiem proposuit, & sic miseram affatus est: Dic, obsecro, Filia, pro quo Filius Dei in cruce mortuus est? Cui illa: Pro peccatoribus; Et quænam tu es, subjungebat S. Pa- Ex Vita S. Philip. Ner.

S. Pater. Ego, inquiebat Religiosa, sum peccatrix gravissima. Tum S. Philippus; Ergo paradisus tuus est, paradisus tuus, quia JEsus pro peccatoribus mortuus est; quæ verba: *Paradisus tuus est*, in tantum hanc peccatricem commoverunt, ut mox omnis cessaverit desperationis tentatio, & ipsa optimè ad felicem æternitatem disposita inter amplexus crucifixi piissimè expiraret. Ecce quomodo huic Sanctimoniali SS. Crux fuerit aptissima clavis ad beatam & æternam vitam.

4. Cæterùm sæpiùs hactenus miratus sum, dum in Parabolis Salomonis istam æternæ Veritatis legi sententiam: *Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Et quænam, dices, sunt illæ fores, ad quas oportet nos continuò vigilare? R. Doctissimus Mansius: Per has fores aliud intelligi non potest, quàm Christi Sacratissima Vulnera, ad has, inquam, quinque Dominicas fores, ac præsertim ad postes ostii, hoc est ad divinissimum Cor JEsu nunc in vita nostra fideliter invigilemus, ut gratiam inveniamus in tempore opportuno, dum ab hac mortali vita migrandum erit ad æternam. Ne ergo serò nimis cum Phrygibus sapiamus, nunc de clavi cœli maturè nobis provideamus, ne nobis aliquando, prout fatuis Virginibus, à Sponso cœlesti dicatur: *Clausa est janua.* Juvat hic audire S. Doctorem Seraphicum: *O cæcitas filiorum Adæ, qui per Vulnera in Christum nesciunt introire! Supra suas vires laborant in vanum, & aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quòd Christus est gaudium Beatorum? Cur tardaris per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet, paries ejus confractus est, & vos introire negligitis?* Et sequitur in Proverbiis: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino; Ecce omne bonum & æternam beatitudinem in Sacris Christi Vulneribus poteris invenire.

Prov. 8. 34.

Manss. in Bibl. tr. 59. disc. 8.

S. Bonavent. Tom. 6. Stim. Amor. c. 1.

5. Testem adduco S. Franciscum de Paula, humilitate, virginitate, corporis afflictatione, fundato Religioso Ordine, trajecto super pallium Siciliæ freto, & quàm plurimis aliis prodigiis mirabilem. Hic, inquam, talis ac tantus vir cùm ægrotare cœpit, & diem migrationis suæ præcognosceret, quæ erat Feria sexta in Sacra hebdomade (quâ die & Christus Dominus, vita nostra, in cruce expiravit) clavem ad cœlum, quam ad pectus gerebat, hoc est crucem Domini fortiter apprehendit, & cùm illi passio Dominica prælegeretur, circa horam diei nonam erectis in cœlum oculis, SS. Vulnera Christi devotissimè exosculans, & sæpiùs illa morientis Redemptoris verba iterans: *In manus tuas commendo spiritum meum*, absque doloris & mortis signo feliciter migravit in cœlum; cujus venerandum cadaver ligneâ capsâ inclusum, & in terram excavatam immissum, ubi ad preces Serenissimæ Prin-

Sur. & alii in Vita

Principissæ de Subaudia suo tempore exhumatum est, ut decentiori loco & in pretioso sarcophago collocaretur, prorsùs incorruptum, ac suavem emittens odorem repertum est. O pretiosa mors Sanctorum ejus! De quibus Vates Regius: *Exultabunt Sancti in gloria*; S. Hieronymus legit: *Exultabunt Sancti in cruce.* Imitemur nos pium ac pœnitentem latronem, qui peccatum suum confessus, Christo Crucifixo publicum innocentiæ testimonium dedit: *Hic nihil mali gessit.* Unde plenus spe & fiduciâ ad Christum, quem Dei Filium esse credidit, oravit: *Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et quale regnum? R. S. Chrysostomus: Crux erat regnum Christi in hac terra; si vis ad regnum illud & æternum pervenire, ama Crucifixum JESUM.

Psal. 149. 5.

Luc. 23. 24. S. Chrysost. ser. de cruce & latr.

CONSIDERATIO CVI.

Christus in cruce mortuus amaris lacrymis à nobis est deplorandus.

Aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum quasi super unigenitum. Zach. 12. 10.

1.

JOsias Rex Juda glorioſissimus, juxta ac pientissimus, ubi cunctas de universis regionibus filiorum Israel abstulit abominationes, fecitque omnes, qui residui erant in Israel, servire Domino Deo suo, tandem in prælio à Pharaone Nechao per immissos sagittarios, stans in curru suo regio occisus est, cui summo cum luctu & lacrymis omnes subditi, sed præcipuè Jeremias parentarunt: *Universus Israel & Jerusalem luxerunt eum: Jeremias maximè.* 2. Par. 35. 24.

Josias, subintrat hîc Cornelius, fuit proavus & typus Christi, quem crucifixum & mortuum longè meliori jure deplorent Christiani omnes, quia pro illorum causâ & salute mortem tam indignam in cruce perpessus est. Et quis, obsecro, Christianorum, si unigenitum Dei Filium pio intuitu in cruce intuetur confixum, vulneratum, mortuum, ac tam indigna pro nobis indignis tam amanter patientem non

amet, non deploret, & ex commiseratione non in amaras diffluat lacrymas? Proinde bene S. Doctor Seraphicus: *Quid*, ait, *fructuosius esse potest, quid suavius, quàm ex toto corde compati amarissimæ passioni JEsu Christi Domini nostri?*

S. Bonav. in Stimulo div. amoris.

2. Judæ Machabæo, glorioſissimo belliduci & fortissimi animi principi, quia pro honore Dei tuendo, atque pro patriæ salute conservanda interfectus est, omnis populus Israeliticus amaris parentavit lacrymis: *Et fleverunt eum omnis populus Israel planctu magno, & lugebant dies multos, & dixerunt: Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?*

1. Mach. 9. 19.

Plus hîc in cruce, vel in sinu dolorosæ Matris repositus crucifixus Amor noster; Ecce anime mi: *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israel?* Et tu ingratissime mortalium! ne quidem unicam ob tam acerbam Filii Dei necem profundis lacrymulam? O brutum, ô cautes! si flere non potes oculis, cur saltem cor tuum non fleat ob innumera, quæ per omnem vitam perpetrasti delicta, imò & de novo novis peccatis tibi crucifigis Filium Dei? Audi Apostolum, *Et prolapsi sunt: rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes?*

Hebr. 6. 6.

3. Ezechiel Propheta in Babylone tunc existens, subitò in spiritu raptus est in Jerusalem, ubi inter alia in templo vidit ad portam atrii exterioris diversas mulieres Adonidem filium Cinaræ Cypriorum Regis in juventute florentissima occisum vehementi ejulatu deplorantes: *Et ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.*

Ezech. 8. 14.

Christus est noster Adonis & DEus amoris, quem in cruce extinctum non solùm afflictissima Virgo & Mater ejus, Maria Magdalena, Salome, Joanna atque aliæ piæ luxerunt mulieres, sed & etiamnum luget tota Ecclesia in hebdomada Sancta & quotidie in missa veri fideles, atque ad lugubrem in meridie campanarum pulsum, ubi suum in cruce contemplantur Sponsum sanguinum pro salute sua extinctum. Et tu quid facis? Ergone adhuc stas immotus, anime mi? Quare non ingemiscis cum Propheta Threnologo: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris: Cecidit corona capitis nostri: Væ nobis, quia peccavimus; propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri.*

Thren. 4. 20. Thren. 5. 16.

4. Consule S. Franciscum Seraphicum, qui, cùm ævo suo, refrigescente ferè omni charitate Christiana, vidisset, quòd Christus JESUS & hic crucifixus, à populo vix grato adhuc revolveretur animo, in uberrimas lacrymas sæpè sæpiùs resolutus, imò & effusus est. Cùm hanc ob causam & ob tam amarum fletum rogaretur ab amicis, respon-

respondit: *Se flere Christum crucifixum, & mundum oblitum.* Ita est, mundus, heu quàm immundus oblitus est etiamnùm hodie Creatoris ac Redemptoris sui crucifixi JEsu, omnes enim quærunt quæ sua sunt, & pauci, ah pauci, quæ sunt crucifixi JEsu. Mancin. lib. 4 dissert. 9.

5. S. Coleta filia spiritualis hujus S. Patris Seraphici singulari pietatis gustu & acutissimo doloris sensu meditari solebat Christum crucifixum. Cùm missam audiret, & à Sacerdote sacra elevaretur Hostia, semper in largissimas profusa est lacrymas, quia fide vivâ credebat hîc adesse Christum JEsum & hunc crucifixum, quem vehementissimo complectebatur amore; Proinde meruit à S. Joanne Apostolo Christo per annulum desponsari, & è Mariæ Matris dolorosæ sinu Christum vulneratissimum in gremium suum recipere. O si tali quoque amore Christum JEsum & hunc crucifixum persequeremur, quàm citò in alias & perfectiores mutaremur personas? O si vel minimum fidei haberemus, fieremus utique ad elevationem Sacræ Hostiæ, quòd peccatis ac delictis nostris fuerimus hujus cruenti in monte Calvario Sacrificii authores, cujus memoria singulis diebus in Ecclesia Catholica à Solis ortu usque ad occasum in altaribus recolitur. Nadas. in anno cœlesti 6. Martii.

6. S. Elisabetha Regis Ungariæ filia, ubi die quodam festo cum aula numerosa & regio ornata amictu in templum se contulit, mox, ubi crucem & in ea suffixum orbis Redemptorem conspicata est, in uberes ac piissimas lacrymas solvi cœpit, intúsque in anima acerbo torqueri dolore: Quid, dicebat intra se, Deus ac Salvator meus in crucis pendet ac moritur patibulo, & ego gemmis, auro, purpuráque fulgeo: Ille spineam coronam gestat, & ego auream: Ille inter latrones, hostes & derisores; Ego turbâ famulorum me cingentium cingor; heu me miseram, quòd tam malè meum sequar & imiter Salvatorem! Hæc & similia attentiore secum perpendens animo, corruit in terram, velut exanimis, & ubi tandem ægrè ad se reversa est, ad pedes Crucifixi statuit immutare vitam, Christúmque humilem ac pauperem pro viribus imitari, quod & re ipsa fecit; prout plúribus ejus testatur vita. Habet hìc sequior & nequior sexus, quomodo, depósito omni fastu, discat meliùs imposterùm servire Deo &c. Vita & Hieron. Platus. c. 17.

7. In mentem hìc mihi venit Christianus ille Anonymus & Martyr glorioſus, de quo Cantipratanus, quòd captus à tyranno Gentili semper in captivitate sua plorans ac gemens incesserit, cùmque ex eo aliquando tyrannus hujus assidui planctûs & mœstitiæ causam inquireret, respondit: *Semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuè in corde meo passionis ejus stigmata porto.* Indignatus ad hoc respon- Cantiprat l. 2. Apum c. 25.

sum

sum tyrannus sine mora jussit, ut huic suo captivo mancipio cor evelleretur, & in partes dissecaretur, in quo perfectissima Christi crucifixi effigies inventa est; ex qua re & prodigio commotus Gentilis ad Christum conversus, & sacro baptismatis fonte ablutus est. O Christiani! *Recogitate eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùm semetipsum contradictionem: ut ne fatigemini, animis vestris deficientes, nondum enim usque ad sanguinem restitistis, adversùs peccatum repugnantes.*

Hebr. 12. 3.

8. Finem huic Considerationi faciat B. Jacoponus victor sui egregius, qui, ut gulam post conversionem suam frangeret, aliásque superaret tentationes, carnes putidas & enormiter fœtentes ori ac naribus applicavit, donec ardor edendi evanuerit; & licèt vir fuerit nobilis ac litteratus, ex cruce tamen Christi didicit mundo stultescere; Rogatus aliquando à Christo Domino sibi apparente peramicè & familiariter, quare hanc stultitiam ita adamaret; Reposuit pio lepore, ùt solebat: *Quia stultior me fuisti, Domine.* Incredibile est, quantum æstimaverit & dilexerit Christum JESUM & hunc crucifixum, cujus sacram imaginem nunquam sine lacrymis aut pio affectu solebat aspicere, quam sæpiùs per vicos & plateas civitatis consueverat portare, clamans cum lacrymis lugubri voce: *Amor non amatur: Amor non amatur*; Amantur divitiæ, honores, voluptates; vanitates, stultitiæ &c. Sed *amor non amatur.* O Christiani! *Qui non amat Dominum nostrum JEsum Christum, anathema sit.*

Vita & Cornel. in Epist. 1. Cor. 1.

1. Cor. 16. 22.

CON-

CONSIDERATIO CVII.

Christus de cruce deponitur, & in horto, in monumento novo in petra exciso, sepelitur.

Cúmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. Actor 13. 29.

1.

DAvid, cùm in Hebron Rex super tribum Juda inunctus esset, & intellexisset, quòd viri Jabes Galaad Saulem & Jonatham filium ejus in bello occisos, & super murum suspensos, sepelissent, ad eos nuntios ablegavit, qui eis ob hanc misericordiam defunctis exhibitam sub nomine suo debitas referrent gratias: *Benedicti vos à Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum, & nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: Sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud.* 2. Reg. 2. 5. O viri glorioſissimi, Joseph ab Arimathæa, vir Nobilis, Senator, dives & justus, & tu Nicodeme princeps Pharisæorum, vobis obstricta est universa mortalitas humana, quia feciſtis misericordiam hanc cum Domino Vestro Christo JEsu, & deposuiſtis eum de ligno, & sepeliſtis eum, & nunc retribuit vobis quidem Dominus in cœlo misericordiam: Sed & nos Christiani omnes reddimus vobis gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud, ô glorioſissimi viri! vos orbi universo demonstraſtis, quantùm æstimandus & amandus sit Christus JEsus & hic crucifixus.

2. Qualiter autem emortuum & excarnificatum corpus Domini de ligno crucis fuerit depositum, S. Bonaventura in Meditationibus vitæ Christi c. 81. & ipsa Beatissima Virgo ac Mater doloroſissima dilucidè explicarunt: *Hi duo*, inquit, *Nicodemus & Joseph, qui Filium meum deponebant de cruce, tres applicabant scalas, una protendebatur ad pedes, secunda Gisbert Unus pro omnibus.* Revel. S. Birg. lib. 2. c. 2.

subtùs ascellas & ad brachia, tertia ad medietatem corporis, primus ascendit, & tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam, excussit primò unum clavum de uno brachio, deinde applicatâ scalâ excussit clavum alterius manûs: Qui quidem clavus longè ultrà stipitem crucis protendebatur. Descendente igitur illo, qui sustentabat onus corporis paulatim, & modicè prout poterat, ille alius ascendit scalam, quæ tendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus. Cúmque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò, quæ Mater eram, tenui eum per medium, & sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, quæ linteo mundo per me operta erat, in quo obvolvimus corpus; sed non consui linteum, sciebam enim pro certo, quòd non putresceret in tumulo.

Jo. 19. 41. Voluit autem Christus Dominus sepeliri in horto: *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat; ibi ergo posuerunt JEsum.* Et cur in horto? Observa: In horto prævaricatus est Adam, & genus humanum per peccatum perdidit, in horto Adam Secundus, Christus Dominus passionem inchoavit, & finivit, *ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.*

Jo. 12. 32. 3. Prædixerat Christus in vita: *Ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Exaltatus est in cruce, & in ea mortuus, ubi traxit Patrem, qui venit, ut in manus suas dilectissimi Filii sui spiritum reciperet. Traxit Angelos, qui sicut in nativitate Christi læti canebant: Isa. 33. 7. *Gloria in excelsis Deo*, ita in ejus morte ac funere *amarè flebant.* Traxit cœlum, quod lugubri velo cum Sole & luna ac cæteris astris obnubilatum est. Traxit inferos, quia multi post ejus obitum resurgebant. Traxit Justos, & inter hos quàm maximè Josephum ab Arimathæa, qui & ipse erat exspectans regnum Dei, & Nicodemum discipulum ejus occultum, qui nunc excussâ omni formidine, & contemptu humano respectu audaciores facti, ad eximium hoc charitatis officium advolarunt, & JEsum de cruce non dubitarunt deponere, atque è brachiis crucis ad Virginis ac Matris dolorosissimæ brachia transferre: *Acceperunt corpus JEsu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est* Jo. 19. 40. *Judæis sepelire.* Ecce qui in nativitate sua non habuit diversorium, in morte non habuit proprium sepulchrum. Pauper ubique ditissimus JESUS.

4. Universam mundi fabricam incepit DEus die Dominico, & complevit eam feriâ sextâ, die autem septimo quievit: *Complevitque* Gen 2. 2. *Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit de septimo ab universo opere quod patrarat.* Christus Salvator mundi die Dominico in recreatione mundi civitatem Jerusalem passurus ingressus est. Secundo & tertio die mitissimus Agnus juges pertulit insidias. Quarto à perfido disci-

discipulo venditus est. Quinto hæreditatem corporis & sanguinis sui instituit & nobis delegavit. Sexto in cruce moriendo opus nostræ redemptionis complevit. Septimo in sepulchro requievit; ita S. Bernardinus: *Sic & Christus in cruce sexta die opera sua recreationis perfecit, & requievit Sabbatho in sepulchro.* En lectulum Salomonis, per quem S. Drogo sepulchrum Christi intelligit, de quo jam pridem vaticinatus est Isaias: *Et erit sepulchrum ejus gloriosum.* Verè gloriosum licet in media barbariæ situm, ad quod destruendum Judæi Turcarum Tyranno sub annum 1600. summam 500. Millium aureorum obtulerunt, quod tamen adhuc integrum in viva petra excisum in solatium omnium Christianorum perseverat, & usque ad finem mundi perseverabit, quia Dominus est custos illius.

S. Bernard. p. 2. a. 1.

Isa. 11. 10.

5. De Tabitha, seu Dorcade matrona honestissima & pauperum patrona narrat S. Lucas, quòd, cùm piissimè in Domino obiisset, corpus illius exanime honestæ fœminæ sollicitè curaverint: *Quam cùm lavissent, posuerunt eam in cænaculo &c.* Simile officium, prout tunc moris erat, Christo defuncto, ac de cruce deposito non defuit, quem dolorosissima Mater in gremio suo repositum amarissimis deploravit, ac lavit lacrymis, Josephus verò & Nicodemus juxta mentem S. Chrysostomi & Epiphanii non tantùm abluebant, sed & concretos Sanguinis grumos ex ablutione collectos sibi pro thesauro reservarunt, & exinde aromata & unguenta applicabant, ac munda sindone, fasciisque ligatum sepulchro inferebant. Expende in hoc facto magnam illam venerationem, quâ bini illi discipuli exanime corpus JEsu tractarunt, dum illud ungebant, ligabant, involvebant, ac propriis humeris feretro impositum, ad sepulchrum novum, quod Joseph in horto propinquo ex petra exciderat, deportarunt, quos secuti, & comitati sunt Angeli innumeri, de cœlo à Patre æterno ad honorandum illud sacratissimum funus demissi, & dolorosissima Virgo cum Joanne ac mulieribus, Christo crucifixo fideliter assistentibus. Disce quo sensu tu inungere debeas sanctissimum Christi corpus, cùm illud in SS. Eucharistia accipis, quoties enim illud sumis, sepelis de novo in corde tuo Christum JEsum & hunc crucifixum, ô utinam semper bene!

Act. 9. 36.

6. Moyses servus Dei cùm ascendisset montem Nebo, & ibidem considerasset de longè Chananæam, terram illam desiderabilem ac populo electo promissam, jubente Domino mortuus est. *Et non cognovit homo sepulchrum ejus usque in præsentem diem.* Et quare sepulchrum Moysis tantoperè occultatum, & econtrà sepulchrum Christi crucifixi omnibus manifestatum? Respondetur Ne Hebræi corpus ejus, utpote ducis ac legislatoris sui, velut Numen colerent, quia adhuc mortuus

Deut. 34. 6.

splendorem ac decorem, quem antea habuit, conservavit; erant enim tunc Judæi ad idololatriam valde proclives, ideò à S. Michaele, licèt ringente diabolo, occultè sepultus est.

Christus DEus & Homo, ubi pro homine mortuus est in cruce, publicum in horto sibi elegit sepulchrum, quia non erat hìc periculum alicujus idolomaniæ, idcircò Angelis dictum est: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et quid nos facimus, qui illius sanguine redempti sumus? Honorat Sacrum illud sepulchrum ipse DEus, quod per tot sæcula in tot bellis & eversionibus civitatis Hierosolymæ tam mirandum in modum conservavit illæsum. Honorat illud universa Ecclesia Catholica, quæ singulis annis ad memoriam & repræsentationem hujus Sancti Sepulchri in templis Mausolæa solet erigere, ut Christiani in illo luctuoso triduo mortis Domini suam possint exserere devotionem ac pietatem: *Sepulchrum Christi*, ait S. Bernardus, *inter loca devotionis tenet principatum.* Imitemur proinde Majores nostros, qui sepulchris benefactorum suorum figuram cordis solebant insculpere; hoc & nos faciamus, assiduâ & gratâ memoriâ in corde recolentes Christum JEsum & hunc crucifixum, mortuum ac sepultum.

Hebr. 1. 6.

S. Bern. ser. ad Milites templi. c. 11.

CONSIDERATIO CVIII.

Cur Christus per viros Nobiles, Josephum ab Arimathæa, & Nicodemum principem de cruce deponi, ac sepeliri voluerit?

Venit Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, & audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JESU. Marc. 15. 43.

I.

UBi viator ille Jeruchuntinus à latronibus despoliatus, multisque horrendis vulneribus saucius in via derelictus est, pertransiit quidem Sacerdos, sed horrore plagarum vulnerati illius ac moribundi perculsus retrorsum abiit, & in contra-

riam

riam partem iter suum reflexit. Similiter & Levita, cùm esset secùs viam, videns tam miserabilem hominem in proprio sanguine natantem pertransiit. Venit & Samaritanus homo dives ac nobilis, & videns eum misericordiâ motus est, descendénsque de jumento *alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34.

En perelegantem typum in Christo JEsu viatore, à Jericho in Jerusalem descendente, adimpletum. Incidit hic pariter in latrones, pessimos Judæos, qui non tantùm despoliaverunt eum, sed & impositis plagis abierunt semivivo, imò & mortuo in cruce derelicto: *Prætereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.* Non sic Joseph ab Arimathæa nobilis decurio, non sic, non enim præteribat, ut Sacerdos & Levitæ, quando Christum Dominum in trabali ligno suspensum, vulneratum ac mortuum conspicatus est, sed misericordiâ motus, animante eum Deo, & hortante B. Virgine, *introivit audacter ad Pilatum, & petiit corpus JEsu*, quòd & feliciter impetravit. Matth. 27. 39.

2. Observa hìc mirandam Dei omnipotentis providentiam: Unum Joseph de Regia Davidis stirpe oriundum, adeoque hominem nobilissimum elegit, cùm Filius unigenitus intraret in mundum, alterum Joseph pariter nobilem sibi reservavit, cùm per passionem & crucem exiret de hoc mundo; hic, inquam, audacter & sepositio omni metu ac respectu humano ad Romanum Præsidum ingressus petiit, & impetravit corpus JEsu crucifixi. Quid si pauper fuisset ille Joseph de Rama ac homo ignobilis, an aliquid à Gentili Judice impetrasset? R. Minimè gentium, ita S. Hieronymus: *Quia pauper*, ait, *non fuisset ausus ad Pilatum præsidem Romanum accedere, & crucifixi corpus impetrare.* Voluit proinde DEus habere hominem divitem, nobilem ac magnæ auctoritatis virum, decurionem ac senatorem Hierosolymitanum, qui ultimum hoc obsequii genus dilectissimo Filio suo impenderet. Ecce quid Nobiles possint facere pro honore crucifixi JEsu, si velint. Priùs elegit sibi Christus pauperes piscatores: sed post mortem divites, Josephum & Nicodemum, viros pecuniosos atque summates, ut discant Illustres omnes & opulenti, quomodo & ipsi per angustam portam possint intrare in regnum cœlorum, hoc est per SS. Vulnera JEsu. S. Hieronym. apud Cornelii. hìc.

3. Videamus nunc modum, quomodo isti proceres, animis jam post tantum luctum revocatis, & penitissimè unitis, Christi corpus de ligno crucis deposuerint: *Cùmque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento*, quod factum est erecta cruce. Interim B. Virginem ac Matrem dolorosam in hunc modum ad S. Birgittam loquentem audiamus: *Hi duo, Nicode-* Act. 13. 29.

Lib. 2. Revelationum cap. 21.

mus & Joseph, qui Filium meum deponebant de cruce, tres applicabant scalas, una protendebatur ad pedes, secunda subtus ascellas & ad brachia, tertia ad medietatem corporis, primus ascendit, & tenebat eum per medium, secundus ascendens per aliam scalam excussit primò unum clavum de uno brachio, deinde applicatâ scalâ excussit clavum alterius manus; qui quidem clavi longè ultra stipitem crucis protendebantur. Descendente igitur illo qui sustentabat onus corporis paulatim, & modicè, prout poterat, ille alius ascendit sculam qua tendebatur ad pedes, & excussit clavos de pedibus. Cùmque appropinquaret ad terram, unus eorum tenuit corpus per caput, alius per pedes, ego verò qua Mater eram, tenui eum per medium, & sic nos tres portavimus eum ad quandam petram, qua linteo mundo per me operta erat, in quo obvolvimus corpus &c. Hæc dolorosissima Crucifixi Mater. Vide ex hoc, & considera quàm rarum sit hoc exemplum illustrium ac dignitate præcellentium virorum, dum ipsi patibulum crucis ascendere, & cadaver tam miserabiliter cruentatum non horruerunt deponere, & è brachiis crucis ad B. Virginis brachia transferre. Ah! ubi amor noster est erga crucifixum JEsum? Verè ipse Amor non amatur, non æstimatur: Omnes quærunt quæ sua sunt, & pauci quæ sunt JEsu Christi.

4. David, ubi Dei monitu migravit in Hebron, in quo loco à tribu Juda in Regem inunctus est, summoperè commendavit, ac laudavit cives Jabes Galaad, quòd sepelissent Saulem Regem interfectum, cujus corpus in muro Bethsan vel catenâ, vel in stipite suspensum, ut ad omnibus prætereuntibus spectari posset, deposuerunt, & honesto sepulchro mandarunt, in quem finem ad prædictos viros amandavit nuntios, eisque indicari jussit: *Benedicti vos Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum: Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem: Sed & ego reddam gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud.*

2 Reg. 2. 5.

O glorioſissimi ac fortissimi viri, Joseph ab Arimathæa, & Princeps Judæorum Nicodeme! hoc longè meliori jure de vobis dicere possumus, quia vobis obstricta est omnis mortalitas humana, ac præsertim omnes Christiani: Benedicti ergo vos Domino, qui feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro, imò Domino universorum, & sepeliſtis eum: Et nunc quidem retribuit vobis Dominus misericordiam & veritatem: Sed & B. Virgo ac Mater Crucifixi reddit vobis gratiam, eò quòd feciſtis verbum istud, & patibulatum corpus JEsu aromatibus conditum, ac munda sindone involutum sepulchro, in petra viva excisò, mandastis. O viri prænobiles immortali laude digniſsimi. Ecce hæc est vera *Nobilitas morum, qua magis ornat quàm genitorum.* Et tales elegit Dominus,

5. Et

5. Et quia tantorum virorum fecimus mentionem, juvat, ut & illorum vitam ac rerum exitum breviter perstingamus. De Joseph refert Mallonius: quòd post glorioſam Christi in cœlum ascensionem ab Apostolis missus sit ad prædicandum Judæis Evangelium, ubi multas pro Christo sustinuit persecutiones, atque inter cæteras etiam venenum pro Christi fide bibere compulsus sit, ex quo tamen nihil triste tulit; Proinde navi sine velis & remis cum Lazaro, Martha, Magdalena & Maximino impositus, Deo remige Massiliam appulit, & paulò pòst oblata occasione in Angliam navigavit, ubi constanter Christum crucifixum prædicavit, ac tandem piissima morte defunctus est; unde ab Anglis quasi Angliæ Apostolus honoratur, cujus dies festus 17. Mensis Martii ab Ecclesia in Romano Martyrologio celebratur: *Hierosolymis Sancti Joſephi ab Arimathæa nobilis decurionis, discipuli Domini, qui ejus corpus de cruce depositum in monumento suo novo sepelivit.* O virum & Nobilem egregium! Mallon. de S. Sind. c. 1. Cornel. in Matth. 27. 58.

6. Nicodemus Pharisæorum Princeps, qui Josepho in hoc sublimi pietatis officio in sepeliendo Christo comes fuit, de nocte ad JEsum venit, à quo mirè edoctus recessit in lumine, qui advenerat in tenebris. Hic ob exhibitum Christo honorem à Judæis raptus: carcereque mancipatus, horribiles ab ipsis passus est persecutiones, cognoscentes enim Judæi illum esse Christianum, amoverunt eum à principatu suo, ait Lucianus in epistola de inventione corporis S. Stephani, & anathematizaverunt eum, & de civitate exulaverunt, quem Gamaliel ob Christi amorem in domum suam suscepit, vestivit, nutrivit, & tandem piissimè defunctum honorificè juxta S. Stephanum Protomartyrem sepelivit. Unde & Nicodemus in Martyrologio Romano Sanctis adscriptus est cum S. Stephano die 3. Augusti. Refert Mallonius & alii, quòd dictus S. Nicodemus post glorioſam Christi resurrectionem linteamina & reliqua passionis Dominicæ instrumenta summâ cum diligentiâ collegerit, atque ob ingenii magnitudinem, quâ pollebat, pientissimi Redemptoris nostri imaginem suis ipse manibus ex cedro formaverit, in quâ ille, qui Christum de cruce refixit, quatuor clavos addidit, in cujus medio Christi Sanguinem, aliáque memoranda Passionis instrumenta collocavit. Asservatur, & religiosè colitur hæc thaumaturga Crucifixi imago Lucæ in Hetruria, cujus nuditatem vestis pretioſa defendit. Mallon. de S. Sind. c. 1.

Habet hìc Nobilitas humana præclarum exemplum, quomodo æstimare & amare debeat Crucifixum Dominum. Certè Constantinus Magnus Imp. ubi hoc salutare crucis signum in aëre radiare conspicatus est, cum hoc lemmate? *In hoc signo vinces*, mox ordinavit, ut omnis Paulæus in Stauroph. fol. 414.

omnis exercitus Crucifixum Dominum genuflectens adoraret, ubi & 50. Milites fortissimos elegit, qui in pugna vexillum Crucis cæteris præferrent cohortibus, qui 50. Vexilliferi in Ecclesia militantes Ordinem militarem sub Constantino M. supremo illius Magistro instituerunt. En originem veræ & Christianæ Nobilitatis à Signo Sanctæ crucis. Sequere.

CONSIDERATIO CIX.

Contra carnis tentationes nullum efficacius remedium, quàm fuga ad crucifixum JEsum.

Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Galat. 5. 24.

1.

Esther. 7. 6. SEdet Aman in regali convivio, nihil mali vel siniştri cogitans, postulat interim Esther sibi & Judæis vitam, Amanum verò apud Regem solemniter accusat: *Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman.* Quid Rex? sine mora jubet, ut in patibulo, quod priùs ille Mardochæo paraverat, suspendatur: *Appendite eum in eo.*

S. Ant. Pad. Ser. 6. in cap. jejunii. S. Antonius Paduanus per Aman carnem nostram intelligit, verè *hostis & inimicus noster pessimus*, & quò magis illi blandiris, eò magis tibi fiet rebellis, & si foveatur, ampliùs lædit. Aman, prout dictum est, suspensus est in patibulo non in domo sua, sed in porta urbis Susorum ad majorem ejus ignominiam; Et si P. Gretsero credimus, ferreis clavis cruci affixus est. Ita & tu, ô homo Christiane! carnem tuam toties tibi rebellem debes suspendere in cruce Christi clavis contritionis, timoris & amoris Dei: *Confige timore tuo carnes meas.* Unde rectè Apostolus: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Collige ex hoc, an tu sis Christi?

Gretser. lib. 1. de cruce, cap 19.

Psal. 18. 120. Gal. 5. 24.

3. Ubi Veritas Christus ac Redemptor noster cum iniquis in cruce reputatus est, ut nos ex iniquis justos faceret ac sanctos; Observat Scriptu-

Scriptura: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris*, latronum enim ordinarium erat supplicium crux, inter quos tanquam choragus & princeps pendebat medius JEsus Dei Filius. Sed adverte ingens discrimen: unus pœnitens salvatus est, & alter impœnitens æternùm reprobatus. Ingens hic latet mysterium, de quo S. Augustinus: *Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit, in medio enim judice constituto; unus qui credidit, liberatus, alius qui insultavit, damnatus est: jam significabat quod facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dexteram, alios verò ad sinistram.* Matth. 27. 38. S. Aug. tr. 31. in Joan.

Sed & alia ratio hìc subest, quam assignat Hugo Cardinalis: *Latro sinister*, inquit, *est mundus, qui Christo crucifixo, id est, membris ejus crucem portantibus, insultare non cessat. Latro dexter caro est, cui spiritus crucifixus, cum ea compatiendo, id est, consolando, salutem promittit, dicens: Hodie mecum eris in paradiso, id est, citò transibit passio tua, & pro ea aternaliter remunerabéris in cœlo.* Eja anime mi! Crucifigamus nunc latronem istum, hoc est, carnem nostram cum omnibus vitiis ac concupiscentiis, ut in mortis agone pariter à Crucifixo Domino audire mereamur: *Hodie mecum eris in paradiso.* Transeo ad alia. Hugo Card. in Marcum 15. 27.

3. Mandavit quondam DEus, ut sanguis Agni Paschalis in qualibet domo Hebræorum super januas & limina earum aspergeretur, ex cujus aspectu Angelus exterminator & percussor pertransiit, non nocens domûs incolis: *Videbo sanguinem & transibo, nec erit in vobis plaga disperdens.* Ad quid, obsecro, hoc signum? Adverte mysterium: Sanguis illius occisi Agni elegantissima erat figura Agni illius immaculati in cruce pro salute nostra occisi, & immolati. Si igitur venerit dæmon meridianus, si pertransierit Asmodæus exterminator, tentans te in carne infirma ad libidinem, & tuum exspectans consensum, citò aspice, & contemplare crucifixum JEsum, & cruenta ejus SS. Vulnera, & pertransibit innoxius, neque erit in te plaga disperdens. Si mihi non vis credere, Divo Augustino fidem adhibe: *Cùm me pulsat*, inquit, *aliqua turpis cogitatio, recurro ad Vulnera Christi: Cùm me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione Vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm Vulnera Christi, in illis dormio securus, & requiesco intrepidus,* O quale solatium Vulnera JEsu! Exod. 12. 13. S. August. in Manual. c. 12.

4. Homorrhoissa illa, quæ duodecim annis continuum & acerbum patiebatur sanguinis fluxum nullo medicamine sanabilem; Tandem ad Christum venit, dicens intra se, *quia si vel vestimentum ejus* Marc. 5. 28.

tetigero, salvaero. Tetigit, & sanata est: *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus.* Felix mulier, quam & Dominus paventem & furtim irruentem consolatus est: *Filia fides tua te salvam fecit, vade in pace.* Cæterùm S. Doctor Angelicus hunc Scripturæ locum ita exponit: *Patitur fluxum sanguinis propter fluxum carnalium delectationum.* Hunc fluxum si quis habet, non desperet, sed vadat cum dicta muliere ad Crucifixum JEsum, & in SS. Vulneribus ejus inveniet potentissimum remedium. Juvat hìc audire S. Antonium Paduanum: *Vestimentum Christi*, inquit, *ipsius est caro, de qua Isaias c. 63. Quare rubrum est indumentum tuum? JEsus torcular, id est, pressuram crucis solus sustinuit, in quo vestimentum sanguine rubricavit, hujus vestimenti fimbria est ipsa passio, quæ animam liberat à sanguinis profluvio, contra enim carnis vitia summè valet memoria Passionis Christi.*

S. Th. Aquin. hìc.

Anton. Pad. Dom. 24. post Pen.

5. Tobiæ Senioris oculos, stercore hierundinis obcæcatos, amarissimum fel illuminavit: *Tunc fumens Tobias de felle piscis linivit oculos patris sui, statimque visum recepit.* Omnis peccator, præsertim libidinosus cæcus est; quid consilii? fel ipsi applica: *Hoc fel*, ait Hugo Cardinalis, *est Passionis Christi amaritudo*, hanc si in memoriam seriò revocabis, & Crucifixi Amoris tui dolores ac Vulnera attentiore mente considerabis, facilè carnis motus & tentationum superabis insultus. Ita Mellifluus Bernardus: *Quoties te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te*; Unde dicere solebat: *Deus meus pendes in patibulo, & ego voluptati operam dabo?* Absit hoc à me! sed vivat in me JESUS & hic Crucifixus, & quis me separabit à charitate illius?

Tob. 11. 13.

Hugo in Tob.

S. Bern. de inter. Dom. c. 38.

6. Job gravissimos insultus non timuit, imò neque diabolum cum flagello ad se accedentem, se ut leo in omni tentatione & tribulatione fortis stetit. Verùm cùm aliquando speciosam conspicatus est Virginem, absque mora aufugit, & discessit, unde dixit: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.* Et quare hoc virpientissime? Ipse rationem subdat: *Quam enim partem*, inquit, *haberet in me Deus, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Id est: Quomodo mihi suâ gratiâ & favore, quasi filio & hæredi adesse vellet DEus, si statum meum non servarem? Absit hoc à me, quia soli casti sunt filii & hæredes Dei, impuri autem sunt inferni mancipia, & longè à Deo alienati, proinde nolo ne quidem virginem curiosò intueri aspectu: *Mors enim ascendit per fenestras.*

Job. 31. 1.

Jerem. 9. 21.

Discè à Job, quàm periculosum sit sesè alteri immiscere sexui, & sæpiùs familiariùs cum illo agere; *De vestimentis enim procedit tinea, &*

Eccli. 42. 13.

à mu-

à muliere iniquit as viri. Adam à muliere deceptus est; Samson per Dalilam traditus; David à Bethsabea devictus; Sisara à Jahel occisus; Salomon per mulieres alienigenas seductus; Mitto millenos alios; proinde rectè S. Augustinus: *Apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.*

Sed quò fugiendum est, Magne Ecclesiæ Doctor? R. Ad crucem, in cruce enim tota salus & vita nostra consistit: *Nullum*, ait, *tam potens est, tam efficax contra ardorem libidinis medicamentum, quàm mors Redemptoris nostri.* S. August. in Manual. c. 23.

7. Job, prout dictum est, à facie formosæ virginis oculos avertit; ego autem tibi suadeo, anime mi, ut oculos convertas ad Virginem & dolorosissimam Matrem stantem sub cruce dilectissimi Filii sui; hanc si devotè invocaveris, aderit tibi in omni tentatione, ut cum proventu possis sustinere & superare: *Ad pedem crucis*, ait, Nierembergius, *accepit nos Maria in filios: ibi peperit nos, non ex utero, sed ex corde. Ecce filius tuus est quisque fidelis.* Si ergo filius, cur non fugis ad Matrem? Nieremberg. l. 2. de Ador. c. 1.

Refert Cæsarius de bono Religioso, cui accidit, quòd quondam Sancto Paulo stimulis carnis agitato, ad Paulum Christus dixit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur*; ita & huic Religioso, cui Sathan per similes tentationes parabat interitum, omninò benignum se exhibuit, dum eum orantem in cruce pendens amplexatus est, & tanquam præcordialem sibi in signum mutuæ familiaritatis illum ad pectus suum attrahendo strinxit, tentationésque illius validissimas stringendo compescuit. Ecce quid sit fugere in tentatione ad Crucifixum JESUM. Manss. to. 2. tr. 59. disc. 10. n. 7.

CONSIDERATIO CX.

In honorem Christi patientis & crucifixi ab Ecclesia septem horæ Canonicæ sunt institutæ.

Septies in die laudem dixi tibi. Psal. 118. 164.

1.

MIranda ac planè jucunda erat illa victoria, quam olim Israelitæ sine sanguine, solo cantu in expugnatione Jericho obtinuerunt. Præcedebant arcam Domini septem Sacerdotes septem inflantes buccinas, quos vulgus reliquum sequebatur; die septimo & septimo circuitu, cùm Sacerdotes clangerent buccinis, & omnis populus vociferaretur, sine balistis, sine arietibus *muri illicò corruerunt, & ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat, ceperúntque civitatem.* Josue 6. 20.

Le Blanc illustris Psalmorum Interpres comparat Venerabilem Clerum, septem horas Canonicas devotè recitantem, cum dictis septem Sacerdotibus, septem buccinas coram arca Dei inflantibus, & cum populo Israel, oratione Jericho, hoc est civitatem diaboli, evertentibus. Audiamus plura de hac utilissima & necessaria materia. Le Blanc in Psal. 118.

3. Quæres, cur in Ecclesia Dei septem horæ Canonicæ sint institutæ? Respondetur primò, quia septenarius numerus est mysticus & Deo consecratus, significátque plenitudinem & universitatem, prout observat S. Augustinus, sex enim diebus complevit DEus opus suum in creatione totius universi, septimo verò ab eo quievit: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum, complevítque Deus die septimo opus suum quod fecerat: Et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.* Gen. 2. 1. Secundò quia justus dicitur, quòd septies cadere soleat in die: *Septies enim cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum*; Prov. 24. 6. Ideò ordinatæ septem horæ Canonicæ fuerunt, ut citò à veniali errore suo resurgat, justus, & non omninò cum impiis corruat in malum; & quia

quia serpens antiquus septem solet spiritus nequiores se in nostram assumere & mittere perniciem, idcircò Ecclesia Dei septies de die naturali solet divinam invocare & inclamare opem, ut septiformis Spiritûs sancti gratia nobis inter tot pericula & tentationes assistat. Tertiò & principaliter Ecclesia septem horas Canonicas instituit, ut per eas septem passionis Dominicæ mysteria quotidie gratâ mente recoleremus, sunt autem ista: Luc. 11. 26.

Matutina ligat Christum, qui crimina solvit;
Prima replet sputis, causam dat *Tertia* mortis;
Sexta cruci nectit, pectus sed *Nona* bipertit:
Vespera deponit, tumulo *Completa* reponit.

3. Et quid obsecro, melius ac magis salutiferum, quàm quotidie septies in Breviario & Officio Romano recolere patientem & crucifixum JEsum? Septies ex consilio Eliśei Naaman, princeps quidem dives sed turpi leprâ infectus, se lavit in Jordanis flumine: *Descendit & lavit in Jordane septies juxta sermonem viri Dei, & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli, & mundatus est.* Fac similiter, devoto & contrito animo orando Breviarium, lava te septies quotidie in sanguine Agni, & ab occulta lepra tua mundaberis. 4. Reg. 5. 14.

Puer ille & filius Sunamitidis, qui ex capitis dolore mortuus est, oscitavit septies, dum ab Eliśeo Propheta ad novam vitam resuscitatus est: *At ille reversus, deambulavit in domo, semel huc atque illuc: Et ascendit, & incubuit super eum: Et oscitavit puer septies, aperuitque oculos.* Si mortuus es in peccatis tuis, anime mi, & hactenus horas Canonicas negligenter, vel tepidè, vel omninò non persolvisti: oscita septies de die de novo, dicendo priùs ante divinum officium consuetam Ecclesiæ orationem: *Aperi Domine os meum ad benedicendum nomen sanctum tuum &c.* Et per gratiam Dei ad novam resuscitaberis vitam. 4. Reg. 4. 35.

Septies olim in lege leprosus mundandus ab infirmitate sua, à Sacerdote sanguine passeris aspersus fuit: *Quo asperget illum, qui mundandus est; septies ut jure purgetur.* Asperge animam tuam & tu ô mi Clerice & Religiose, septies de die Sanguine immaculati & incontaminati Agni, ad cujus honorem septem horæ sunt ordinatæ, & mundaberis ab iniquitate tua, & occulta superbiæ lepra. Levit. 14. 7.

4. Candelabrum illud aureum septem lucens lucernis prope altare thymiamatis in Sancto singulari curâ olim in lege asservatum est; *Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, ut luceant ex adverso.* Tale candelabrum aureum esto & tu, qui ad Officium divinum obligaris, septem lucens lucernis. Exod. 25. 37.

Septem quondam lampades ardentes dilectus ille Christi Discipulus, aperto in cœlo ostio, conspicatus est, ante thronum DEI ardentes,
Apoc. 4. 5. & Viginti quatuor Seniores adorantes & glorificantes DEum: *Et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem spiritus Dei.* Talis lampas ardens esto & tu ô mi Domine Canonice, Domine Paroche! Et Pater ac Frater Religiose, septem tuas quotidie persolvens horas Canonicas:
Matth. 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Imitemur hic prædictos Seniores in cœlo, qui procidebant ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum.

Eccli. 18. 22. 5. Olim præcepit DEus: *Non impediaris orare semper, ut ne verearis usque ad mortem justificari; quoniam merces Dei manet in aternum.* Hoc idem
Luc. 18. 1. mandavit Christus in nova lege: *Oportet semper orare & non deficere*: Et Apostolus suis Thessalonicensibus ac proinde cæteris fidelibus tradidit:
Thessal. 5. 17. *Sine intermissione orate.* Et quis poterit hoc facere? An non nimis hoc videtur rigorosum? R. Glossa: *Semper orat, qui bene agit semper, ipsum enim desiderium bonum oratio est, & si continuum est desiderium, continua est oratio.*
V. Beda in Luc. 18. Venerabilis Beda hoc Ecclesiasticis applicat: *Qui*, inquit, *Canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiastica traditionis psalmodiis, precibúsque consuetis insistit, Dominum laudare, & rogare non desistit, & hoc est, quod Psalmista dicebat: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.*

Ut autem oratio Breviarii sit meritoria, necessariò requiritur attentio, quæ secundùm S. Bonaventuram triplex est. 1. Est *superficialis*
S. Bonav. de perfect. tom. 4. tr. 3. c. 6. §. 2. ad verba, quæ leguntur, ut rectè & integrè proferantur. 2. Est *literalis* ad verborum sensum, quid dicatur in Psalmis & lectionibus. 3. Est *spiritualis*, quâ attenditur ad altiorem eorundem verborum sensum, vel ad præsentiam Dei, vel denique ad necessitatem, cujus causa fit oratio;
Eccli. 18. 23. Proinde prærequiritur præparatio juxta illud Ecclesiastici: *Ante orationem prapara animam tuam: Et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Supra quod dictus D. Bonaventura: *Tunc*, inquit, *orator dicitur tentare Deum, quando absque cordis praparatione currit ad vocalem orationem: talis dicitur non devotus orator, sed verborum latrator.* O quàm multi sunt hic infirmi, & dormiunt multi!

Nadas. in an. divin. amor. c. 31. 6. Transeamus ad historias. S. Catharina Senensis tanto ardore & amore in DEum orabat Breviarium, ut illud ipse pretiosissimus orbis Redemptor Christus sæpiùs cum illa in cubiculo obambulans cum ea recitaverit, & ubi finitis psalmis ventum fuit ad Gloria Patri, Sancta illa solebat dicere: *Gloria Patri, & Tibi & Spiritui sancto.* De eadem S. Virgine quinque SS. Vulneribus Christi crucifixi insignatâ refert Petrus Courcier, quòd B. Virgo & Mater Dei sæpiùs cum illa horas Canonicas recitaverit &c.

S. Gu-

S. Guduvalus Archiepiscopus, cujus memoria 6. Junii agitur, qui mari terminum posuit, extra quem imposterùm non ampliùs exundavit; cùm aliquando horas Canonicas dicere voluit, laudésque Deo ac gratiarum offerre actiones: incipiens prout solent Ecclesiastici: *Deus in adjutorium meum intende*; Angeli, absentibus aliis Clericis, subjungebant: *Domine, ad adjuvandum me festina*; Et sic choro alterno totum expleverunt Officium. Sur. 6. Jun.

De S. Bernardo recensèt Henriquez in vita, quòd aliquando viderit in choro psallentium juxta singulos Monachos stantes Angelos, qui velut Notarii divini singula eorum verba & actiones diligentissimè annotabant in libro; Scribebant autem diverso modo! Quidam scribebant auro, alii argento, nonnulli atramento, aliqui aquâ, quidam autem penitùs nihil annotabant. En diversum orandi modum. O si & nobis tali modo aperirentur oculi, quid viderimus subinde in choris Ecclesiasticorum & Religiosorum? Henriquez in vita cap. 32.

7. Audiamus & pœnas illorum, qui tepidè aut negligenter horas Canonicas persolverunt. De S. Severino Archiepiscopo Colonienſi refert B. Petrus Cardinalis Damiani, quòd post obitum à Christo Judice ad ignes purgantes fuerit adjudicatus, quia intempestivè horarum officia solebat coacervare, & tempore non debito persolvere. B. Petr. Dam. Epist. 15.

Refert Gobat casum terrificum factum non fictum de Monacho in choro negligenter horas cantante, ac tandem præ tepiditate indormiente; ubi imago Crucifixi, enodatis de cruce clavis, ad ipsum descendit, eique gravem alapam infregit, ex qua triduo pòst obdormivit in mortem. Gobat de Sacro. n. 284.

Leopoldus Mancinus recensèt de Sacerdote Religioso, qui nimis præpropere horarias recitare solebat preces, quòd post mortem vifus fit in veru à dæmonibus crudeliter ad ignem torreri. Mancin. de Pass. Chr. pag. 848.

8. Addo plura. Lucas Wadingus commemorat, quòd anno 1220. in domo Oxonienſi acciderit, ut Fratres quidam Completorium, seu ultimam Breviarii horam coram Crucifixi effigie in choro recitarent; interim nescio qua de causa Fratres fuerunt ad incondi-tum provocati risum; Et ecce dum neglectâ loci sanctitate dissolutè riderent, imago Crucifixi terribilem ad Fratres convertit vultum, suam indicans indignationem, simúlque fragor ingens, adinstar tonitrui, auditus est, ex quo signo terrefacti illi Religiosi, ac præcipuè illi, qui in culpa erant, paucos post dies tabescentes, vitam cum morte Luc. Wading tom. 1. Annal. ad an. 1220. n. 64.

Eccl. 5. 5. morte commutarunt. En DEus non illuditur, neque irridetur: *Altissimus enim est patiens redditor*; O quàm terribilem vultum tibi aliquando in tuo mortis agone ostendet, ô Clerice! ô Religiose! Si hîc negligens & tepidus fueris: Maledictus ille, qui facit opus Dei negligenter, econtrà benedictus ille, qui facit opus Dei diligenter. Fac hoc, & vives.

CONSIDERATIO CXI.

Crucifixus verus Pelicanus amoris, qui in sanguine suo nos vivificavit.

Similis factus sum Pelicano solitudinis. Psal. 101. 7.

I.

Psal. 101. 7. DAvid, ut mœrorem suum exprimeret, quem ob admissum peccatum & offensum DEum in animo conceperat, se Pelicano solitudinis, qui hominum, aliorúmque animantium solet evitare consortia, assimilare non dubitavit: *Similis*, inquit, *factus sum Pelicano solitudinis.* Voluit per hoc David in amaritudine animæ suæ demonstrare rerum terrenarum omnium fastidium, & desiderium ab aula fugiendi in solitudinem ad deploranda sua delicta, & ad DEO unicè vacandum; & hic illorum verborum sensus litteralis est.

SS. Aug. Hieron. Gregor. Epiphan. Petr. Dam. & alii &c. Sed altiùs erige animum. Per Pelicanum communiter SS. Patres Christum JEsum & hunc crucifixum subaudiunt. De Pelicano refert S. Hieronymus, Cassiodorus & alii quàm plurimi, quòd sit avis in Ægypto in Nili solitudinibus juxta aquarum fluenta commorans, ciconiis corporis granditate non absimilis, qui naturali macie semper affectus est, non gregatim volans, sed delectatione se consolatur solitariâ; unde rursùs David: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Non poterat quidem bonus Rex inter tot regni occupationes & negotia habitare in deserto; sed elegit sibi subinde cordis solitudinem, ut liberiùs cum DEO ageret; unde de illo S. Gregorius:

Psal. 54 8.

S. Gregor. in Pl. 6. pœnit. *Neque Rex potentissimus, qui tot millibus populorum praerat, in solitudine habi-*

habitabat; habitabat autem in solitudine cordis sui, in qua nullos hostium spiritualium impetus, nullos perversarum cogitationum strepitus, nullos patetetur clamoris iniqui tumultus. Hoc & Christus Filius David fecit, amans solitudinem, ùt Pelicanus, & secedens in desertum, ut ibidem jejunaret, oraret, & solus in meditationibus DEO vacaret. Matth. 4. 1.

2. Pelicanus præ cæteris omnibus volucribus amans est suæ prolis, & si aliunde cibus non suppetit, esculenta de stomacho suo eructat, quibus Pullos in vita conservat; pro quibus & mortem & ignem patitur, dum enim in fossa humo ova sua collocare assolet, venatores, ubi locum notarunt, illic ignem subjiciunt, quod videns Pelicanus periculum celeriter advolat, & dum pennis suis accensum ignem conatur extinguere, magis illum pennarum agitatione accendit: Sic combustis alis facilè venatoribus in prædam cedit; proinde rectè illi pro lemmate adscribes: *Amanti nihil difficile.* En genuinum typum pientissimi Redemptoris tui, divini illius Pelicani, pullos suos propriâ carne & sanguine in SS. Eucharistia pascentis, & præ nimio amore se ipsum in mortem tradentis: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum &c.* Rom. 8. 32.

3. Pelicanus præ nimio amore in prolem pectus suum rostro proprio lancinare & aperire solet, ut pullos suos veneno serpentis enectos suo sanguine erumpente de novo excitet & vivificet, unde iterum lemma: *Mortuos vivificat*, vel si mavis: *Ut vitam habeant.* Ita amantissimus Redemptor noster Christus, utpote verus Pelicanus amoris in cruce sacratissimum suum pectus, imò omnes corporis sui venas & poros reserari sibi voluit, ut nos per peccati venenum interfectos, & ab infernali serpente suffocatos non tam à morte resuscitaret, quàm & proprio cruore, ex perforato suo latere & sacris vulneribus profluente, in vitam meliorem & æternam enutriret. Ita Apostolus: *Propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo &c.* Ecce quomodo huic divino amanti nihil fuit difficile, quod non pro nostra salute sustineret, quia *Verus amor nullum novit habere modum.* Ephes. 2. 4.

4. De Pelicani filiis recenset Bartholomæus Anglicus, quòd in parentes suos magnam exerceant ingratitudinem, nam dum paulatim alibò avolare possunt, sibique parare escam, non solùm suorum parentum vivunt immemores, sed & turpiter eos deserunt, ac contemnunt, uno tamen illorum excepto, qui in nido pectori patris vel matris proximus semper adhæsit, hic solus usque ad mortem parentum fidelis & gratus permanet, illos in senectute adjuvando, enutriendo & in omni necessitate pro viribus succurrendo. Ah quoties & Barthol. Ang. lib. 12.

nos ingratos erga ſummum benefactorem noſtrum crucifixum JEſum
Iſa. 53. 5. demonſtramus, cujus tamen livore ſanati ſumus? *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Audi anima peccatrix, quid in utramque tibi aurem inclamet pretioſiſſimus Redemptor tuus:

En homo, qua pro te patior tormenta Redemptor!
Et potes Autoris non meminiſſe tui?

Audi & talem Poëtam, inſignem crucis amatorem, quàm devotè ac piè de noſtro crucifixo Amore ſcribere & cantare ſoleat:

Pende il Figliol di Dio col capo chino,
Pende ſu l' legno con le braccia aperte,
E tutto il mondo à lui non ſi converte?
Piangete ò figli, e battetevi il fronte,
Copritevi di veſti oſcure & adre,
E morto, è morto il voſtro caro Padre.
Poveri, infermi, vedove e pupilli
Chi vi darà ſalute, over conforto,
Se chi di voi prendea la cura, è morto?
E tu mia peccatrice Alma, che fai?
Se vedi in croce il tuo Signor eſſangue,
Come non ſpargi lagrime di ſangue?

5. Venit hìc mihi in mentem Clemens XI. Pontifex Maximus, qui pro moderno temporis intervallo S. Petri claves tenet, qui nonnemo hoc egregium Emblema fecit; juſſit is pingi Pelicanum pullos ſuos ſanguine proprio irrorantem cum inſcripto: *Aliis, non ſibi Clemens.* Per quod alludebat ad ſummam illius Clementis Undecimi in diverſos clementiam ac beneficentiam, ſui autem ipſius rigorem ac continuam crucis mortificationem. Plus in Chriſto & hoc crucifixo:
Hebr. 4. 15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit condolere infirmitatibus noſtris &c.* Unde in cruce dedit omnia quæ habuit, non primam ſed ultimam Sanguinis ſtillam, ut divinus ille Pelicanus amoris in novam nos re-
S. Petr. Dam. l. 2. ep. 18. generaret creaturam ac vitam; hinc rectè B. Petrus Damianus: *Sapientia Dei*, inquit, *in cruce pendens latus aperuit, ſicque peremptos ad vitam ſacroſancti Sanguinis ſui profluvio revocavit.*

6. De

6. De Pelicano refert ulteriùs S. Gregorius, quòd venenatis vescatur animalibus : *Pelicanus avis est amans solitudinem, in qua venenatis animalibus vescitur.* Christus crucifixus, verus Pelicanus amoris rectè dicitur venenatos comedere serpentes, hoc est ; peccata nostra, quia *posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* S. Gregor. in Psal. pœnit. Isa. 53. 6.

Pelicanus ob mœrorem & mortem pullorum à serpente occisorum cantum edit lugubrem & absonum. Christus in cruce, quia in peccatis nostris mortui eramus, ut nos per passionem & sanguinem suum vivificaret, lugubrem edidit cantum : *Cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Hebr. 5. 7.

De cætero primi Christiani inter tot tyrannorum Gentilium persecutiones plerumque non audebant imaginem Christi crucis trunco affigere vel appingere, sed in summo nudæ crucis apice Pelicanum statuebant pro sanandis & fovendis pullis suis proprium pectus suum rostro sauciantem cum inscripto lemmate : *Pro lege & pro grege.* Pulcherrimum symbolum, quod sibi appropriavit Joannes 2. Lusitaniæ Rex. Et si quondam in veteri lege, prout loquitur Apostolus, *sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificavit ad emundationem carnis ; quantò magis* (ut à fortiori philosophemur ratione) *Sanguis Christi*, divini illius Pelicani, *qui per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad serviendum Deo virenti* ? Dicamus proinde sæpiùs cum D. Thoma Aquinate præsertim dum crucifixum aspicimus : *Pie Pelicane* JESU *Domine, me immundum munda tuo Sanguine, cujus una stilla salvum facere totum mundum quit ab omni scelere.* Hebr. 9. 13.

CONSIDERATIO CXII.

Perpetuum altaris Sacrificium idem est cum Sacrificio aræ crucis in præsentando, & in essendo.

Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis. 1. Cor. 11. 26.

1.

MAlachias Prophetarum ultimus non obscurè prævidit, quòd omnia Sacrificia Aaronica brevì essent abolenda, & loco illarum victimarum legalium Sacrificium crucis & Missæ à Christo substituendum, unde dixit: *Ab ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Est autem hoc SS. Missæ Sacrificium planè idem cum Sacrificio crucis, non solùm in commemorando, & repræsentando, sed etiam in essendo; hinc statuit Sancta Synodus Tridentina: *In hoc*, inquit, *divino Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Malach. 1. 11.

Sess. 22. c. 2.

Ex quo patet, quòd Christus SS. Eucharistiam nobis reliquerit in memoriale passionis ac mortis suæ, ut ex hoc infinitum ejus erga nos amorem agnoscamus: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Unde concludit S. Bernardus hanc immensam omnipotentis Dei erga nos charitatem esse sæpiùs & emphaticè mente versandam: *Adora devotiùs, & recole frequentiùs in Sacramento altaris salutem mundi pro te passam, vitam pro te mortuam, fortitudinem infirmatam: Si membrum Christi es, compatere capiti tuo: Si frater Christi es, commorere fratri tuo &c.* O quàm pauci sunt, qui hoc faciunt.

Jo. 13. 1.

S. Bernard. serm. 1. in cœna Domini.

2. Et nunquid Sacerdos sacrificans in vestitu & habitu Christum repræsentat patientem & crucifixum? *Amictus*, qui primò ejus capiti imponitur, designat velum, quo Judæi faciem ejus tegebant. Secundum Sacerdotis indumentum est *Alba*, seu tunica linea, & designat vestem

vestem albam, in qua Christus ab Herode illusus est. Tertiò *Zona*, quæ Sacerdotalem cingit, & coërcet Albam, præfigurat funes, quibus Dominus captus, & ad lanienam protractus est. Quartò *Manipulus* in brachium Sacerdotis immissus, symbolum vinculorum est, quibus erat ligatus. Quintò *Stola* in collum Sacerdotis injecta repræsentat suave jugum Christi, & catenam, quam impii carnifices collo ejus imposuerunt. Sextò *Casula* purpuram coccineam denotat, quâ post flagellationem, tanquam Rex scenicus indutus est. Septimò Sacerdos coronam in capite gerit, & crucem in casula efformatum, & sic indutus altare, velut Calvariæ montem ascendit, eámque hostiam Deo Patri offert, quam Filius quondam in illo cruento crucis Sacrificio obtulit: *Una*, ait Concilium Trident: *eadémque est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.* Collige ex hoc anime mi, quod docet Sancta Synodus, *Sacrificium istud verè propitiatorium esse*; Et paulò pòst: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* O grande prodigium amoris divini! Accedit quòd in qualibet hostia sit imago Crucifixi, vel SS. Nomen JEsus, vel subinde etiam agnus immaculatus? Sicut enim Christus dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eò quòd mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius in lege veteri mactabantur memoriam: Ita non immeritò eundem appellare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, & in hac nimirum suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec mundus durabit: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Sess. 22. c. 2.

1. Cor. 11. 26.

3. Agnus ille legalis & immaculatus non debebat manducari crudus, sed assus igne: *Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aquâ, sed tantùm assum igni.* Agnus hic, prout alibi diximus, præsignavit Agnum divinum, crucifixum JEsum in SS. Eucharistia realiter existentem: Si communicans ad illum vult accedere, igne charitatis ardeat, necesse est, ne judicium sibi manducet: *Non comedetis ex eo crudum.* Exod. 12. 9.

Ingens ille Botrus uvæ, quem Exploratores in vecte suspensum attulerunt ad castra Israel: *Abscinderunt palmitem cum uva sua, quem portarunt in vecte duo viri*, Christum in cruce suspensum & Eucharisticum præsignavit: *Botrus Cypri Dilectus meus mihi.* Ex quo mystico Botro, in torcular Calvariæ expresso, promanavit pretiosus ille Sanguis, quo in SS. Eucharistiæ Sacramento potamur, & nutrimur. Proinde convenit, ut, quoties ad SS. Eucharistiam accedimus, memores ejus passionis & crucis simus. Pereleganter in hanc rem Honorius: *Ura in* Num. 13. 24. Cant. 1. 14.

Hon. Aug. l. de antiq. miss. c. 33. *pralo duobus lignis expressa, in vinum liquatur : & Christus duobus lignis crucis pressus, sanguis ejus in potum fidelibus fundebatur.*

4. In arca quondam fœderis erat Manna & virga Aaronica: *In*

Hebr. 9. 4. *qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron, quæ fronduerat.* Per Manna juxta mentem ferè omnium SS. Patrum SS. Eucharistia præsignata est, & per virgam Sancta Crux. Si igitur devotè ad SS. Eucharistiam discupis accedere, passionem Domini mente priùs revolve; hoc enim noster præcepit Salvator, dum instituto hoc SS. Sacramento, dixit:

Luc. 22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Elias dormiens in umbra juniperi ab Angelo pane subcinericio

3. Reg. 19. 16. refectus est, in cujus cibi fortitudine ambulavit quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb. Quæres hic, unde huic pani tanta virtus? R. Lyranus: *Comede Sacram Eucharistiam*, cujus hic panis cœlitùs ab Angelo subministratus, pulcherrima figura fuit; spinosa autem juniperus, ait Dionysius Carthusianus, crucem Salvatoris præsignavit. Quid igitur mirum, quòd Elias tantoperè in illa persecutione fuerit confortatus?

5. Booz vir opulentus ad pauperem Ruth, spicas deciduas in

Ruth. 2. 14. agro colligentem, dixisse fertur: *Comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto.* Hic panis intinctus in aceto significavit Eucharistiam sumendam commemorando simul passionem Christi. Hinc S. Augustinus:

S. August. in Psal. 100. *Nos de cruce Domini pascimur, quia corpus ipsius manducamus.* In quem finem olim in Ecclesia Dei fideles communicaturi manus suas in formam crucis super pectus suum componebant, tanquam passionis

Luc. 22. 19. & crucis Christi memores ac participes: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Magno quondam solatio fuit Mulieri illi Sarephtanæ, quòd adhuc in summa annonæ penuria, nunc ad mortam se disponens, habuerit parum farinæ, paululum olei & duo ligna; Unde ad Eliam

3. Reg. 17. 12. Prophetam dixit: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho: En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illum mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.* En præviam & seriam ad mortem nostram dispositionem: Pugillus farinæ, ex qua panis conficitur, in umbra denotavit SS. Eucharistiam; paululum olei Sacram & Extremam unctionem, & duo ligna, juxta mentem Ruperti Abbatis, duo ligna crucis. O felices nos, si his instructi, & verè dispositi à corpore mortis hujus ad meliorem & æternam possimus transire vitam. Vide ex his omnibus, quomodo sacrificium crucis & altaris inter se convenire soleant.

6. Ad

6. Ad historias transeamus. Anno 1408. in Durnensi oppido in diœcesi Herbipolensi sito, Sacerdos quidam negligens faciebat sacrum, & ex celeri hinc inde manuum motu calicem consecratum in subjectum effudit corporale; ubi sine mora species vini divinitùs in sanguinem versæ sunt, & in medio corporalis clarissimè videbatur effigies crucifixi Redemptoris. Serarius apud Raynaldum.

Refert Surius de Sacerdote vitæ dissolutæ, quòd in quadam villa in Anglia solemnia missarum celebraverit; & cùm post Elevationem Sacra Hostia fragenda erat, sanguis protinus emanaverit. Tremefactus Sacerdos vitam mutavit in meliorem. Surius 17. Nov.

Cùm Urbanus IV. Pont. Max. in Viterbiensi moraretur diœcesi, Sacerdos quidam dubitans de reali Christi in SS. Eucharistia præsentia, legendo missam advertit una cum multis circumstantibus, quòd Sanguis ex Sacra Hostia in suppositum copiosè profluueret linteum, seu corporale dictum; quod ubi Summo Pontifici relatum est, dictum corporale divino Sanguine rubicatum in solemni supplicatione deferri jussit; qui ritus etiamnum continuatur, atque quotannis summa cum veneratione per urbis plateas frequenti cum pompa & populi veneratione circumfertur. Le Blanc in Pf. 21. v. 28.

Ex quibus patet, quàm bene inter se conveniant & SS. Eucharistia & Christus Crucifixus. Disce igitur, quicunque tandem es, utrumque humiliter venerari, ut, cùm SS. Missæ Sacrificio assistis, pariter oculos & animum in Christum JEsum & hunc Crucifixum flectas; Et licet te premant peccata, nihilosecius cum magna fiducia ad hanc placabilem aram & gratiæ thronum accede; & experieris, quòd utrumque hoc sacrificium, & cruentum & incruentum sit verè propitiatorium.

CON-

CONSIDERATIO CXIII.

Cur Crucifixus Salvator noster per quinque SS. Vulnera sua mundum deperditum voluerit redimere?

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, & livore ejus sanati sumus. Isa. 53. 5.

1.

Num. 18. 16. QUinque siclis olim DEus voluit, ut omne primogenitum redimeretur: *Cujus redemptio erit post unum mensem siclis argenti quinque.* Ita fecit B. Virgo, ubi primogenitum & unigenitum Filium suum JEsum in templo Deo Patri obtulit, & Sacerdoti præsentavit, à quo iterum eum redemit juxta legis præscriptum *quinque siclis, pondere Sanctuarii.* Supra quod egregiè S. Vincentius Ferrerius: *Voluit quinque siclis redimi, quemadmodùm ipse redempturus erat mundum quinque principalibus plagis.* En primam rationem, cur pientissimus Salvator tuus te, & totum mundum per quinque SS. Vulnera sua redimere voluerit: O pretium inæstimabile!

S. Vinc. Ferr. ser. de Purif.

Gen. 2. 6. Gen. 2. 10. 2. In paradisi medio *ascendebat fons irrigans universam superficiem terræ:* Sed & quatuor exinde oriebantur flumina: *Et fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* Landspergius hom. 54. de Pass. Dom. per illum fontem Sacratissimum latus & Cor JEsu intelligit, & per quatuor flumina quatuor alia pretiosissimi Redemptoris nostri crucifixi Vulnera, manibus ac pedibus ejus inflicta, per quæ universus terrarum orbis redemptus, irrigatus, ac renovatus est.

Can. 2. 1. 3. Sponsus ille divinus, candidus & rubicundus (Candidus propter innocentiam, rubicundus propter SS. Vulnera & profusum omnem sanguinem) se ipsum flori campi comparare non abhorruit? *Ego flos campi.* Observat hic S. Doctor Seraphicus, quòd flos campi quin-

quinque rubicunda gerat folia, & in medio cor ardens, prout sunt rosæ sylvestres, & alii plerique campi flores: Ita inquit, & Christus flos campi quinque sua demonstrat Vulnera ad ægrotarum animarum nostrarum salutem. S. Bonavent. 3. in Resurr. Dom.

Dicitur autem flos campi & non horti, subintrat hic Quaresmius, quia flos campi, quando apertus est, maximè suum diffundit undequaque odorem, quod non façit flos horti: Ita Dominus JEsus in cruce expansus, & monstrans nobis sua SS. 5. Vulnera, odore infinitæ virtutis redolentia, omnes, quicunque ad vitam æternam sunt prædestinati, ad se trahere solet, prout ipse priùs ore proprio prædicere dignatus est: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Et iterum: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahamad me ipsum.* Quaresm. to. 5. c. 10. sect 2. Jo. 8. 28. Jo. 12. 32.

4. David à facie Saulis profugus ad Achimelech Pontificem in Nobe venit, ab eo petens quinque panes propositionis: *Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi.* Quos quinque panes David non tantùm à Sacerdote recepit, sed & illos ad socios suos in loco condicto ipsum expectantes detulit, quare omnes ex bidui itinere fame & inediá laborantes, ex panibus istis sanctificatis refecti sunt. 1. Reg. 21. 3.

Et quid dico? Ipsa Veritas Christus Discipulos suos Sabbato præ fame vellentes spicas, per hoc Davidis exemplum contra murmur Pharisæorum defendit, & excusavit: *Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant; quomodo intravit in domum Dei, & panes propositionis comedit?* Matth. 12. 3.

De aliis quinque panibus refert Scriptura, quibus Christus D. quinque hominum millia abundè satiavit: *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos.* Et quid dices, quinque isti panes in veteri & novo Testamento adumbrarunt? R. S. Bonaventura, per quinque prædictos panes quinque Sacratissima pientissimi Salvatoris nostri Vulnera fuisse allegoricè præsignata: *Nota*, inquit, *quòd hi quinque panes, quinque Vulnera Christi sunt, qui multùm reficiunt animam devotam.* En habes, anime mi, quotidie in SS. Eucharistia hos quinque panes mysticos, quinque videlicet SS. Vulnera JEsu; ô te felicem! si ea sæpius ac meliùs colueris, ac degustaveris. Audi Thomam Kempensem: *In SS. Vulneribus Christi libenter habita: si enim ad vulnera & pretiosa Stigmata JEsu devotè confugeris, magnam in tribulatione consolationem senties.* Jo. 6. 9. S. Bonavent. serm. 3. Dom. 4. Quadr. Thom. Kemp. lib. 2. c. 1. de Imit. Christi.

5. Coacervemus plura de hac utilissima materia argumenta. In omni lege numerus *Quinarius* ad significanda redemptionis nostræ mysteria fuit usurpatus. In lege naturæ & innocentiæ fons unus, ex quo quatuor erumpebant flumina ad terram universam irrigandam. (Prout paulò ante diximus) En quinque fontes, quamvis scaturigine unicus. Gen. 2. 6.

Isa. 19. 18. Jo. 5. 2. In lege scripta erant assignatæ quinque civitates refugii pro delinquentibus. In lege gratiæ celebrantur quinque porticus Piscinæ Probaticæ, in quibus multitudo languentium ob spem salutis corporeæ morabatur. Mitto plures similes figuras, quæ nos admonent, qualem ac quantam fiduciam collocare debeamus in quinque SS. Vulneribus pretiosissimi Redemptoris nostri: *Omnia*, ait S. Ambrosius, *habemus cum Christo crucifixo, & Christus est nobis omnia in Vulneribus suis. Si febribus æstuas, fons est, si gravaris iniquitate, justitia est, si indiges auxilio, virtus est, si mortem times, vita est, si tenebras fugis, lux est, si cibum quæris, alimentum est.* Et quid plura requiris anima Staurophila?

Tausch. f. 6. 98. 6. Transeamus ad Exempla. Beatam Joannam Ludovici Undecimi Galliarum Regis Filiam SS. Virgo & Mater Dolorosa edocuit, ut diebus singulis quinquies Pater & Ave in honorem quinque SS. Vulnerum crucifixi Filii sui devotè recitaret, & eâ mentis intentione ac pietate offerret, quemadmodùm ipsa stans sub cruce dilectissimum Filium suum quinque hiantibus plagis saucium æterno Patri pro salute mundi obtulit. En Lector prudens, habes hìc praxim saluberrimam.

Vita S. Fran. Seraph. Qualis amator fuerit crucifixi JEsu & 5. SS. Vulnerum ejus S. Franciscus Seraphicus, orbi Christiano notum est, qui relictis omnibus ex consilio Evangelico, nudus nudum secutus est Dominum suum; unde meruit binis ante obitum annis in monte Alverno à Seraphico crucifixo quinque Sacrosancta stigmata manibus, pedibus ac cordato lateri impressa recipere.

Vita lib. 3. cap. 14. Venerabilis P. Camillus de Lellis singularis cultor & amator quinque SS. Vulnerum Redemptoris nostri Neapoli anno 1606. à subministro, dum manè dato campanæ signo surgendi à somno per cubilia Patrum diverteret, inventus est in cubili suo in aëra ad tres usque palmos ante devotam crucifixi imaginem elevatus, vultu mirum in modum coruscante, manibus, oculisque in cœlum intentis.

In Menolog. Carmelit. & Bagatt. lib. 2. c. 3. n. 13. 7. S. Albertus ex Ordine Carmelitarum, dum ante piam Christi crucifixi imaginem flexis genibus & devotissimo animo suum recitaret Breviarium ac psalmos consuetos, tanto in Crucifixum vulneratum rapiebatur spiritu, ut trium cubitorum altitudine à terra Angelico elevaretur concursu, atque tam diù in illa permanebat extasi dulcedinis, quamdiu psallebat DEO & Amori suo crucifixo. Finitâ autem oratione, suaviter demittebatur in terram. O si & nunc Sacerdotes Dei & Religiosi animo tam devoto suas recitarent horas Canonicas! Ignosce Domine fragilitati meæ, agnosco culpam meam, & doleo.

S. Joan-

S. Joannes de Deo Ordinis hospitalitatis & curantium infirmos Fundator, cùm iter per regionem Gibraltariæ ageret, apparuit ei Christus sub pueri specie, quem Servus Dei proprio imponens humero per aliquot itineris spatium portavit, cui JEsus pro labore dono malum punicum dedit cruce signatum, dicens illi: *Joannes Dei Batica tua erit crux*; quem Beatissima Virgo spectabilis à præcipitio, à patibulo, à laqueis dæmonis, & à mortis amaritudine liberavit, quam mortem provolutus in genua, manu & corde Christum Dominum è cruce pendentem perstringens, in osculo Domini & SS. 5. Vulnerum ejus piissimè obiit, cujus corpus post annos viginti prorsùs illæsum & incorruptum inventum est, suavissimum efflans odorem. In vita lib. 2. cap. 4.

8. S. Theresia Virgo, cui Christus coronatus & crucifixus ostensus est, cui Redemptor dixit: *Aspice Vulnera mea, non es absque me: pertransibit brevitatem vitæ hujus*, cujus pura præcordia ignito transfixit Seraphinus jaculo, quæ Dei æstu mortua, crucifixo Amori suo sanctam animam suam sub columbæ candidissimæ specie reddidit, quæ in vita sua nil aliud desideravit, quàm illud: *Aut pati, aut mori*, huic, inquam, Virgini apparuit aliquando Christus, crucem ligneam, quam coronæ precariæ suæ, seu rosario appensam tenebat, secum assumens, paulò post eidem illam reddidit, non ampliùs in forma lignea, sed quatuor pretiosissimis compactam gemmis, in quibus quinque cicatrices Vulnerum Christi apparebant. Agnosce vel ex hoc, quantùm crucifixo JEsu placeat amor & cultus erga SS. 5. Vulnera sua. Imitare hæc exempla, & vade in pace. Francisc. de S. Maria in Chronicis Discalceat. Tom. 1. lib. 1. c. 26.

CONSIDERATIO CXIV.

Devotus aſpectus & contemplatio SS. 5. Vulnerum Crucifixi Domini quemlibet peccatorum debet reducere ad frugem.

Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum, palpate, & videte. Luc. 24. 39.

1.

1. Mach. 9. 21. VUlnera, quæ pro ſalute patriæ quondam accepit ſtrenuiſſimus belli-dux Judas Machabæus, univerſum populum Iſraeliticum ad ſingularem commoverunt compaſſionem & lacrymas, unde dicebant: *Quomodo cecidit potens, qui ſalvum faciebat populum Iſrael*? Hoc dicat, & cogitet omnis peccator & mortalis homo, qui JEſum pientiſſimum Salvatorem ſuum toto corpore ſaucium aſpicit, & vel per tranſennam contemplatur pendentem in cruce: *Quomodo cecidit potens*, imò potentiſſimus, *qui ſalvum faciebat populum Iſrael*? Sed obſerva anime mi! Cecidit propter te, vulneratus eſt propter te, mortuus eſt propter te, ubi ergo eſt compaſſio & lacrymæ tuæ? ſic nimirum perit juſtus, & non eſt qui percipit corde.

2. Servavit autem non fruſtrà dulciſſimus JEſus tuus hæc ſua SS. 5. Vulnera, ut extorres à fide, atque à via ſalutis errantes ad ſe revocaret, unde per os Iſaiæ orbi univerſo intimavit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.* Quod & S. Paulus Romanis ſuis in quadam epiſtola inſinuavit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*: præſertim expandi manus meas in cruce, ut Hebræos ad mè etiam moriens, licet ab eis occiſus, allicerem, & amplecterer. Verùm ab eis nihil impetravi: nam priſcis ſceleribus patrum filii nova addunt crimina; imò & ipſi Chriſtiani, filii increduli ſuas ſequuntur cogitationes, pertinaciter adhærentes diabolo, carni, mundo. O anima Chriſtiana! Ecce pendet ante te in hac ſacra ac devotiſſima imagine

Iſa. 65. 2.

Rom. 10. 21

gine crucifixus Amor tuus, manus ad te expandit die ac nocte, & tu adhuc renuis illius charissimum amplexum? Clamat, & tu non audis? Excitat ad meliorem vitam, & tu contemnis? Væ tibi, si hanc divinam non audis vocem, quia *venit nox, quando nemo potest operari.* Joan. 9. 4.

3. De Lazaro mendico plagis & ulceribus pleno & ad januam divitis avari jacente observat S. Chrysologus, quòd tot linguis ad divitem clamaverit, quot in infirmo corpore numerabat plagas: *Ut in admonendo divite tot essent pauperis ora, quot vulnera.* S. Chrysolog. serm. 121. Rupertus Abbas pereleganter hoc Christo crucifixo applicat: *Singula*, inquit, *plaga vel percussiones grandem vocem habuerunt, & omnia pro nobis ista locuta sunt.* Rupert. l. 13. in Joan. Nota emphasin istorum verborum: *Grandem vocem habuerunt*, dum omnia vulnera crucifixi JEsu, velut ora aperta, adeò ingentem emittebant vocam, ut cœlum penetrarint, & ad aures Patrum in limbo pervenerint, ex qua grandi voce terra contremuit, Sol obscuratus est, sepulchra aperta, & petræ scissæ &c. O grandis vox! *Clamans expiravit*, quia Verbum erat, *cum clamore valido* tradidit spiritum, ut te, ô mi peccator! ad veram excitaret pœnitentiam; imò & lacrymas addidit, ut durissimum tuum emolliret cor, & tu hæc omnia surdâ pertransis aure? *Cum clamore valido & lacrymis se offerens.* Hebr. 5. 7.

4. Manlius Patritius Romanus & belli dux strenuissimus, qui vitam suam patriæ bono devovit, & Gallos hostes à Capitolii mœnibus generosè propulsavit; hic, inquam, talis ac tantus vir paulò post ab Æmilio virtutum illius æmulo ob aliquam infidelitatis notam ac suspicionem in pleno senatu accusatus, à senatu judicatus, & ad mortem condemnatus est. Et ecce cùm nunc ad supplicii locum educeretur, levans oculos vidit Capitolium, penès quod transierat, & altâ voce ad Patres conscriptos exclamans dixit: *Siccinè ausi estis ô Judices Romani Manlium condemnare, qui pro salute patriæ paratus fuit mori? En vulnera.* Terruit hæc vox prædictos Romanos Judices, qui sine mora revocantes mortis sententiam, Manlium pristino restituerunt honori ac libertati. Hartung in Problem. 41. § 6.

O Christiane! Audésne & tu amantissimum Redemptorem tuum JEsum, qui pro tua salute jam olim mortuus est, de novo per peccata tua condemnare ad mortem; & quidem ad mortem crucis longe crudeliorem? *Filius Dei*, sunt verba antiquissimi Origenis, *pro peccatis mortuus est, & te peccare delectat?* Audi, & considera S. Augustinum: *Cur me graviori criminum tuorum cruce, quàm illa, in qua quondam pependi, affecisti? Gravior est apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, quam tui misertus, mortem occisurus ascendi.* S. Aug. serm. 67. de div.

5. Miror, quòd Apostolus Paulus ad Romanos recens conversos
Rom. 6. 3. scripserit: *An ignoratis, quia quicunque baptizati sumus in Christo JEsu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Et quare in mortem JEsu crucifixi? Observa:
S. August. serm. 120. in Ioan. Secundùm mentem S. Augustini omnia Ecclesiæ Sacramenta fluxerunt ex Sacratissimo Corde & latere Christi, quando Longinus lanceâ latus ejus aperuit, & ex illo promanavit sanguis & aqua; malè ergo ille baptismum suum custodit, qui passioni Dominicæ & crucifixi Salvatoris sui memoriam amittit: *In mortem ipsius baptizati sumus*, cujus jugem memoriam semper conservet homo Christianus.

Audis hoc, qui hæc legis, vel non audis? *In mortem ipsius baptizati sumus*; quomodò ergo colis, vel amas crucifixum amorem tuum; Quid
Deut. 32. 6. dico amorem tuum, qui vix de illo cogitas per diem? Et hoc Christianus pretiosissimo Christi sanguine redemptus? *Hæccinè reddis Domino populo stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?* Si ergo pater, ubi amor ejus? Si Dominus, ubi honor ejus?

6. Christus Dominus, ubi à mortuis resurgens discipulis suis ob metum Judæorum in cænaculo in monte Sion congregatis ad vespe-
Ioan. 20. 19. ram Paschatis, januis clausis, apparuit, pacem eis more Hebræorum tunc solito apprecatus est: *Et dixit eis: Pax vobis; & cùm hæc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Et quare hoc? quomodo ista conveniunt pax
Escob. t. 3. Coll. Chr. l. 19. sect. 1. & vulnera? Supra quod egregiè Escobar: *Cùm discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax, q. d. pacem offero vobis, sed qua effuso sanguine, diris vulneribus comparata.* O pax pretiosa non nisi sanguine & vulneribus Filii Dei comparata! Et sequitur: *Gavisi sunt Discipuli viso Domino.* Ecce ubi ostendit glorificata Vulnera & purpurea foramina, ineffabili gaudio repleti sunt, quia sanctissima illa Salvatoris Vulnera non duntaxat desideratissimum pacis nuncium inter DEum & hominem attulerunt, sed & discipulis æternam præsignabant salutem. Thomam incredulum consule, ac considera post octo dies huic sacro Apostolorum collegio intervenientem, & ex aspectu & contemplatione
Ioan. 20. 28. prædictorum SS. Vulnerum Christi sine mora in novum hominem mutatum, unde exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* En habes hic
Psal. 84. 11. formam, quam imiteris. O nos felices! in his enim SS. Vulneribus verificatur illud Davidicum: *Justitia & pax osculata sunt*, dum Vulnera illa satisfaciebant justitiæ Dei, & non conferebant pacem & misericor-
Ex vita. diam. O dulcis JEsu quis non amet te?

7. Exemplum unum vel alterum producamus in medium. S. Birgitta, dum adhuc decennis JEsum in cruce pendentem, vulneratum, ac recenti sanguine perfusum vidit, & de passione sua mira loquentem audiit,

audiit, in dulces lacrymas resoluta statuit, hunc imposterùm sequi amorem; unde per omnem vitæ cursum, quoties vel verbulum in concionibus, vel in aliis piis discursibus de cruciatibus ac cruentis Christi vulneribus audivit, magnam lacrymarum vim profudit, atque de nocte surgens, longas ante imaginem JEsu Crucifixi preces ingeminavit; hinc mira & arcana de Crucifixo Domino & Dolorosa Matre ejus scripsit, & mortalitati humanæ in suis Revelationibus reliquit.

S. Theresia V. ubi in tenera adhuc ætate JEsum spinis coronatum, plagatum & crucifixum conspicata est, cui vulneratus Dominus dicebat: *Aspice vulnera mea: non es absque me: pertransi brevitatem vitæ hujus*, mox statuit id quod perfectius esset eligere; unde imposterùm solebat dicere: *Aut pati, aut mori*, cujus pura præcordia Seraphinus ignito transverberavit jaculo, quæ Dei & Amoris sui crucifixi æstu extincta, animam suam sub columbæ specie Deo reddidit. Vade purissima anima ad dilectum Sponsum tuum candidum & rubicundum, candidum propter innocentiam, & rubicundum propter passionem, & impetra nobis ab illo veram vitæ emendationem, ac tandem felicem mortem ac sortem. Ex vita.

CONSIDERATIO CXV.

Christus & hic Crucifixus thesaurus inexhaustus est omnium bonorum, gratiarum ac beneficiorum.

Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ. Num. 20. 6.

1.

IN summa aquarum penuria, ne populus Israel in deserto periret, Moyses dux ac legifer illius à Domino humiliter petiit, ut eis thesaurum aquæ vivæ aperiret, percussit is jubente Domino virgâ bis petram, *& egressa sunt aquæ largissimæ.* Quærit hic B. Petrus Damiani S. E. E. Cardinalis, quare Moyses aquam illam de petra profluentem thesaurum appellaverit: Nunquid dignum fuit, viles aquas Num. 20. 6. B. Petr. Dam. serm. de Exalt. S. Cruc.

aquas Dei appellare thesaurum? Et respondet ipse sibi: *Dei thesaurus procul dubio illa aqua fuit, quæ è latere JEsu transfixo cum sanguine continuò exivit, junxítque se manuum ejus ac pedum perforatorum divinis fontibus.* O thesaurum incomparabilem ex petra Crucifixi JESU.

Eccli. 41. 17. 2. Rectè Ecclesiasticus: *Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Observa: Thesaurus non invenitur, nisi fodiendo. Ecce Salvator tuus spinis confossus, flagellis peraratus, clavis ferreis & lanceâ perfossus est; ille est æterna Patris Sapientia, abscondita quidem ab initio, sed manifestata in cruce per tot ac tanta prodigia, & nunc Isa. 2. 10. quæ utilitas in hoc thesauro, si de illo non participamus? *Ingredere* anime mi cum Isaia Propheta, *& abscondere in fossa humo*, crux tibi index est in ea latentis thesauri: *Bonus thesaurus*, dicit Mellifluus, *qui fosso agro corporis JEsu invenitur*; Et Doctor Seraphicus: *Apertus est thesaurus divinæ Sapientiæ & æternæ suavitatis, intra Vulnerum aperturam, & eum invenies.*

Platina in Titis Pontif. 3. Erat quondam Romæ statua ex marmore candido ab artifice statuario perpellè elaborata, cui hæc insculpta verba erant: *Dum sol mense Julio erit in meridie, caput aureum habebo.* Fatigavit hæc inscriptio plures Academicos Romanos, sed frustra omnia. Tandem Romam venit ingeniosus quidam peregrinus, qui inter alias, quas considerabat antiquitates, hanc quoque statuam & inscriptam epigraphem invenit: *Dum sol mense Julio erit in meridie, caput aureum habebo*; Accessit proinde illo mense ad prædictam statuam, & attentè in meridie observavit, in quem locum sol umbram suam projiceret, ubi sine mora incepit fodere, ac thesaurum latentem feliciter invenit, quem caput indigitavit.

Christus instar statuæ constans, licet in summis doloribus stabat, & agonizabat in erecta cruce, circa horam autem nonam post meridiem inclinavit caput: *Et inclinato capite tradidit spiritum*, qua capitis in- Jo. 19. 30. clinatione ad pectus designavit locum, in quo infiniti valoris thesaurus posset inveniri. Observavit hoc Longinus, & signo accepto accurrebat cum fulminante lancea, & in benedicto agro corporis JEsu crucifixi fodere cæpit, & felicissimè hunc pretiosissimum invenit thesaurum, ex quo ditata est universa Ecclesia Dei. Audi Leonem X. Pontificem Maximum in quadam Bulla dicentem: *O thesaurum infinitum! ò thesaurum incomparabilem, thesaurum nunquam exhauriendum? Una sola gutta ipsius pretiosi sanguinis propter unionem hypostaticam ad Verbum sufficientissima est ad redimendos mille mundos.*

Troyer. de SS. Euchar. 4. Venerat aliquando Legatus Hispaniarum Regis cum ambitioso apparatu Venetias ad certum grande negotium cum Serenissima illa Republica tractandum. Re peractâ, & optimè transactâ, Veneti dicto Regio Legato in signum veræ stabilitæ amicitiæ suum monstrarunt

thesau-

thesaurum; subrisit is nonnihil, dum Venetorum thesaurum conspicatus est, nimirùm plures prægrandes auro & Zechinis impletas cistas, ad quod subjungebat Hispanus: An adhuc thesaurus vester fundum habet? Ita, reponebant illi: *Fundum habet*; sed thesaurus Regis nostri, subjungebat Legatus: *Nullum fundum habet*, quibus verbis alludebat ad aurifodinas, quibus olim abundabat nova inventa Hispania.

O sacratissima Vulnera Christi JEsu Crucifixi, vos thesaurus noster estis, in ipsis enim conservantur inæstimabilia Salvatoris nostri merita, propter quæ nobis tribuuntur omnia dona supernaturalia gratiæ & gloriæ, & hic thesaurus *fundum non habet*. Agnovit hoc S. Bernardus Doctor Mellifluus & Crucifixi amator zelosissimus, utpotè qui totus in illis erat immersus, hinc de illis scribit ad solatium nostrum: *Ego fideter quidquid mihi deest, usurpo ex visceribus Salvatoris, quæ misericordiâ affluunt neque desunt foramina, per quæ effluat, per hos canales sanctissimorum foraminum depluunt ad nos omnes gratia, omnes misericordia, & omnes consolationes cœli, remanent semper in divina præsentia, & in Dei acceptione immensa & infinita merita illorum vulnerum.* S. Bernard. serm. 21. in Cant.

5. In sacro Evangelio regnum cœlorum thesauro abscondito comparatur: *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro.* Per thesaurum hunc S. Hieronymus Christum intelligit; Ah quanto bono nos privamus, si thesaurum illum in propatulo positum, & nobis quasi abditum præterimus, & negligimus, neque in fossam illam corporis Domini humum ingredimur, & in ea pia meditatione abscondimur; unde devotissimus Joannes Taulerus ait: *Plurima à Deo nos non impetrare, quia illa per Salvatoris Vulnera postulare negligimus*, de cruce enim immensos gratiarum thesauros distribuit, ac derivat in Ecclesiam Christus. Accede anime mi! En patet gazophylacium Domini JEsu, nec major in mundo thesaurus unquam fuit vel esse poterit, attestante Apostolo ad Colossenses 2. 3. quàm in eodem crucifixo JEsu: *In Christo JEsu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondit*, & paulò post: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; quia DEus & Homo est; ideò etiam corporaliter. Matth. 13. 44.

6. De Tribus Magis observat Scriptura, quòd Christo recens nato de apertis thesauris suis munera præsentaverint: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Per hæc tria munera ex thesauro regio deprompta ipse Christus allegoricè designatus est, qui se ipsum Deo Patri in cruce obtulit ùt aurum, ait Cornelius, dum ex aurea charitate & ex amore hominum se ipsum immolavit, & ùt myrrham amarissimæ passionis dolorum & tormentorum, atque ùt thus summæ religionis, submissionis, venerationis & latriæ. Unde eâdem Matth. 2. 11.

feriâ sextâ, quâ Christus se obtulit in cruce, Magi quoque hæc tria munera Christo obtulerunt.

Progrediamur ulteriùs. Cùm milites validis malleis, aut vectis ferrei ictibus crura duorum latronum cum Christo crucifixorum ad majus illorum tormentum confregissent, ad JEsum autem cùm venerunt, cui pari modo crurifragium inferre cogitabant, ut viderunt eum

Jo. 19. 33. jam mortuum, non fregerunt ejus crura, *sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Et cur aperuit? Cur non dixit Evangelista percussit, aut vulneravit latus ejus? Quod vulnus lateris sanè ingens fuit, ac tantum, ut

Jo. 20. 27. manus illi imponi posset, ùt patet ex verbis Christi: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.*

℟. S. Augustinus: *Ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur.* Ecce apertus est thesaurus: *Hac porta Domini, justi intrabunt in eam.* Et per eam divinum thesaurum invenient. Igitur SS. Vulnera Christi crucifixi sunt Ecclesiæ inexhaustus thesaurus, neque reperiet paupertas nostra aliud remedium, quàm uti divitiis thesauri illius. O sanctissima Vulnera, siquidem per vos, vobiscum, & in vobis sunt omnes meæ divitiæ, omnia mea gratiæ & gloriæ merita; adoro vos, quia deificata.

7. Agnovit hanc veritatem S. Pius V. Pontifex Maximus, qui li-

Vita S. Pii V. cet continuis & maximis negotiis, quæ supremam illam Petri cathedram propè obruere solent, distentus esset, horam tamen integram coram Crucifixi Simulacro quotidie in oratione impendit, quâ finitâ semper SS. Vulnera crucifixi Amoris sui demissè exosculari consuevit. Accidit, ut die quodam pro more suo ad hunc SS. Crucifixum accederet, & in rebus gravissimis Ecclesiæ regimen concernentibus hoc crucifixum Oraculum consuleret; Et ecce dum post terminatas preces & suspiria pedes ejusdem Domini sui devotissimo osculo honorare discupit, Christus in imagine pedes retrahit. Hic vidisses optimum ac Sanctissimum Pontificem rei notivitate prorsùs attonitum, summè dolentem, & de negata gratia flebiliter gementem. Verùm paulò post desiit dolor & luctus, ubi comperit, quòd pedes ejusdem Crucifixi in suam perniciem veneno essent infecti. Ecce quomodo Crucifixus Redemptor amatores suos ac cultores in periculis custodire soleat: *Nullum*, ait

Ludolph. in vita Chri. p. 2. c. 58. Ludolphus Carthusianus, *Christo Domino gratius ab hominibus obsequium exhiberi potest, quàm si amarissimam passionem & SS. ejus Vulnera semper memoriâ foveant, & in corde, animóque circumgestent, aternæ salutis remedium in illis assiduè requirant.* Fac hoc, & vives.

CON-

CONSIDERATIO CXVI.

Excitatur homo Christianus ad spem & fiduciam in Deo collocandam ex contemplatione Christi crucifixi.

Qui proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Rom. 8. 32.

1.

PUlcherrimam Epistolam S. Paulus Doctor Gentium, cùm esset Corinthi, & S. Petrus Apostolus jussu Claudii abiisset in Britaniam, ad Romanos tunc Pastore destitutos, anno Christi 58. exaravit, in qua eos ad singularem spem ac fiduciam, amorémque in DEum ex contemplatione Christi JEsu crucifixi excitavit: *Quid ergo, ait, dicemus ad hæc? si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodò non etiam cum illo omnia nobis donavit?* O verba auro & cedro digna, quæ meritò miseram nostram & languidam consolentur animam, quia in Christo crucifixo omnia habemus. Ita S. Ambrosius: *Omnia Christus est nobis: Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est, si gravatis iniquitate, justitia est, si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si cœlum desideras, via est, si tenebras fugis, lux est; si cibum quaris, alimentum est.* O si cognoscerent hoc homines, quantam fiduciam ac securitatem in agone & morte pariat seriò meditata Passio Redemptoris nostri, & quàm jucundum ac securum sit vivere ac mori in Vulneribus Christi JEsu crucifixi; ô si cognoscerent! An verò etiam, pie Lector, abscondita sunt hæc ab oculis tuis? Ecce venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui, & ad terram prosternent te, & coangustabunt te undique, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ; Proinde nunc erige te in spem, nunc inquam, dum tempus gratiarum affulget, & quia abyssus es omnis miseriæ, sæpiùs invoca abyssum omnis misericordiæ,

Rom. 8. 31.

S. Ambr. lib. 2. de Virginibus. tom. 1. col. 110.

Luc. 19. 42.

cordiæ, cum sancta Ecclesia orans ac flagitans: Bone JEsu! *Quæremè, sedisti lassus; Redemisti, crucem passus: Tantus labor, ac tantus amor non fe cassus.* Ah non sit cassus.

2. Et quis unquam speravit in Domino nostro JEsu Christo crucifixo, & confusus est? Speravit jam olim in illo David, quia totam illius passionem in spiritu præviderat, prout videre est Psalmo 21. Et in illo in omni tribulatione ac persecutione consolatus est, unde mortalitati humanæ scriptis reliquit: *In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* Erat tunc David mirum in modum exagitatus à Saul, vitæ suæ nunquam securus, sed plerumque ambulabat in umbra mortis, unde ad DEum fortissimum adjutorem suum levavit animum, impensissimè rogans eum, ut sub umbra alarum ejus protegeretur. Le Blanc & alii per hanc umbram alarum Christi brachia in cruce extenta allegoricè intelligunt, sub quibus omnibus fidelibus sperandum est etiam grandibus peccatoribus, si verè ad frugem ac seriam pœnitentiam volunt reverti.

Psal. 56. 2.

Quinimò non solùm David in suo prævisо crucifixo Domino speravit, sed & omnes fideles ad hanc spem & fiduciam animavit, unde dixit: *Filii hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Hoc est, ait Le Blanc: Sub umbra manuum tuarum in cruce expansarum, Christus enim est arbor vitæ, & dat in cruce umbram vitæ; unde rectè Arnoldus Carnotensis: *Extentis*, inquit, *brachiis Christus in cruce totum corpus intra se positum complexus est, & sub alis crucis aggregato genere nostro, ibi & protexit, & fovit.* Et sequitur in prædicto Psalmo: *Inebriabuntur ab ubertate domus tua.* Qualis hæc domus est Christi crucifixi? Respondet Le Blanc: Latus ejus militis lanceâ apertum, hæc est domus refugii, porta cœli; justi intrabunt in eam.

Psal. 35. 8.

Arnold. Carnotens. tr. de 7. Verb.

3. Ezechias in summa necessitate speravit in Domino, & adjutus est: Cùm enim Sennacherib Rex Assyriorum vicinarum civitatum victor jam urbem Solymæam per Rabsacem valido obsideret exercitu, & nunc res in arcto esset, ut Rex Ezechias ab hoste barbaro aut caperetur, aut interficeretur, obvolvit Ezechias se sacco, & intravit in domum Domini, ardenti oratione à Domino opem flagitans; & impetravit plus quàm petiit, ultor enim Angelus una nocte in hostili obsidentium exercitu centum & octoginta quinque hostium millia peremit. Tanta est veræ spei & humiliantis se potentia.

Isa. 37. 36.

Si hoc olim in umbra, quid nunc in luce & veritate, ubi Christus per mortem crucis noster Advocatus apud Patrem factus est? Quis, ait Gentium Doctor, *accusabit adversùs Electos Dei? Deus qui justificat: quis est qui condemnet? Christus JEsus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad*

Rom. 8. 33.

ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis, exhibendo nimirum ſe Deo Patri in Mediatorem, & cicatrices ſuas in paſſione acceptas ei oſtentando. Quomodo ergo poterit eſſe repulſa, ſi hæc pro nobis loquuntur amoris inſignia? *Quis eſt qui condemnet?*

4. In horrenda illa Benjamitarum clade, in qua viginti quinque millia, & pugnatores ad bella promptiſſimi in ore gladii occiſi ſunt, ſolùm remanſerunt ſexcenti viri, quia ſibi & propriis viribus diffiſi, fugiebant in ſolitudinem ad petram Remmon, in cujus foraminibus & cavernis vitam ac ſalutem conſervarunt: *Remanſerunt itaque de omni numero Penjamin, qui evadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri; ſederúmque in Petra Remmon menſibus quatuor.* Judic. 20. 47.

Petra erat Chriſtus, ait S. Paulus; Foramina & cavernæ hujus petræ ſunt ejus SS. Vulnera & apertum latus ejus, in his ergo, anima Chriſtiana, te contra omnes tentationum & hoſtium incurſus abſconde, atque in omni adverſitate ſpem tuam in eis colloca, & experieris, quòd hæc ſpes non confundat. Imitare prudentem illam columbam à facie rapacis milvi ad ſimilem petram volantem, de qua in Canticis: *Columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ*: Vel dic cum Propheta Regio: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam*; Quò volabis? Ad crucem Chriſti; Ubi requieſces? In cruce Chriſti & in Sacratiſſimis ejus Vulneribus, in his tota ſpes mea & ſalus conſiſtit: *In Domino ſperans non infirmabor.* 1. Cor. 10. 4. Cant. 2. 14. Pſal. 54. 7. Pſal. 25. 1.

5. De nullo peccatore Chriſtus Dominus ſic conqueſtus eſt, quàm de illo impio miniſtro, qui ipſi coram Judice iniquiſſimo alapam gravíſſimam inflixit: *Quid me cædis?* Pientiſſime JEſu! quare non & alteram huic effronti miniſtro præbuiſti maxillam, ut tuum dogma Matth. 5. 39. ipſo facto ſancires? R. S. Augùſtinus: *JEſum non ſolùm alteram maxillam iterum percuſſuro, ſed totum corpus figendum præparaſſe in ligno.* Quòd autem taliter contra illum conqueſtus ſit, erat ille miniſter unus ex illis apparitoribus, qui priùs à Judæis ſubmiſſi fuerant ut JESUM comprehenderent, ſed re infectâ, reverſus reſpondit: *Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo*; Nunc rursùs à JEſu defecit, ut placeret adulator nefario Pontifici, & ad partes diaboli tranſiit, percutiens innocentiſſimum JEſum, ſupra quod Didacus Niſſenus: *Alapa gravis injuria: facies Chriſti ejus miſericordia. De nullo alio peccatore queritur Chriſtus, ut de deſperantibus miſericordiam.* Juvat hìc audire devotiſſimum Bloſium: *Homo*, inquit, *Deum magis inhonorare nequit, nec majorem illi irrogare injuriam, quàm ſi ob multitudinem, aut gravitatem criminum ſuorum deſperet de ejus miſericordia.* S. Aug. hic apud Cornel. S. Cyrillus l. 11. in Ioan. c. 45. Io. 7. 46. Did. Niſſ. Pol. cœl. l. 8. c. 3. Bloſ. Sacello an. fid. §. 1.

6. O si veniſſet adhuc Judas Iſcariothes, mercator ille peſſimus, ad crucifixum JEſum, antequam ſe in ficulnea laqueo ſuſpendit, & crepuit medius, ſine dubio à pientiſſimo Redemptore veniam & gratiam impetraſſet; proinde rectè S. Hieronymus: *Pro clementia Domini hoc dico, quia magis ex hoc offendit Dominum, quòd ſe ſuſpendit, quàm quia Dominum prodidit.* Et hæc cauſa eſt, quare DEus & Homo Chriſtus ad S. Catharinam Senenſem dixerit: *Peccatores, qui in mortis extremitate deſperant de miſericordia mea, multò graviùs me offendunt, & magis mihi diſplicent hoc peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiſerunt. Qui enim deſperat, contemnit apertè ipſam miſericordiam meam.* O verba ſolatio plena?

S. Hieron. in Pſal. 107.

Bloſ. ibidem p. 2. c. 1.

7. O ſi hoc eſt, prout ita eſt, ego, licet peccatorum omnium miſerrimus, non deſpero, ſed dum ſpiro, ſpero: qui enim non ſperat in Chriſtum JEſum & hunc crucifixum, beſtia eſt, & non homo. Et ſi ſperat, ac confidit æger in ſuo familiari medico, ſi reus in ſuo advocato, ſi cæcus in ſuo duce, cur ego non ſperem in mitiſſimo Salvatore meo pro me crucifixo? Æger ſum, fateor, *& non eſt ſanitas in carne mea*, ſed habeo in crucifixo Domino meo optimum medicum, qui poteſt compati, & mederi infirmitatibus meis: *Et livore ejus ſanati ſumus.* Reus ſum propter innumera delicta mea mortis & inferni, non tamen deſpero, quia *advocatum habemus apud Patrem JEſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Cæcus ſum, quia omnis peccator cæcus, à via ſalutis aberrans, ſed habeo ducem optimum, Dominum meum JEſum Chriſtum & hunc crucifixum, qui deducet me in viam & in terram rectam.

Pſal. 37. 4.

Iſa. 53. 5.

1. Jo. 2. 1.

Sperent proinde alii in Principibus, in quibus non eſt ſalus: ſperent in divitiis, de quibus in morte nihil aſſument; Sperent in delitiis & ſæculi voluptatibus, de quibus Job: *Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt.* Speremus nos, optime Lector! in DEO & in cruentis meritis ac Vulneribus crucifixi JEſu. *Reſpicite filii nationes hominum: Et ſcitote, quia nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt;* Nullus ſperavit in crucifixo Redemptore ſuo, & confuſionem paſſus eſt:

Job. 21. 13.

Eccl. 2. 11.

Pſal. 90. 4. *Sub pennis ejus ſperabis &c.*

CON-

CONSIDERATIO CXVII.

Si vis evadere infernum, fuge, dum tempus est, ad crucifixum JEsum.

Nisi quia Dominus adjuvit me: paulò minus habitasset in inferno anima mea. Psal. 93. 17.

1.

REctè Propheta Apocalypticus & dilectus Christi Discipulus: *Quis non timebit te Domine?* Et rationem subdit: *Quia solus pius es.* Quis, obsecro, hic non obstupescat tam mirabilem loquendi modum, DEum & crucifixum hominem JEsum ideò esse timendum, *quia solus pius est?* Si dixisset Apostolus, quia austerus, quia justus, quia rigorosus es, causam & justissimam haberemus rationem timendi eum; sed quia pius est, mitis & humilis corde, & insuper peccatores recipit, cur illum tantoperè timeamus? Apoc. 15. 4.

Audi hanc ipsam Veritatem tuæ salutis amantissimam, dum multis turbis circumstantibus, & se invicem conculcantibus dixit: *Dico autem vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete.* Ecce piissimus est Dominus, & patiens in ligno pro homine indigno, vult tamen timeri ùt Judex integerrimus, & amari ùt pater amantissimus. Proinde dum tempus est, ad eum in crucem suffixum fugiamus, ne in morte æternis ab ipso deputemur suppliciis, *habet enim claves mortis & inferni.* Luc. 12. 4. Apoc. 1. 18.

2. Quando Core, Dathan & Abiron Moysi rebellantes, vivi à terra absorpti sunt: *Descenderúntque vivi in infernum*, observat Scriptura, quòd ad hoc horrendum spectaculum omnis Israel qui stabat per gyrum, fugerit ad clamorem pereuntium, dicens: *Ne fortè & nos terra deglutiat.* Num. 16. 33.

Anima Christiana! heu! quot hactenus myriades & milliones hominum, quia per peccatum DEO rebelles erant, descenderunt in infernum?

fernum? Si non vis pariter ad hunc tormentorum venire locum, fuge juxta exemplum prædictorum Israelitarum, fuge, fuge ad clamorem tot millium pereuntium, ne fortè in morte & te terra deglutiat, & descendas in infernum. Sed dices: Quò fugiam à facie irati Numinis? Psal. 30. 16. Citò dico: ad crucifixum JEsum: *In manibus tuis sortes meæ*, dicebat quondam David, in manibus videlicet vulneratis, sanguineis & cruci affixis, in his tota spes salutis nostræ debet esse reposita: O beata sors in manibus Christi vulneratis, imò terebratis. Sunt qui se existimant beatos, si bonis fortunæ affluunt, si in gratiis naturæ triumphant. Ego autem cum Vate Regio omnem meam sortem in Vulneribus Salvatoris mei ejusdem manibus insculptis locabo: *Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

3. Loth, ne cum Sodomitis combureretur, per duos Angelos ab Gen. 19. 17. hoc incendio mirabiliter ereptus est, cui in via dixerunt: *Salva animam tuam: in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Anime mi! Si ab incendio gehennali vis liberari, & salvari in æternum: *In monte salvum te fac*, hoc est in Calvario monte, ubi salus nostra in cruce pependit, ubi Christus triumphavit, ubi gehennam, mortem & diabolum superavit. O felix pietatis mons!

Christus paulò ante mortem crucis, hoc est die Martis post Dominicam Palmarum, improbis & obstinatis Judæis mirandam ac simul tremendam proposuit quæstionem: Matth. 23. 33 *Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Ignosce Domine! ego scio modum, Io. 6. 69. quo possumus effugere à judicio gehennæ: *Domine, ad quem ibimus?* dicebat quondam Petrus, *verba vitæ æternæ habes.* Sic & nos faciemus. Ad te ergo ibimus, ô mi JEsu! Amor crucifixe! ad te ibimus, etiamsi nobis miniteris infernum, ibimus tamen ad te, ad tua SS. merita & Matth. 11. 28. Vulnera curremus, verba enim vitæ æternæ habes: *Venite ad me omnes.*

4. Visne scire, anime mi! Num sis futurus inter multos damnandos, an inter paucos salvandos! Audi veritatem non sine gemitu ac Matth. 7. 14. suspirio ad populum Judaicum clamantem: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Nota hic, quòd priùs jam dixerat: *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem: Et multi sunt, qui intrant per eam.* Credisne hoc homo Christiane? Qualem igitur viam vis amplecti, & ad qualem te flectere portam? An ad latam, vel angustam?

5. Urbanus IV. Pontifex Maximus, cùm nunc per portam in templum Lateranense S. Joannis Romæ introduceretur, illique Musici ad accensam stupam præcinerent: *Pater sancte, sic transit gloria mundi*, Sandæus in donario Iulij. p. 67. memor suæ salutis & finis, non sine subortis lacrymis, hoc sibi familiare symbo-

symbolum elegit, Cor scilicet ad pedes Crucifixi inter spinas palpitans cum epigraphe: *Recordare novissimorum*, non enim ignorabat sapientissimus Pontifex illa veritatis verba? *Contendite intrare per angustam portam*; Luc. 13. 24. Græcus textus habet: Agonizate, vel quasi in agone contendite. Præivit hanc viam ipse Christus, & hac de causa primi Christiani ultrò se obtulerunt martyrio &c. Et quid tu? quomodo te mortificas? Sed resume animum, mœstúmque timorem mitte. Ecce ostendo tibi non unam, sed quinque cœli portas, angustas quidem, sed unam latissimam, per quam omnes, si volunt, possunt intrare ad vitam. Portæ autem hæ sunt quinque SS. Vulnera JESU, quatuor angustæ, sed una latissima, de quibus S. Augustinus: *Clavi & lancea clamant mihi, quòd verè reconciliatus sum Christo, si eum amavero: Longinus aperuit mihi latus Christi lanceâ, & ego intravi, & ibi requiesco securus.* S. Aug. c. 23. Manual. Idcircò beatissima Virgo S. Brigittæ suasit frequentem Christi Filii sui crucifixi memoriam, dicens: *Apertas esse Christi sanguine cœli portas*: & addit: *Hæc filia mea cogita, & habeto semper præ oculis*, & sic inferni portas non intrabis. Revel. S. Birg. lib. 1.

6. S. Ephrem loquens de Christo in cruce patiente hæc dignissima verba mortalitati humanæ reliquit: *Seraphin*, ait, *illâ horâ alas ad invicem collisisse visa sunt*, præ admiratione scilicet & indignatione tanti sceleris, quòd Dei Filius ab impiis Judæis & peccatoribus in crucem actus, & occisus sit. Postea gratias crucifixo Domino agens pro tot exantlatis doloribus, rogat: *Quæso operiat me manus tua sub alis suis; & liberet animam meam à sempiterno igne* Hoc fac & tu; cum dolore & amore accede, præsertim ante confessionem, ad crucifixum JEsum, ut te sanguine suo lavet, qui *paleas comburet igne inextinguibili*; defige sæpiùs in illum attentos oculos, & gratias illi age quàm potes tenerrimas pro dolore & amore, quo te ab inferno & æterno redemit dolore: *Ab interitu infernali*, ait S. Antoninus, *redimit Deus hominem totiesl, quoties mortale remisit.* Et quoties fortasse, anime mi, hæc tibi gratia facta est? Et tu adhuc stas immotus, & Deo Salvatori tuo ingratus? Serm. 14. Matth. 3. 12. Luc. 3. 17. S. Antonin. p. 2. Tit 3. c. 9. §. 10.

7. Ex his hactenus enarratis intelligo Davidis sententiam, quam huic considerationi in fronte præfixi: *Nisi quia Dominus adjuvit me: paulò minus habitasset in inferno anima mea.* Periisset sine dubio anima mea, & mortalium omnium, nisi crucifixus per merita & passionem nos adjuvisset. Agnovit hanc veritatem beatus Francus, à vita sæculari & liberiori subitò ad sanctiorem conversus, cui Christus in cruce cruentus apparens, dixit, ut ad se & ad meliorem rediret frugem; Audiit hoc juvenis tremebundus, & sine mora ad admirabilem corporis aliàs delicati afflictionem accensus est, & sic inferni pœnas evasit; cui denique beatissima Virgo inter Angelos apparens, dicebat, Psal. 93. 17. Jo. Nadas. 11. Decembr.

peccata illius esse à DEO dimissa, & preces exauditas. Ecce quid possit crucifixi contemplatio!

Ex vita 16. Junii. Huic adjungo S. Lutgardem Virginem, cui duodecim annos natæ, & incautè cum nobili quodam adolescente collocutæ, Christus apparuit, monstrans per hians lateris vulnus sacratissimum cor suum, ac dicens, ut posthabito quocunque alio mundano amore, se solum amaret, & quæreret; paruit illa, & juveni ad se paulò post reverso cum S. Agnete dixit: *Discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore præventa sum.* Discessit ille confusus; Et ecce Christum Crucifixum de novo obvium habuit, qui eam brachio & amplexu ad cor suum & lateris vulnus, ut ex hac cella vinaria biberet, invitavit, & admovit; cui denique moribundæ à Christo dictum est: *Propè est laborum tuorum finis, neque diutiùs à me separari patiar*; Quibus dictis feliciter animam suam in manus Domini expiravit. O felix mors! ô beata sors! sed quid mihi & tibi aliquando, ô mi Lector?

CONSIDERATIO CXVIII.

Crux Domini nostri JEsu Christi miseris & afflictis spes unica rebus.

Deus noster refugium & virtus: adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis. Psal. 45. 2.

1.

3. Reg. 17. 12. MUlieri illi Sarepthanæ in extrema fame & annonæ caritate ultimum refugium fuit unicus farinæ pugillus, & duo ligna, quibus suam consolabatur inopiam; unde dicebat ad Eliam prophetam panem & aquam ab ipsa postulantem: *Vivit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ hydria: En colligo duo ligna, ut ingrediar, & faciam illam mihi & filio meo, ut comedamus, & moriamur.*

Cornel. hìc. Lanfrancus & alii apud Cornelium per farinæ hydriam Panem Eucharisticum intelligunt, qui quotidie à fidelibus comeditur, nec tamen

tamen consumitur, aut unquam deficit. S. Augustinus per duo ligna, quæ paupercula illa vidua collegit, duo ligna SS. Crucis subaudit, videlicet unum erectum & alterum transversum, quod mysterium jam tunc illa pia vidua in umbra aliqualiter cognovit: *Ideò*, sunt verba citati S. Præsulis, *duo ligna colligebat, quia in typo Eliæ Christum excipiebat. Duo ligna volebat colligere, quia crucis mysteria desiderabat cognoscere, crux enim Domini Salvatoris duobus lignis aptata est, ideò duo ligna colligebat vidua illa, quia in illum, qui in duobus lignis pependit, creditura erat Ecclesia.* Collige ex hac pereleganti figura, anime mi! quale solatium sit rebus in afflictis sacratissima crux Dominica, vel potiùs ipse JEsus & hic crucifixus. S. Aug. serm. 101. de temp.

2. Erat quondam populus Israeliticus in Ægypto in extremis constitutus angustiis, novus enim Pharao ignorans Joseph coronatus est Hebræos intolerabili onerum impositione non tam opprimere, quàm & submersione omnium eorum masculorum extinguere. In hac gravissima afflictione clamavit populus ad Dominum, qui invocatus in rubo spinoso ardente & incombusto Moysi apparuit, consolans illum & populum: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Exod. 3. 7.

Quæres hìc, prudens Lector, quare Dominus DEus (Theodoretus ait fuisse Filium Dei) inter spinas & flammas Moysi voluerit apparere, & non in splendido throno, aut in nube perlucida? Respondet Sylveira, ut Moyses & omnis populus ex tali visione discerent patientiam, & crucem ac tribulationem suam generoso tolerare animo, quia ipse Filius Dei, antequam nasceretur ut homo, dignatus est inter spinas sese illis exhibere spectabilem; ita & Cornelius: *Verbum Dei*, inquit, *in rubo, est Verbum Dei in cruce, quia utrobique inter spinas.*

Dixit autem Dominus Deus: *Vidi afflictionem populi mei, & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum.* Exod. 3. 7. Cur non Angelum misit, qui Moysen & afflictum populum consolaretur, & à gravissimo Pharaonis jugo liberaret? R. Le Blanc, ut per hoc significaret, quia in medio illorum est, qui in hoc mundo tribulantur: *In media tribulatione ipse reperitur*; Psal. 90. 15. unde & vates Regius: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Audis hoc anima afflicta.

3. Multa tulit, fecitque puer Joseph Jacobi Patriarchæ Filius. Cùm natus esset annos decem & septem, à perfidis fratribus Madianitis mercatoribus in servitutem vigenti argenteis venditus est; ac illis iterum in Ægypto Putiphari centum nummis aureis: in carcerem exinde innocens conjectus per triennium hæsit, primis temporibus severè tractatus, ùt expsalmo centesimo quarto patet: *Humiliaverunt in compedibus pedes ejus: ferrum pertransiit animam ejus.* Psal. 104. 18. Tandem cùm annos septem

fertilitatis & totidem sterilitatis prædixisset, & Pharaoni Regi modum toti regno providendi aperuisset, ab eodem Rege mirum in modum exaltatus est, qui in signum singularis gratiæ & potestatis illi proprium annulum signatorium dedit: *Tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus.*

Gen. 41. 42.

Jac. Gretser. l. 4. c. 9. & Hadr. Lyr. l. 6. c. 8.

Observa hìc, Lector prudens, rem planè admirandam. Jacobus Gretserus S. J. ex antiquis eruit codicibus, quòd in pretioso illo annulo sigillari, quem Pharao Ægytiorum Rex Josepho consignavit, eíusque digito inseruit, insculpta fuerit crux, quo salutari signo Joseph Ægypti Pro-Rex jam tunc suas solebat obsignare literas, decreta, mandata, & quod obsignabat hoc crucis signo, sanctum ac ratum per universam Ægypti terram habebatur; vertítque Pharao illi nomen, vocans eum in lingua Ægyptiaca, *Salvatorem mundi.*

Collige ex hoc, quàm pulchrè Sapientia divina jam tunc temporis intervallo per dictam crucem præluserit redemptioni humani generis in cruce suo tempore per Salvatorem mundi Christum JEsum adimplendæ. Subintrat hìc Cornelius: *Itaque Joseph expressus fuit typus Christi patientis & resurgentis.* Adverte hìc, anime mi, pro reflexione morali, quomodo ludat in humanis divina potentia rebus, & quàm bonum sit cum Josepho Patriarcha in omni adversitate adhærere Deo, & ponere in Domino spem suam.

4. Et dic, obsecro Sodes, quis unquam venit ad crucifixum JEsum, & ab eo repulsam passus est? Venit latro, fatetur peccati & pœnæ se reum esse: *Nos quidem justè*, de Christi autem testatur innocentia: *Hic verò nihil mali fecit*; tum ad crucifixum Dominum ac Deum suum conversus: *Domine*, inquit, *memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et ecce summam JEsu benignitatem, plus exhibet, quàm petatur, nec promissionem differt: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.* O summum solatium, *hodie* esse cum JEsu! O anime mi! si similem à Christo JEsu vocem & nos in ultimo nostro agone audiremus! Vivamus proinde nunc cum JEsu in cruce, & erimus pariter cum illo in paradiso, quia *ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.*

Luc. 23. 41.

S. Gregor. hom. 37. in Evang.

5. Huic latroni pœnitenti, & sine mora à Crucifixo Salvatore exaudito adjungo B. Margaritam à Cortona peccatricem quidem, sed & seriò pœnitentem: Quæ ubi canis ductu in sylvam abducta fuit, ubi inter lignorum struem impuri lenonis sui cadaver vermibus scaturiens, & gravem expirans mephitim conspexit, fœditates antiquas & peccata sua summè detestans, plurimis lacrymis abluere cœpit; & quia aliud remedium ac perfugium non habuit nisi JEsum & hunc crucifixum, ad ejus sacratos pedes se abjecit, veniam delictorum & gratiam

Ferrarius in Catalog. SS. 22. Februar. & Nadasi eodem die.

ejus

ejus humillimis flagitans votis, ubi hanc vocem è cœlo audivit: *Non adhuc vocaberis filia, quia filia peccati es: Cùm verò à tuis peccatis per generalem confessionem purgata fueris, te inter filias numerabo.* Fecit confessionem generalem, ad quam se per octiduum dispositi, & ab eodem crucifixo Domino meruit audire: *Nunc filia mea es.* Paulò post, ubi mirabiles progressus in pœnitentia fecit, in Ecclesia Fratrum S Francisci, quia tertii ordinis habitum induerat, ante crucifixi imaginem ferventiùs orationi cum lacrymis insistens, Dominum JEsum de cruce loquentem audire meruit: *Quid vis misera?* At illa respondit: *Nil aliud præter te, Domine.* Tandem per veram ac sinceram pœnitentiam eò usque devenit, prout scribit Nadasius: *Quæ in latere crucifixi Cor JEsu intuita & complexa, sursum ab eo ferebatur in cœlum.* Collige ex hoc, quid sit fructus facere dignos pœnitentiæ, & quomodo crucifixus Dominus miseris & afflictis spes sit unica rebus.

6. Plura requiris de crucifixo Domino admiranda? Zamoræ in Castilia, prout refert F. Justinus & Joannes Lopez, accidit; cùm Fratres Religiosi in choro Completorium devotè cantarent, & exinde orationi mentali coram pia Crucifixi Salvatoris imagine incumberent, ut tota templi structura, quam fornicem appellant, contremere ac concuti cœperit; pauci hoc advertebant periculum, utpotè contemplationi intensiùs defixi. Tum clara vox ex dicta imagine crucifixi ad Fratres delapsa est: *Fugite Fratres.* Illi rati illusionem hanc esse serpentis antiqui, diutiùs in cœpta morabantur meditatione, Et ecce de novo, & altiori voce monet crucifixus Dominus: *Fugite Fratres*, ad quam vocem obstupefacti, trementes fugam arripiunt, vixque prostremus pedem è Choro extulerat, cùm ecce tota fornix templi corruit; ex quo præsentissimo periculo ubi Religiosi illi fuerunt divinitùs liberati, laudes Deo & crucifixo liberatori suo læto ac grato animo decantarunt; quæ imago illic locorum in hodiernum usque diem spectatur, multis prodigiis ac beneficiis in miseros mortales illustris.

F. Justinus ex Joan. Lopez & ex illis Bagatt. de Admir. Orb.

7. Hanc considerationem claudat Juvenis ille in sæculo à teneris delicatè enutritus, & exinde in Ordinem S. Francisci vocatus, in quo ubi duriusculè in Novitiatu haberetur, vehementer angi, & tandem in proposito remissior esse cœpit, proinde ad antiquas cepas & ollas carnium suspirabat. Accidit autem, cùm in Ecclesia coram crucifixi effigie ante abitum impensiùs oraret, ab eodem interrogaretur: *Cur fugam meditaris?* R. Ille, se imparem esse tam aspero vitæ generi, cui Dominus: *Respice manus tuas & pedes meos ac latus transfixum.* Fecit hoc Tyro, & in proposito sancto constanter usque ad finem perseveravit.

Wadingus tom. 2. Annalium ad annum 1253. n. 44.

CONSIDERATIO CXIX.

Christus Crucifixus vitis vera, fructu suo lætificans, & confortans cor hominis.

Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris. Eccli. 24. 23.

1.

NOn sine peculiari causa ipsa Sapientia Patris & Verbum incarnatum se viti assimilavit: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*: Et in novo testamento: *Ego sum vitis vera*; Supra quod egregiè Eminentissimus Cardinalis Toletus: *Viti*, inquit, *se Dominus comparat, ut per hanc passionem & crucem suam insinuaret*; Et Cornelius à Lapide: *Vitis*, ait, *fidelium omnium est Christus, ejusque passio.* Ad quod & arbores olim (non ligneus hic erat illorum conceptus) in comitiis suis collimarunt, dum inter sese statuerunt vitem in Regem suum eligere: *Veni, & impera nobis.*

Jo. 15. 1.

Judic. 9. 12.

2. Videamus nunc non incongruam Christum inter & vitem analogiam. Solet comprimis vitis non ut aliæ plantæ seminari, sed immediatè ab agricola terræ benè cultæ imponi, & ligone circumfodi, ex qua incrementum suum recipit, mirè crescit, atque dilatatur. Talis vitis, ait S. Bernardus, Christus Salvator est, qui non virili semine plantatus, sed in terra illa benedicta ac virginea ope Spiritûs sancti implantatus fuit; unde lemma huic mysticæ viti non inconcinnè appones: *Pura Genesis.*

3. Vitis tempore vernali cultro peracuto circumciditur, ubi amaras lacrymas ex accepto vulnere copiosè effundit; unde aliud lemma: *In lacrymis feracior.* En rursus perelegantem typum Christi JEsu in primo vitæ verè secundùm legem Mosaicam cultro lapideo circumcisi, ubi non tantùm sanguinem, sed & uberrimas lacrymas profudit: *Vagit infans inter arcta conditus præsepia*; Et iterum ad sepulchrum amici sui Lazari: *Et lacrymatus est JEsus.* Item in cruce: *Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Lc. 11. 35. Hebr. 5. 7.

4. Vi-

4. Vitis quoad lignum quidem indecora, sed tamen arbor longè fœcundissima est, quæ ubertate & dulcedine fructuum cæteras terræ plantas & arbores longo intervallo antecellit; unde lemma illi applicabis: *Dulcorem non speciem.* Audi Isaiam de Christo crucifixo vaticinantem: *Non est species ei neque decor &c.* Sed hoc ipsissimum crucis lignum, licet indecorum habeatur, innumeros tamen gratiarum fructus profert, & hactenus protulit, proinde rectè Ecclesia: *Sylva talem nulla profert, fronde, flore, germine.* Isa. 53. 2.

5. Vitis ulmo aut palo alligatur, ubi melius progerminat vinum, quod exinde in torculari expressum confortat & lætificat cor hominis, cui iterum pro lemmate adjicies: *Vertetur in gaudium.* Talis vitis est ChristusDominus palo & ulmo crucis alligatus, ubi copiosissimos dedit fructus, & in resurrectione sua omnibus versus est in gaudium.

6. Vitis quasi cum ulmo desponsatur, dum ulmus vitem sustentat & portat; Et econtra vitis foliis & fructibus abundans sterilem ulmum ornat, vestit & inumbrat; hinc lemma: *Pro fulcro porrigo fructus.* Vitis ista Christus, ulmus verò crux est, cui hæc divina innixa, & quasi desponsata est vitis, ubi uterque & Christus cruci, & crux Christo sibi extitit honori; unde non incongruè pro lemmate inscribes: *Honori invicem.* Audi Christianum Poëtam, qui Christi crucem ad Calvariæ montem bajulanti hoc distichon inscripsit:

Alternis præstant sibi crux & Christus honorem,
Nunc fers Christe crucem; Te quoque Christe feret.

7. Vitis odore suo gratissimo longè à se dispellit serpentes & venenata animalia; unde lemma: *Infesta infestis.* Christus crucifixus, tanquam vitis vera & summè odorifera, omnes tartareos longè à se propulsat & effugat serpentes, qui ad solum crucifixi aspectum longè ab umbra illius discedunt, & in fugam aguntur.

8. Vitis denique post progenitos fructus emoritur, & quasi defuncta tumulo infertur, ubi tempore veris de novo revirescere, & odoriferos grossos suos solet emittere; unde rectè pro epigrapha inscribes: *Renovata virebo.* Sic Christus Dominus, qui est vitis vera, ubi in cruce emortuus fuit, & sepulchro illatus, tertia die gloriosè reflorescere cœpit: *Refloruit caro mea. &c.* Psal. 27. 7.

Disce ex his, anime mi, naturam imitari vitis: *Ego*, ait Sapientia, *quasi vitis fructificavi suavitatem odoris*, vitis enim dum floret, suavem & gratissimum expirat odorem, & post flores nobilem præ cæteris producit fructum; Sic, inquam, & tu anime mi, ejusmodi vitis ac bonus odor Christi crucifixi esse studeas, ne aliquando id tibi contingat, quod Eccli. 24. 23.

Pro-

Propheta sub symbolo infructuosæ vitis ingratis quondam Judæis pro-
Ezechiel. 15. 4. posuit: *Quid fiet*, inquiebat, *de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum?* Et responsum fuit: *Ecce igni datum est in escam.* Ecce aut fructum aut ignem; hoc tibi applica, & dum tempus affulget salutis, maturè in rem tuam
Jo. 9. 4. vigila, quia *veniet nox, in qua nemo amplius poterit operari.* Tunc verifica-
Io. 15. 6. bitur illud Veritatis: *Si quis*, inquit, *in me*, hoc est in vite vera, *non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet*; Quam formidandam expendens sententiam S. Augu-
S. Aug. Tract. 18. in Ioan. stinus subjungit: *Ligna vitis*, ait, *tantò sunt contemptibiliora, si in vite non manserint, quantò glorioſiora, si manserint; quæ præcisa nullis agricolarum usibus prosunt, nullis fabrilibus operibus deputantur, unum de duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis; si in vite non est, in igne erit, ut ergo in igne non sit, in vite sit.* Proba ex te, ô mi Lector, an in hac divina vite sis, aliàs væ tibi.

Laur. Chrys. in Mundo Mar. & alii. 9. B. Bonfilius Fundator Ordinis Servitarum insignis per omnem vitam amator & cultor crucifixi JEsu ac dolorosæ ejus Matris extitit, unde meruit, cui B. Virgo Angelorum cincta choris appareret, & senio sancto fesso, mortique proximo Angeli illud Ecclesiæ pro commendatione animæ accinerent: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, offerentes eam in conspectu Altissimi &c.* Hic, inquam, talis ac tantus vir in horto suo plantaverat vitem, quæ brevissimo temporis intervallo inusitato prodigio in altum excrevit, & longè latéque palmites suos extendit; Et quod non sine miraculo evenit, die 25. Martii, hoc est in festo Annuntiationis B. V. Mariæ (quo die quondam Christus in utero Virginis à Spiritu sancto conceptus, & post 34. annos in cruce passus & mortuus est) non dumtaxat pulcherrimos flores, sed & uvam prægrandem, botrúmque dulcissimum protulit, ad indicandum Christiano orbi, quòd reverà JEsus crucifixus & SS. Mater ejus Do-
Eccli. 24. 23. lorosa fuerint præsignati per illam mysticam vitem, de qua Siracides: *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honestatis.*

10. Vitis, quia pretiosum ac generosum gignit liquorem, DEum lætificat & hominem, unde cùm quondam à cæteris arboribus in Re-
Iudic. 9. 13. gem eligeretur, respondisse fertur: *Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* Vitis ista in sensu allegorico Christum præsignavit crucifixum, qui in cruento crucis sacrificio DEum lætificavit & homines, dum pretiosissimum vinum, sacrosanctum Sanguinem suum, ad ultimam usque stillam ad redimendum non unum,
Io. 8. 56. sed infinitos mundos profudit: *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est.* Cœlum & omnes Angeli festum egerunt diem, ubi ovem perditam, genus humanum, viderunt per sanguinem

opti-

optimi illius Pastoris recuperatam, drachmam amissam inventam, & filium prodigum (tyum nostrum) ad frugem & salutem redeuntem, atque in Patris gratiam receptum &c. Sed & homines lætificavit, quia de supplicio damnationis æternæ ereptos cœlo inseruit. O vitem felicem: *Veni, & impera nobis*; non quærimus alium Regem nisi crucifixum. Judæi quondam in propriam suam conclamarunt perniciem: *Sanguis ejus super nos & super filios nostros.* Nos Christiani sub alia ratione clamamus: *Sanguis ejus super nos*, non ad interitum, sed ad salutem & vitam sempiternam. Et si vinum est sanguis terræ, hoc est: optima pars terræ, lætificans Deum & hominem; Plus Christus in cruce est, pars nimirum optima nostra, de qua Vates Regius: *Dominus pars hæreditatis mea & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi*; & in alio loco: *Quid enim mihi est in cœlo? Et à te quid volui super terram? Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Luc. 15. 10.

Matth. 27. 25.

Psal. 15. 5.

Psal. 72. 25.

CONSIDERATIO CXX.

Christus à Judæis reprobatus & crucifixus, factus est totius Ecclesiæ lapis angularis in resurrectione.

Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli. Psal. 117. 21.

1.

Mirabilem quondam visionem habuit Zacharias Propheta, qui, cùm nunc ageretur de reædificando templo Solymæo, à Chaldæis priùs destructo, lapidem quemdam grandem, pretiosum, cælatum, ac septem oculis insignitum conspicatus est, pro fundamento in illo magnificentissimo templo à Cyro collocandum: *Ecce, lapis, quem dedi coram Jesu: Super lapidem unum septem oculi sunt: Ecce ego cælabo sculpturam ejus, ait Dominus exercituum: Et auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Alludebat in hoc Za-

Zach. 3. 9.

charias ad primum & angularē lapidem, per dictum Cyrum Principem & Darium in novo templo pro basi ponendum, quem priùs architecti cælarunt, expolierunt, & principis benefactoris insignibus ornarunt, atque sic magnâ cum solemnitate in fundamentis collocarunt: Super quem lapidem reliquam exinde fabricam inchoabant, & ædificabant; liceat lapidi illi fundamentali ac primario pro lemmate inscribere:
Apoc. 1. 17. *Primus & novissimus.* Et hic est sensus litteralis, sed alium quærimus.

Per eundem lapidem à Castro Christum & hunc crucifixum subaudit, qui in passione multis incisionibus, plagis ac vulneribus, quasi lapis septem ocellis cælatus fuit. Audi in hunc locum Cornelium:
Cornel. in Zachar. 3. 9. *Christus*, inquit, *quasi lapis, cælatus fuit in passione, dum clavis, spinis & flagellis activè, tum vulneribus, plagis & vibicibus passivè, quibus totum corpus suum fodi, & aperiri voluit, ut immensam suam in nos charitatem intus latentem per has quasi rimas ostenderet, & effunderet, juxta illud: Cernis, ut in toto corpore sculptus amor.*

2. De Jacobo Patriarcha referunt sacræ Paginæ, quòd lapidem illum, super quo tam dulciter dormiebat, mirabilémque illam cœli scalam viderat, surgens de somno erexerit, erectúmque oleo inunxerit, ut esset monumentum perpetuum tam stupendæ visionis & apparitio-
Gen. 28. 18. nis divinæ: *Tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.*

S. Augustinus & alii per hunc lapidem allegoricè Christum subaudiunt, ille enim est lapis Ecclesiæ angularis, ut patet Ephes. 2. 20. ungens & unctus oleo exultationis præ consortibus suis: Lapis quidem, quem reprobarunt impii Judæi in passione, sed in sua glorioſa resurrectione factus est in caput anguli, quod non obscurè prævidit
Psal. 117. 21. Vates Jessæus, dum de illo vaticinatus est: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli: à Domino factum est illud, & est mirabile in oculis nostris.*

3. Hunc Scripturæ locum Christus ingratissimis Judæis objecit
Matth. 21. 42. paulò ante passionem suam: *Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Observa; de se ipso hic loquitur Christus, tanquam lapis vivus ac pretiosissimus, quem Judæi architecti Judaicæ Ecclesiæ, hoc est Sacerdotes, Scribæ & Pharisæi ut inutilem rejecerunt ad Synagogam suam ædificandam, qui tamen factus est, & positus ut lapis capitalis & angularis Sacræ Ecclesiæ Christianæ & Catholicæ, supra quem tota Ecclesiæ machina ædificata est.

Hoc

Hoc argumentum à Christo edoctus, summoperè urgebat Sanctus Petrus, ubi illum ab utero matris claudum ad speciosam templi portam in Hierusalem per virtutem SS. Nominis JEsu crucifixi erexit, & sanavit. Erant tunc in consilio præsentes Annas princeps Sacerdotum, Caiphas, Joannes, Alexander cum cæteris Senioribus, Scribis, & Legis Doctoribus congregati, & quotquot erant de genere Sacerdotali, quibus omnibus S. Petrus Apostolus in faciem objecit prædictum Davidis Regis de Christo vaticinium: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli, & non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. 11.

4. Hic est ille lapis, quo David insignis bellator & fundibularius adhuc in juventute sua Goliam immanem illum gigantem interemit: *Percussit Philistæum in fronte: Et infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem super terram.* Supra quem Scripturæ textum egregiè S. Augustinus: *Videte*, inquit, *fratres, ubi David Goliath percusserit, in fronte utique ubi crucis signaculum non habebat. Sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figurabat. Ipse est enim lapis vivus, de quo scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli &c.* 1. Reg. 17. 49. S. Augustinus serm. 191. de Temp.

Hic est ille lapis adjutorii, quem Samuel fidelis Propheta Domini, tamquam perenne monumentum ob obtentam à Deo contra hostes victoriam posuit & erexit: *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Maspbath & inter Sem: Et vocavit nomen loci illius lapis adjutorii.* Qui lapis à S. Cypriano vocatur *lapis auxiliator*, quia præsignavit Christum crucifixum, qui est lapis vivus adjutorii & auxiliator fortis. 1. Reg. 7. 12.

Hic est ille lapis, super quo Moyses orans, lassa sustentabat brachia, dum interim Josue contra Amalec pugnavit, & ab eo reportavit victoriam: *Cúmque levaret Moyses manus, vincebat Israel: Sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graves: sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum est, ut manus illius non lassarentur usque ad occasum solis; fugavítque Josue Amalec & populum ejus in ore gladii.* Exod. 17. 11.

Adverte. Per utrumque, tum Moysen extentis per modum crucis brachiis in monte orantem, tum per lapidem ad hoc cooperantem crucifixus Salvator noster præsignatus est. Ita S. Cyprianus. Hinc & David jubilans ait: *In petra exaltasti me. Et statuit super petram pedes meos: Petra autem erat Christus.* Ita Gentium Doctor Paulus. S. Cyprianus l. 2. contra Judeos c. 16. Psal. 39 3.

5. Videbat quondam Rex Nabuchodonosor in somno giganteam quandam ac mirabilem statuam, cujus caput ex auro optimo

erat, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. Et quid accidit? Subitò abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta est statua quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullúsque locus inventus est in eis: *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

Dan. 2. 35.

Observa: Statua hæc portentosa quatuor præsignabat monarchias & mundi imperia, quæ ab uno lapide de monte abscisso contrita sunt & eliminata. Lapis autem iste præfigurabat Christum & hunc crucifixum, abscissum de monte, id est, ait Tirinus, de B. Virgine, quæ instar montis omnibus præcellebat virtutibus & gratiis, , qui exinde lapis mysticus in cruce regnum diaboli & mundi non tam dejecit, sed & penitùs evertit, proinde in resurrectione sua *factus est mons magnus*, & petra refugii, supra quam fundata est universa Ecclesia.

6. O felix illa anima, quæ huic petræ innititur, & in ejus foraminibus suam habitationem quærit. Imitare proinde Sponsam illam dilectam, de qua sanguinum Sponsus crucifixus Dominus: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Observa: Columba agrestis non in columbariis, sed in rupibus & cavernis solet nidificare; Talis columba, vult dicere crucifixus JEsus, esto & tu, anima Christiana, nidificans per devotam meditationem in foraminibus petræ & in caverna maceriæ, hoc est, prout ait S. Gregorius, in quinque sacratissimis Christi Sponsi tui vulneribus; *Per foramina petræ*, ait, *vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur, quia cùm in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus. Sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit.* Imitare hanc Sponsam.

Cant. 2. 14.

S. Gregorius cit. à Cornel. in Cant. 2. 14.

7. *Lupus ad vesperam*, dicebat quondam Jeremias, alludens ad Nabuchodonosorem prædonem nocturnum, dum de nocte invasit & cepit Jerusalem; & quia sæviebat in Hebræos, instar lupi vespertini & famelici, qui de die ob metum venatorum dormit, & latet in antro jejunus, de nocte autem magnâ excitus fame, quasi rabidus ad prædam excurrit, nulli animalium & neque homini parcens; ita & Nabuchodonosor cum Judæis fecit. Vide Jeremiam c. 52. 7. Non est autem melius ac securius remedium ferocissimum à se abigendi lupum, prout testatur Pererius, & experientia probat, quàm duo lapi-

Jerem. 5. 6. Jerem. 52. 7.

des

des, quorum colliſionem & jactum formidans lupus, mox in fugam ſe recipit, quia ex ea parte, quâ lapide tactus eſt, verminare ſolet, & computreſcere, ac tandem perire.

Si te invadit lupus infernalis, anime mi, & prædo ille nocturnus te ad libidinem ſollicitat, citò apprehende lapidem, & projice in eum; Lapis autem iſte alius non eſt, quàm lapis angularis, ſupra quem ædificati ſumus, Chriſtus JEſus & hic crucifixus, ad cujus SS. Nominis invocationem ſine mora fugam arripiet. Imitare denique apiculam, quæ dum ad flores evolat, & interim ventus inſurgit vehementior, lapillum colligit, ut gravior fiat, & ſic vento poſſit reſiſtere. Si inſurgunt in te venti tribulationum &c. Collige lapidem angularem, principalem, crucifixum JEſum, & ſecurus eris.

CONSIDERATIO CXXI.

Cervus veneno & vulnere ſaucius, & ad fontem aquarum properans, typus Animæ ad Crucifixum anhelantis.

Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Pſal. 41. 2.

1.

DAvid Iſraelitarum Rex venationibus ſe ſæpius, prout ſolent Principes, exercens, bellisque aſſuetus, ſæpè à venatione & armis in Pſalmis ſuis comparationes ducit, unde & Pſalmum quadrageſimum primum à cervi venatione orditur: *Quemadmodum*, inquit, *deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Vult dicere David: Quanta velocitate & aviditate cervus poſt cruentas pugnas cum hoſtibus ſuis, ac præſertim poſt dilacerationem & comeſtionem ſerpentum ſiti æſtuans, ad fontium ac fluminum latices rapitur, ut vires reficiat, ſitimque reſtinguat: tantâ animus meus pernicitate inter tot adverſa & continuas pugnas Pſal. 14. 2.

erat, pectus & brachia de argento, venter & femora ex ære, tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. Et quid accidit? Subitò abscissus est lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta est statua quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullúsque locus inventus est in eis: *Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.*

Dan. 2. 35.

Observa: Statua hæc portentosa quatuor præsignabat monarchias & mundi imperia, quæ ab uno lapide de monte abscisso contrita sunt & eliminata. Lapis autem iste præfigurabat Christum & hunc crucifixum, abscissum de monte, id est, ait Tirinus, de B. Virgine, quæ instar montis omnibus præcellebat virtutibus & gratiis, , qui exinde lapis mysticus in cruce regnum diaboli & mundi non tam dejecit, sed & penitùs evertit, proinde in resurrectione sua *factus est mons magnus*, & petra refugii, supra quam fundata est universa Ecclesia.

6. O felix illa anima, quæ huic petræ innititur, & in ejus foraminibus suam habitationem quærit. Imitare proinde Sponsam illam dilectam, de qua sanguinum Sponsus crucifixus Dominus: *Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ.* Observa: Columba agrestis non in columbariis, sed in rupibus & cavernis solet nidificare; Talis columba, vult dicere crucifixus JEsus, esto & tu, anima Christiana, nidificans per devotam meditationem in foraminibus petræ & in caverna maceriæ, hoc est, prout ait S. Gregorius, in quinque sacratissimis Christi Sponsi tui vulneribus; *Per foramina petræ*, ait, *vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceriæ vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim. Et bene columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur, quia cùm in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus. Sic simplex anima in vulneribus nutrimentum, quo convalescat, invenit.* Imitare hanc Sponsam.

Cant. 2. 14.

S. Gregorius cit. à Cornel. in Cant. 2. 14.

7. *Lupus ad vesperam*, dicebat quondam Jeremias, alludens ad Nabuchodonosorem prædonem nocturnum, dum de nocte invasit & cepit Jerusalem; & quia sæviebat in Hebræos, instar lupi vespertini & famelici, qui de die ob metum venatorum dormit, & latet in antro jejunus, de nocte autem magnâ excitus fame, quasi rabidus ad prædam excurrit, nulli animalium & neque homini parcens; ita & Nabuchodonosor cum Judæis fecit. Vide Jeremiam c. 52. 7. Non est autem melius ac securius remedium ferocissimum à se abigendi lupum, prout testatur Pererius, & experientia probat, quàm duo lapi-

Jerem. 5. 6. Jerem. 52. 7

des

des, quorum colliſionem & jactum formidans lupus, mox in fugam ſe recipit, quia ex ea parte, quâ lapide tactus eſt, verminare ſolet, & computreſcere, ac tandem perire.

Si te invadit lupus infernalis, anime mi, & prædo ille nocturnus te ad libidinem ſollicitat, citò apprehende lapidem, & projice in eum; Lapis autem iſte alius non eſt, quàm lapis angularis, ſupra quem ædificati ſumus, Chriſtus JEſus & hic crucifixus, ad cujus SS. Nominis invocationem ſine mora fugam arripiet. Imitare denique apiculam, quæ dum ad flores evolat, & interim ventus inſurgit vehementior, lapillum colligit, ut gravior fiat, & ſic vento poſſit reſiſtere. Si inſurgunt in te venti tribulationum &c. Collige lapidem angularem, principalem, crucifixum JEſum, & ſecurus eris.

CONSIDERATIO CXXI.

Cervus veneno & vulnere ſaucius, & ad fontem aquarum properans, typus Animæ ad Crucifixum anhelantis.

Quemadmodùm deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Pſal. 41. 2.

1.

DAvid Iſraelitarum Rex venationibus ſe ſæpius, prout ſolent Principes, exercens, belliſque aſſuetus, ſæpè à venatione & armis in Pſalmis ſuis comparationes ducit, unde & Pſalmum quadrageſimum primum à cervi venatione orditur: *Quemadmodum*, inquit, *deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus.* Vult dicere David: Quanta velocitate & aviditate cervus poſt cruentas pugnas cum hoſtibus ſuis, ac præſertim poſt dilacerationem & comeſtionem ſerpentum ſiti æſtuans, ad fontium ac fluminum latices rapitur, ut vires reficiat, ſitimque reſtinguat: tantâ animus meus pernicitate inter tot adverſa & continuas pugnas Pſal. 14. 2.

cum hostibus, ac serpentibus infernalibus ad fontem vivum anhelat, ut in Deo bonorum & gratiarum omnium fonte novas recipiat vires.

Tali affectu, animæ Christianæ, & nos ad fontem vivum, crucifixum JEsum, & ad sacratissima ejus feramur vulnera, ut à peccatis nostris sanemur. Audiamus plura.

Probat experientia,

2. Cervus crucem in medio gerit pectoris, habet enim in corde carneo duo ossicula in modum crucis disposita: tales & nos simus, crucem Domini nostri JEsu Christi jugiter in corde nostro circumferentes. Talis fuit S. Lucas Evangelista, patriâ Antiochenus, professione Medicus, pictor & Amanuensis B. V. MARIÆ, ac tandem S. Pauli Ap. peregrinationis socius, de quo Ecclesia in oratione illius Festi: *Qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit*; donec tandem in Bithynia Evangelicam legem promulgans, pro Magistri sui crucifixi amore & ipse ex olea fuerit suspensus anno ætatis 80. Cujus corpus & tumbam olim Paduæ in templo S. Justinæ V. M. caput autem Romæ in Vaticano S. Petri, & brachium dextrum, quo S. Evangelium scripsit, ad S. Mariam Majorem veneratus sum.

Brev. Rom 18. Octobr.

Sic, inquam, & nos cum cervo, imò cum S. Luca assiduò crucis mortificationem in corpore & animo nostro circumferamus: *Si comedis*, ait Hen. Harphius, *intinge buccellas in plagas JEsu, si bibis, memento fellis, quo in cruce potatus est, si manus abluis, memento sanguinis, quo animam tuam lavas, si cubitum concedis, finge tibi crucis lectulum, & caput tuum super pulvinar corona spineæ reclina &c.*

Hen. Harph. in Schol. sap. t. 1. c. 5.

3. Cervus inimicus est viperarum & serpentum maximus, quos halitu suo ex latebris evocat, ac devorat: *Trahit cervus*, ait S. Basilius, *è cavernis animalia venenata latentia: Ubi cervi præsentia est, omnium ibi serpentum malitia fugatur, odorem enim cervi nulla ferunt animalia venenata*; Et rationem addit, *quia cervus nullo veneno serpentis ladi potest.*

S. Basil. in Ps. 41. 2.

Christum considera, mysticum illum cervum, fatigatum ex itinere, & ad fontem Sichar sedentem, ut viperam venenatam (Mulierem Samaritanam, Photinam nomine) ad meliorem frugem reduceret: *JEsus autem fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem, quasi horâ sextâ.* Observa, *hora sexta*, ait S. Antonius Pad. *erat illa hora, quando JEsus sedit in fonte misericordiæ super crucem.* Habent hìc sacerdotes omnes, præsertim curati, quomodo & ipse debeant devorare peccata populorum, & quidem cum cervo sine damno, imò cum emolumento maximo: *Peccata populi mei commedent.*

Jo. 4. 6.

Oseæ 4. 8.

4. Cervus est acerrimi auditûs, dum enim fistulam, vel cantum audit pastoris, aures erigit, & multùm in ejusmodi, licet rusticâ mu-

sicâ

sicâ delectatur: Sic & nos aures nostras ad Dei vocantis vocem, & ad verbum divinum, ubi Christus & hic crucifixus prædicatur, erigamus: *Beatus, qui audit verbum Dei.* Luc. 11. 28.

Cervus animal velox est, sed & pavidum, dum ad quemlibet strepitum fugit, & latebras suas quærit: Sic & *beatus homo, qui semper est pavidus*; Et beatus vir, qui timet Dominum. Prov. 28. 14.

Cervus, licet armetur cornibus, fugâ tamen magis, quàm pugnâ sibi consulit, unde Plinius: *Urgente vi canum ultrò confugit ad hominem*, de quo possum esse testis ocularis, quia similis mihi casus aliquando in venatione contigit. Sic fugiamus & nos omnem malam occasionem, & dum instat periculum à mundo, carne & diabolo, recipiamus nos ad Deum & hominem crucifixum JEsum: ita S. Augustinus: *Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm me premit caro mea, recordatione Vulnerum Domini mei resurgo. Cùm diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Domini mei, & recedit à me-* S. Augustinus in Man.

Cervus ex pugna & cursu fessus se lavat in fonte, aut flumine: *Christus*, ait S. Bernardus, *nobis est fons, unde lavemur, qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*; unde vates Regius: *Apud te est fons vitæ.* Et cur non, obsecro, ô peccatores miserrimi, ad hunc gratiarum fontem anhelatis: *Lavamini, mundi estote*, pro vobis enim mortuus est in cruce. S. Bern. ser. 1. de Nativit. Psal. 35. 10. Isa. 1. 16.

5. Cervi felle carent, prout ait Aristoteles: ita & homo Christianus omni felle amaritudinis erga proximum carere debet; hinc Christus, licèt esset in summis tormentis, fel tamen bibere non voluit: *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum, & cùm gustasset, noluit bibere*, ut doceret nos omnia in calice, quem nobis porrigit Pater, esse mellea, & justos compleri gaudio, ac singulari solatio etiam in mediis tribulationibus. S. Paulum consule: *Superabundo gaudio, in omni tribulatione nostra.* Arist. l. 2. hist. animal. c. 15. Matth. 27. 34. 2. Cor. 7. 4.

Cervus, ait Plinius, febrium morbos non sentit, quin & medetur huic timori & infirmitati: Christus sanus socrum Petri: *Tetigit manum ejus, & dimisit eam febris.* Supra quod S. Ambrosius: *Febris nostra, avaritia est: febris nostra libido est: febris nostra luxuria est: febris nostra ambitio est.* Anime mi! si simili febri laboras, vade ad crucifixum JEsum tuum, & medelam invenies. Matth. 8. 15. S. Ambr. in c. 4. Luc.

Cervi proles suas mirabili cursu & saltu exercere solent, dum eas ad prærupta ducunt, saltum monstrant, & fugam meditari docent, prout refert Plinius. Ita fecit Christus, cervus noster mysticus ac matutinus, de quo S. Gregorius: *Ecce iste venit saliens in montibus. Veniendo quippe ad redemptionem nostram, quosdam, ut ita dicam, saltus dedit. Vultis, fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? De cælo venit in uterum, de utero venit* S. Gregorius hom. 29.

in

in præsepe, de præsepe venit in crucem, de cruce venit in sepulchrum, de sepulchro rediit in cœlum. Mirabiles saltus. Disce & tu, anime mi, de virtute transire in virtutem: *Sic curre, ut comprehendas.*

1. Cor. 9. 24.

6. Cervi sese mutuâ diligunt charitate, dum unus alteri in necessitate præsto est; cùm enim maria ac flumina ad meliora invenienda pascua transnatare discupiunt, gregatim sese ad ripam congregant, ubi primus ac fortissimus illorum in undas se mittit, cæteris pulcherrimo ordine sequentibus, ac capita sua præcedentium tergis imponentibus, & sic mutuo auxilio feliciter ad portum perveniunt. Ita S. Augustinus: *Cùm fretum ad insulam transeunt pascuorum gratiâ, sic se ordinant, ut onera capitum suorum, quæ gestant in cornibus, super invicem portent, ita ut posterior super anteriorem cervice projectâ caput collocet.* Discite ô mortales omnes vel à cervis ac brutis animantibus mutuam inter vos habere, & conservare charitatem: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Ecce præcessit nobis exemplô Crucifixus Dominus, crucem suam supra humeros hajulans, & cornua habens in manibus suis. Eja sequamur fratres, Crucifixum Ducem nostrum per hoc mare magnum & spatiosum hujus mundi, donec cum illo ad felicem æternitatis portum perveniamus; unde S. Ignatii Ep. & Martyris votum erat: *Paratus sum ad ignem, ad bestias, ad gladios, ad crucem: tantùm ut Christum videam Salvatorem meum, & Deum, qui pro me mortuus est.*

S. Aug. l. 8. quæstionum quæst. 71.

Gal. 6. 1.

S. Ignat. M. ep. 4. ad Tharsenses.

7. Coronidem huic considerationi imponat S. Hubertus ex nobilissima familia in Aquitania natus, cui adhuc Gentili & venationibus assueto in sylva miræ magnitudinis cervus, ex latebris erumpens, apparuit, & inter cornua Christus Crucifixus, qui eum sic allocutus est: *Quamdiu Huberte, in captandis feris occupaberis? Deum tuum cognosce, illum ama, ut in æternum eo potiaris.* Ad quæ verba quasi fulmine tactus cecidit Hubertus, illa Sauli posteà Pauli verba identidem ingeminans: *Domine quid me vis facere?* Misit illum Dominus ad S. Lambertum, à quo in fide Catholica instructus fuit, ac tandem Episcopus Tungrensis factus, cujus memoria tertio Novembris in Martyrologio Romano agitur.

Surius, Lyræus & alii plures.

Felix, qui vocem Domini non surda pertransit aure.

CON-

CONSIDERATIO CXXII.

De immensa Christi charitate, dum in ara Crucis pro salute nostra voluntariè se offerre voluit.

Oblatus est, quia ipse voluit. Isa. 53. 7.

1.

MAgna erat illa charitas, quâ Moyses quondam populum suum prosecutus est, pro cujus salute ipse de libro viventium à Deo deleri, & expungi voluit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Ecce Moyses non corpus tantùm, sed & animam pro populo suo devovit. Magna, inquam, hæc erat charitas. Exod. 32. 31.

Similis Moysi fuit S. Paulus Apostolus, qui pro Hebræis fratribus suis fieri anathema à Christo optavit: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo, optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Rom. 9. 3.

Verùm longè major erat illa charitas, quâ Christus nos dilexit: illorum enim erat solùm in affectu, Christi verò in affectu & simul in effectu, dum in cruce fieri pro nobis voluit maledictum, ut nos à maledicto & inferno liberaret: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Ex quo abundè patet, quàm immensâ nos charitate dilexerit: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me;* Supra quod egregiè S. Bernardus: *Quia eâdem charitate, quâ mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis.* Audi plura. Gal. 3. 13. Gal. 2. 20. S. Bern. serm. 42. in Cant.

2. Sancta Birgitta Septentrionis Regina sanctissima audierat aliquando de Christi passione ac doloribus, quos pro peccatis nostris pertulit, concionem insignem ac devotam; in sequente nocte apparuit illi pientissimus Dominus ac Redemptor noster Christus, totus sanguine purpuratus, atque in ea specie, sicut quondam in cruce pependit, ad Birgittam dicens, *Intuere vulnera mea*, ad quod cruentum & lamen- Surius in ejus Vita 23. Julii.

lamentabile spectaculum Regina illacrymans: *Heu*, inquiebat, *mi Domine, unde tibi modò hæc vulnera?* Cui ille: *Ita me etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores*, qui non æstimant, neque perpendunt, qualia ac quàm indigna pro ipsorum salute pertuli; unde fit, quòd post tot confessiones denuò prolabantur plerumque in antiqua peccata: *Crucifigentes sibimetipsis Filium Dei; & ostentui*, ac contemptui *habentes.* O cæli obstupescite! hoc homo Christianus?

Hebr. 6. 6.

Lud. Blos. in Monili Spirit. cap. 1.

Aliâ vice Christus Dominus ad eandem sanctam Reginam contestatus est: Ego sum charitas summa, nam omnia, quæ ab æterno feci, & quæcunque facio, ac in futurum faciam, similiter ex mea charitate procedunt, procedéntque. Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis ac incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis, quando per mortem ex nimia charitate liberavi omnes electos. Et si fieri posset, ut toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate & perfectissimâ charitate corpus meum traderem, eandémque passionem ac mortem pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus. O extasin amoris!

Idem loc. cit.

Et hoc idem edocuit Christus Salvator noster S. Gertrudem, quòd homo attendens imaginem crucifixi JEsu, in corde suo existimare debeat, ipsum Christum blandâ sibi voce dicere: *En vides quomodo causâ tui amoris pependerim in cruce nudus, despectus, totóque corpore vulneratus, ac per singula membra distentus! Et adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te efficitur, ut si saluti tuæ expediret, alitérque salutem æternam consequi non posses; vellem pro te sola tolerare omnia, quæ pro toto mundo toleravi.* Vade nunc, & pondera hoc pondus ignis, quàm immensa sit charitas Christi JESU crucifixi erga te! Et tu quid hactenus pro illo? Audi fulmen Doctoris Gentium: *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

1. Cor. 16. 22.

3. Ut autem infinitam hanc Filii Dei in nos charitatem magis capiamus, & irreconciliabile contra peccatum odium concipiamus, consideremus animo, quòd apud Patrem non solùm vadem pro peccatoribus se stiterit, sed & peccata nostra in corpore suo eluenda susceperit; hinc rectè Christo sub ictu flagellorum posito, vel cruci jam affixo illa Sapientis verba accomodes; *Tolle vestimentum ejus, qui fidejussor extitit alieni, & pro extraneis auser pignus ab eo.* Supra quod Cornelius: *Christus* inquit, *spondens pro debito & culpa extranei Adæ, & hominum peccatorum à Deo alienorum, spoliatus fuit vestibus & stragulis, adeoque nudus planè pependit in cruce, in eáque velut in lecto mortis obdormiit.*

Prov. 20. 16.

Jacob. Salian. de Timore Dei l. 5. c. 21.

4. Audi, & considera de hac veritate typum perelegantem. Venit Peregrinus quidam in peregrinatione sua longinqua ad regni ali-

cujus

cujus metropolim, ubi cùm bene manè pararet egressum, nuntiatur omnes civitatis portas esse obseratas, omnibus compitis ac plateis geminata præsidia. Cúmque omnes attoniti inquirunt, quid dies illa parturiat, apparet majore in plateâ excitatum theatrum, pullo peristromate undique convestitum. Populus magistratum rogat, quid sibi velit hic lugubris apparatus? Ille populum amandat ad regiam; ubi rursum interrogat, an quo supplicio vir aliquis insignis afficiendus sit, ùt hæc nova rerum facies significat. Responsum accipiunt Regem eo die capitale, planéque horrendum exercere judicium: De quo? inquiunt; illi cum alto gemitu, de unigenito filio suo. Attoniti cives circumspicere sese, atque obmutescere, móxque receptâ voce: Oportet igitur regium hunc adolescentem attentati parricidii reum esse, nihilque ullo in facinore intentatum reliquisse. Tantùm abest, ait palatina custodia; Princeps est observantiâ in parentem, benignitate in subditos, pietate in Superos, innocentiâ in omnes singulari. Princeps, quo neminem Dei donis cumulatiorem sol videt in terris. Hic cives: necesse est ergo parentem illum omni barbarie ac feritate diriorem, neque par unquam monstrum furiali partu effusum in lucem. Imò contra, inquit præsidium, nemo clementior, nemo ad misericordiam adversùs delinquentes propensior.

Quæ ergo causa est tam horrendæ, tam luctuosæ, tam sæculis omnibus inauditæ tragœdiæ? Ecquid tandem potuit talem Patrem adducere ad mortem tali filio decernendam? ad capitale supplicium carnificis manu unigenito filio statuendum? Nimirum, ajunt, Regius hic juvenis, qua est in omnes humanitate & clementiâ, unum de sontibus emisit ex carcere, tanto cum parentis dolore ac stomacho, ut ejus loco velit filium unigenitum, alioquin innocentissimum, fractis cervicibus pœnam luere capitalem &c.

5. Adeamus nunc animo Jerosolymam, sub illum ipsum diem, qui Christum in cruce patientem vidit, & luxit. Civitas in armis est universa, populus stupet attonitus, tota terræ facies atrâ eclipsi divinitùs obnubitur, astra lumen mundo negant, cœlum gemit, lapides dissiliunt, sepulchra sponte panduntur, omnia elementa turbantur, funestum crucis theatrum in monte Calvario erectum est; cui tandem fini? Dicent Angeli ejus; Rex cœli & terræ, ille *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis* hodie cruci suffigit unigenitum Filium suum. At quem Filium, Deus immortalis, quem Filium? Exemplar innocentiæ & sanctitatis, *agnum sine macula*, gloriam humani generis, Electorum omnium caput, delicias amabilissimas parentis sui. Agit autem in crucem, ùt apparet, tam invitus, ut vestimenta sua ex animi

2. Cor. 2. 3.

Levit. 9. 3.

Marc. 15. 38. dolore dilaceret (nam *velum templi scissum est in duo à summo usque deorsum*) & justitiam indicat orbi terrarum universo. Dices, & quod tandem est hujus agni scelus? Audi terra quæ loquor: Adamum mortis reum eduxit è carcere: Judex vicariam ejus mortem petit, & innocentem luere vult, quod admisit nocens: *O felix Adæ peccatum, quod talem ac tantum meruit habere Redemptorem.*

Ecclesia in Sabb. S.

6. Si hæc te non movent, anime mi, rupe & caute Marpesiâ durior es. Eunuchus ille Reginæ Candacis, homo Gentilis & Abyssinus, ubi nunc regnat Preto-Joannes, nullam Christi & Evangelicæ legis habebat notitiam. Legerat is in via Isaiam Prophetam: *Tanquam avis ad occisionem ductus est*, quod totum Capitulum 53. de Christo patiente, & Crucifixo agit; ubi per raptum supervenit Philippus Diaconus, eique Christum & hunc crucifixum prædicavit, sine mora ab illo ardentissimo zelo commotus, baptismum petiit: *Credo Filium Dei esse* JESUM *Christum &c.* De quo Eunucho ulteriùs scribit S. Hieronymus, quòd postea factus sit Æthiopum & Abyssinorum Apostolus, & ibidem Christi crucifixum instanter prædicaverit, ac tandem martyrii coronâ fuerit decoratus. Hoc potuit unica seria cogitatio ac meditatio de amore Christi crucifixi efficere. Et tu homo Christiane, adhuc stas immotus? Repeto sententiam S. Pauli: *Si quis non amat Dominum nostrum* JEsum *Christum, anathema sit.*

Act. 8. 32.

1. Cor. 16. 22.

CON-

CONSIDERATIO CXXIII.

Grata memoria crucifixi JEſu prædeſtinationis noſtræ indicium & ſignum.

Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui. Rom. 8. 29.

1.

HEbræis quondam, cùm per Arabiæ deſertum per varias viarum ambages in Palæſtinam proficiſcerentur, columna nubis & ignis viam ſecuriſſimam monſtravit, quâ duce & comite feliciter tandem inter innumera pericula ad terram deſiderabilem pervenerunt: *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut dux eſſet itineris utroque tempore.* Exod. 13. 21.

Quod olim Iſraelitis hæc columna nubis & ignis fuit, hoc nobis Chriſticolis eſt crucifixus JEſus, qui in nube, hoc eſt in humanitate ſua nobis inumbrat, & in cruce, tanquam in ignea columna præcedit, monſtrans omnibus tutam ac regiam viam, per quam ſecuri ad æternam poſſumus patriam pervenire: *Chriſtus*, ait Cornelius, *eſt nubes, quà homo, & ignis quà Deus*; Et D. Hieronymus: *Crux Chriſti*, inquit, *humani generis columna eſt*, quæ viam rectam nobis ad cœleſtem patriam monſtrat; beati, qui illam ſequuntur: *Semper*, ait S. Chryſoſtomus, *crucem habe ante oculos tuos radiantem, & purus à peccatis per id tempus abibis; nam ſicut columna nubis, figura noſtræ crucis, Hebræorum multitudinem protegebat, ne quid mali ab Ægyptiis pateretur, ita crux ante oculos viſa omnem abigit malam voluptatem &c.* Cornel. hic S. Hieron. in Pſal. 95. S. Chryſoſt. ſerm. de Joſeph.

2. Vidit aliquando Ezechiel Propheta ſex Angelos à DEO in Jeruſalem ſubmiſſos, ut ſcelera iniquorum, tanquam Adminiſtri juſtitiæ vindicarent, & omnes illos, ſuper quos ſignum Thau non inveniretur, è medio tollerent: *Tranſite per civitatem, & percutite: non parcat oculus veſter, neque miſereamini: Senem, adoleſcentulum & virginem, parvulum & mulieres interficite uſque ad internecionem; Omnem autem, ſuper quem videritis* Ezech. 9. 5.

Thau, ne occidatis. Et Ecce, dum hoc decretum divinum nunc executoni esset mandandum, adest in tempore alius cœlestis genius, vestitus lineis, & atramentarium scriptoris ad renes ejus, qui pios in Jerusalem, & peccata populi lugentes, signo Thau in fronte notavit, qui soli in medio hujus cruentæ cædis fuerunt servati immunes.

S. Hieron. & alii plures apud Cornel.

Quæres hìc, quid per signum Thau fuerit præsignatum? Respondet S. Hieronymus & communiter SS. Patres, quod hoc signum Thau figura fuerit SS. crucis, ut significaretur, nos per crucem Christi Domini à morte, à gehenna, ac dæmonum tyrannide liberandos, præsertim illos, qui crucem Christi fronti & animo imprimunt. Ex quibus colliges, crucem esse signaculum & tesseram amicorum, prædestinatorum & electorum Dei: *Usque adeò*, subintrat hìc S. Augustinus, *de cruce non erubesco, ut non in occulto loco habeam crucem Christi, sed in fronte portem*; Crux enim à loco suppliciorum fecit transitum ad frontem Imperatorum. Unde S. Agnes V. & M. virili animo Romæ ad tyrannum dixit: *Posuit signum in faciem meam, ut nullum præter eum* (Christum) *amatorem admittam*: Et quale signum? hoc est, signum crucis, quasi diceret: Gero signum crucis in fronte, ut omnibus ostendam, etiam in medio tribulationum, me esse servam, sponsam & ancillam Christi crucifixi. Et tu, amice Lector, quale signum tu geris in fronte & in corde? Et nunquid tale? ô te beatum, si hoc signo salutis signatus es.

S. August. in Psal. 141.

S. Ambros. serm. 98.

3. Ad S. Joannem dilectum Domini discipulum venio. Vidit is jam in primitiva Ecclesia quatuor Angelos stantes super quatuor orbis partes, tenentes quatuor terræ ventos, ne flarent super terram, donec Dei voluntate cognitâ eos laxarent ad flandum. Interim supervenit & alius Angelus, ascendens ab ortu solis, habens signum Dei vivi, & clamans magna voce ad quatuor illos Angelos: *Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoad usque signemus servos Dei in frontibus eorum.* Quæres hìc quodnam hoc Dei signum fuerit tam potens, ut, qui illo signabantur, in communi illa & extrema calamitate non perierint?

Apoc. 7. 3.

Lyr. lib. 6. c. 13.

R. Hadrianus Lyræus & communiter alii, hoc signum Dei vivi esse non aliud quàm crucem Domini nostri JEsu Christi: *Crux enim est signum electorum, vitæ tessera, & sempiternæ arrhæ beatitudinis.* O felices illi, qui hoc salutari signo sunt signati, qui hìc in vita crucifixo Redemptori suo fideliter inservierunt, & se illi conformarunt, qui etiam in morte stabunt consolati & impavidi, quia prædestinati sunt ad vitam sempiternam: *Nam quos præscivit*, ait Apostolus, *& prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Observa: *Conformes fieri.* Quis ergo abhorreat, aut fugiat crucem, per quam conformamur Filio Dei & Christo crucifixo?

Rom. 8. 29.

4. Ha-

4. Hactenus ex Scriptura. Progrediamur ad exempla: Refert Æneas Sylvius, qui postea à Cardinalibus creatus Pontifex Maximus, vocatus est Pius II. de S. Wenceslao Bohemiæ Rege ac Martyre, quòd adolescens in aula Ottonis Imperatoris inter cæteros proceres vitam duxerit angelicam; Et quia à nonnullis principibus ob vitam tam religiosam despiciebatur, cruce aureâ divinitus signatus, ab Angelis ad Imperatorem perductus est, quo viso salutis signo Imperator de throno surgens, venerabundus Wenceslao obviam venit, eúmque peramicè amplexatus, in suum consessum recepit, ac brachio S. Viti M. aliisque magnis muneribus liberalissimè donavit. Æneas Sylv. hist. Bohem. c. 14.

S. Francisco Seraphico in lucem edito, & salutari baptismatis fonte nunc abluto, cùm domum à nutrice gestaretur, peregrinus quidam, seu potiùs Angelus humero dextro crucis signum impressit, & sic ad æternam vitam præsignavit; posteà vir factus, & Minorum à Deo præordinatus & constitutus Patriarcha signum crucis in modum litteræ Thau divinitùs ejusdem fronti fuit impressum. Quaresm. tom. 5. consid. 4.

Hoc signo Thau, seu signo crucis in fronte signatus fuit, & R. P. Henricus Garnettus S. J. in Anglia M. Hic, ubi die tertia May, hoc est, in festo inventionis S. Crucis anno Christi 1606. pro fide Catholica ultimum obiret supplicium, unus, qui aderat, spectator Catholicus ex stramine corpori Martyris substrato spicam sanguine purpuratam sustulit, quam cùm domi attentiori animo contemplatus est, in ea vividam venerabilis Patris imaginem invenit, & in fronte ejus crucem rutilantem. O quàm benè antiquissimus Origenes: *Gaudentes*, inquit, *hoc signum crucis levemus in frontes, quod dæmones cùm viderint, contremiscant. Nam si aurea capitolia non timent, crucem timent.* Cornel. in Apoc. 7. 3. Origen. hom. 8.

5. Et si placet ulteriùs progredi, alia percipiamus & consideremus exempla. Beatus Humbertus Confessor ex Cameracensi diœcesi ob integritatem vitæ ursos feroces sibi obedientes habuit, cervum ad se fugientem sub pallio suo à canibus in venatione protexit; fontem salubrem in arenti & arenoso solo excitavit; & cùm desiderio videndi, ac visitandi limina Apostolorum Romam veniret, atque in Oratorio S. Petri Ap. devotè orationi incumberet, Angelus de cœlo veniens, super verticem ipsius signum Dominicæ crucis, multis fidelibus hoc cernentibus, impressit, & sic ad beatam & cælestem vitam illum præsignavit. Surius 6. Sept.

B. Jacobus de Bevania vir excellentis virtutis, cùm sæpiùs magna animi anxietate torqueretur, an aliquando apud Deum in numero electorum & prædestinatorum esset collocandus, Crucifixi Salvatoris sui imaginem accessit, & dum impensiùs ibidem ad Dominum precibus Leander lib. 5. & alii.

bus insisteret; Res cunctis stupenda! effigies patientis Christi os suum aperuit, & clara voce ad eum dixit: *Jacobe, sanguis iste sit tibi in signum*, & dum hæc diceret Christus, continuò apertum est latus ejus, ex quo abundè sanguis prosilivit, ejus vultum, os, & vestes purpurans; proinde præ insolito gaudio exultans, exclamavit cum Apostolo: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.*

Nic. Jansenius & Alphonsus Diacon. de signis S. Crucis c. 20.

6. Hoc prædestinationis signo tum in vita, tum in beata morte signatus fuit & B. Jordanus, natus Saxo ex sacra familia S. Dominici, & posteà Magister Generalis, vir & singulari doctrinâ ac sanctitate conspicuus, cujus meritis panis fuit multiplicatus, & vinum corruptum restauratum, ad cujus imperium mustella ei paruit, ac plura alia patravit prodigia; Et ecce dum iter in Palæstinam cum duobus Sociis parat, ut loca sanguine pretioso Christi Domini purpurata, & simul aliqua monasteria, tanquam Ordinis Generalis visitaret, è Germania profectus, navem in Italia conscendit, quæ, priusquàm ad optatum perveniret portum, propè Ptolomaidem & Acconem vi tempestatis ad scopulum allisa, confracta est, & ipse cum duobus prædictis Sociis pelago submersus, ad cœlestem portum evasit, anno Christi 1236. Verùm non defuerunt in hac pretiosa morte divina miracula; ne ergo sinistris interpretationibus daretur locus, subitò supra demortui corpus hujus Crucifixi amatoris plures lucidissimæ cruces apparuerunt, cujus meritis & plura contigerunt miracula, quo indicio permoti illius loci Christiani, eum cum 2. Sociis Anconæ honorificentissimè sepelierunt.

Blos. cap. 2. Monilis Spiritual.

Vides ex his, anime mi, prædestinationis tuæ signum? Si verus amator, cultor, & imitator crucifixi Redemptoris tui fueris, non te deseret in morte, qui pro te tam indigna in vita sua passus est: *Quoties*; dicebat quondam Dominus ad S. Gertrudem, *quis devotè crucifixum aspicit, toties amanter & ego eum respiciam.* O verba cedro, marmori, auro, imò in corde nostro inscribenda. Accede igitur cum magna fiducia ad hunc thronum gratiæ, ut misericordiam consequaris. Dic sæpiùs cum Psalte: *Aspice in me, & miserere mei.*

CONSIDERATIO CXXIV.

Signum S. Crucis fortissimum amuletum contra dæmones & præstigias.

Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo. Psal. 4. 7.

1.

CUm Deus populum suum Israel è durissima Servitute Ægyptiaca educere voluit, priùs illi mandavit, ut agnum immaculatum & anniculum vespere ad solis occasum immolaret, illiúsque sanguine postes domorum tingeret: *Et sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque postem & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum.* Facta est autem hæc sanguinis aspersio in hunc finem, ut Angelus omnes Ægyptiorum primogenitos percutiens, viso hoc signo, Israelitarum ædes relinqueret intactos, atque indemnes. Quæres hic, quale signum tunc Hebræi fecerint super utrumque postem? R. S. Cyprianus Signum T. quod erat figura crucis Christi, qui ritus exinde singulis annis in paschate observatus est. Exod. 12. 6. S Cyprianus lib. 2. c. 23. cont. Judæos.

Observa hic, anime mi, signum crucis jam tunc erat credentibus in Deum vitæ symbolum, proinde non immeritò Vates Jessæus cecinit: *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine: dedisti lætitiam in corde meo.* Supra quod Cassiodorus & Hesychius: *Vultus Patris*, inquiunt, *Christus est, quem qui videt, Patrem videt: Lumen autem Christi crux est, per quam orbem illuminavit, qui nos in fronte signavit.* Pergit autem Psaltes Regius: *Dedisti lætitiam in corde meo.* Et quæ hæc lætitia? *Ipsa crux*, ait LeBlanc, *quæ est lumen Christi, parit lætitiam, & tollit amaritudinem*; Et S. Damascenus: *Crux*, inquit, *salus animæ & corporis, omnium malorum aversio, bonorum omnium datrix*; Et S. Macarius: *Sacrosancta crucis signaculum omnem inimici enervat phantasiam.* En habes hic remedium contra omnes tentationes. Sed pergo ulteriùs. Psal. 4. 7. Le Blanc in Psal. 4. 7. S. Damasc. lib. 4. de fide cap. 12. In vita S. Macarii c. 20.

2. Saul, ubi Spiritus Domini ab eo recessit, & spiritus nequam eum exagitare cœpit, in summam tristitiam & melancholiam delapsus

est, quia factus est energumenus & dæmoniacus. Ad hoc malum levandum quæsitus est ab aulicis psaltes peritus, qui citharâ sua dulcisona ac gratâ musica animi illius excitaret affectus; Et ecce ubi David *tollebat citharam, & percutiebat manu sua, & refocillabatur Saul & leviùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Res mira! Cur dæmon non potuerit sufferre sonum citharæ Davidicæ?

1.Reg.16.23.

℟. Venerabilis Beda & alii apud Cornelium, quod malus spiritus à Saule pulsus sit virtute crucis Christi futuræ, cujus typus erat citharа Davidis. Si ergo te infestat maledictus dæmon, si variis te tentat immundis, iracundis, superbis cogitationibus, apprehende hanc citharam, forma signum crucis in fronte, dicendo: *JEsus crucifixus sit in cogitationibus meis*; Perge ulteriùs formando crucem super os tuum, dicendo: *JEsus Crucifixus sit in cogitationibus meis*: Perge ulteriùs formando crucem super os tuum, dicendo: *JEsus Crucifixus sit in verbis meis*; Signa & cor tuum, dicendo: *JEsus Crucifixus sit in operibus meis*; Et videbis, quòd ad hunc mysticæ citharæ tonum omnis à te sit recessura maligna tentatio (Experto crede Ruberto) Audi S. Cyrillum: *Dæmones*, ait, *Regis supremi characterem hunc observantes, territi fugam arripient*, & in alio loco: *Crucem*, dicit, *fidelium esse gratiam, dæmonum verò terrorem.*

S. Cyrillus Catech. 4 Catech. 13.

3. Progrediamur ad aliam figuram, & videamus duellum Davidis cum Goliath, ad quod David non de aliis sibi providit armis quàm de baculo, quinque lapidibus & fundâ: *Cùm ergò surrexisset Philistæus, & veniret, & appropinquaret contra David, festinavit David, & cucurrit ad pugnam ex adverso Philistæi, & misit manum suam in peram, tulítque unum lapidem, & fundâ jecit, & circumducens percussit Philistæum in fronte, & infixus est lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem suam super terram &c.* Ex quo patet, quòd primo unius lapidis ictu in frontem vibrati turris illa carnea fuerit prostrata: Petiit autem David frontem gigantis, quia eâ perfractâ, necesse erat, ut & corpus stupidum & exanime in terram corrueret. Verùm non sine singulari mysterio hæc facta sunt: *Hæc autem omnia*, ait Gentium Doctor Paulus, *in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.*

1.Reg.17.48.

1.Cor.10.11.

Audiamus responsum S. Augustini: *Videte*, inquit, *Fratres, ubi David Goliath percusserit, in fronte utique, ubi crucis signaculum non habebat; sicut enim baculus crucis typum habuit, ita etiam & lapis ille, de quo percussus est, Christum Dominum figurabat &c.* Pergit exinde sanctus Ecclesiæ Doctor paulò inferiùs: *Quòd verò in fronte percussus est, hoc significabat, quod modo in nostris competentibus exercetur, quia quando Cathecumenus in fronte signatur, spiritalis Goliath percutitur, & diabolus effugatur: propterea & nos signum ipsum crucis in fronte portamus, quia illud intelligimus.*

S. August. serm. 197. de Temp.

4. Confirmemus hanc veritatem per exempla. Refert Cæsarius de Theodorico juvene Susarienſi, quòd Lubecum ad virginem, quam deperibat, contenderit, quæ tamen jam ab alio amatore præventa erat; quod audiens Theodoricus insanâ irâ percitus diaboli opem imploravit inclamans: *O diabole, qui me huc adduxisti, hinc etiam poteris reducere*; Et ecce mox adstat invitatus hospes tartareus, juvenem in aëra evehit, & supra civitatem asportans, tandem in terram juxta flumen projicit, dicens trepidanti: *Periisses, nisi te signasses*; quia in ipso raptu miser ille juvenis se signo S. Crucis munierat, quod ipsi adhuc saluti fuit. Quam bene igitur S. Ignatius Martyr & Episcopus; *Crucis signum*, inquit, *trophæum est contra mundi principis virtutem, quod videns expavescit, & audiens timet.* Cæsarius lib. 5. Mirac. c. 27. S. Ignat. M. epist. ad Philipp.

5. Bartholomæus Spineus Magister sacri Palatii, & Martinus Delrio recensent, quòd saga aliqua plusquam quinquagies cacodæmonis ope ex loco remoto ad certam domum fuerit advecta, ut maleficiis suis cuidam noceret infanti; sed quia prudens mater in lege Christiana optimè instructa, hanc prolem suam SS. crucis signo sedulò solebat signare, nunquam malefica illa domui & infanti nocere potuit: *Cùm videritis illos* (videlicet dæmones, dicebat quondam S. Augustinus ad discipulos suos) *tam vos, quàm domos vestras crucis armate signaculo, & confestim solventur in nihilum; quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator aëris expolians potestates, eas fecit ostentui.* Barth. Spin. de strigibus c. 17. Delrio disquis. Magic. lib. 2. qu. 16. S. Athanas. in ejus vita.

6. Memorabile illud est, quod de asino S. Reguli Episcopi Silvanectensis commemoratur. Cùm hic sanctus Antistes è Gallia in patriam rediret, in via à matrona quadam, cui nomen Gallicia, rogatus est, quatenus filium suum à dæmone obsessum, diréque cruciatum liberaret. Annuit S. Episcopus, & orationem Dominicam ac Symbolum Apostolicum super puerum recitans, in forma visibili cujusdam vespertilionis dæmonem abegit, qui vindictæ cupidus rectà asinum S. Præsulis petit, & in eum ingressum molitur; Verùm asinus hic prudentior diabolo, conspecto hoc Stygio vespertilione, citò dextro pede signum S. crucis in terra formavit, & quasi Deum sibi in adjutorem invocaret, capite in cœlum erecto, plùs solitô rudere cœpit, ad quod crucis signum sine mora hostis infernalis in fugam actus est. Notent hîc sibi osores & inimici crucis Christi, discántque vel à bruto asino hoc salutis signum venerari; hinc rectè D. Ambrosius: *In uno signo crucis omnium rerum est tuta prosperitas.* Vincent. Hist. 10. v. 29. S. Ambros. serm. 43.

7. Notissima est illa historia, quam narrat S. Gregorius de Judæo, qui imminente nocte obscurâ à civitate exclusus, in vetusto Apollinis fano pernoctare coactus est, qui, cùm undique à dæmo- S. Gregor. lib. 3. c. 7.

nibus infeſtaretur, SS. Crucis ſigno, quod priùs à Chriſtianis in periculis factitari viderat, ſe munivit, & illæſus evaſit, dum dæmones in fugam converſi ſuccłamarunt: *Vas vacuum, ſed ſignatum.* Juvat hìc audire S. Cyrillum Archiepiſcopum Hieroſolymitanum: *Non pudeat*, inquit, *nos Crucifixum confiteri, ſed in fronte confidenter ſignaculum crucis digitis imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, & in egreſſu & ingreſſu, ante ſomnum recumbendo, & ſurgendo, eundo & quieſcendo.*

S. Cyrillus Catech. 13.

8. Denique habemus præclarum exemplum in S. Juſtina V. & M. quam Cyprianus magus nullis artibus ac veneficiis ad ſui amorem & libidinis aſſenſum potuit pellicere; in quem finem per incantationes ſuas ſæpiùs dæmones immiſit, ut ſanctam illam Virginem ad reciprocum tentarent & excitarent amorem, ſed omnis eorum conatus fractus & eliſus eſt, dum virtute S. Crucis, quod ſignum Virgo formaverat, omnis caterva diabolica ſine mora in fugam converſa eſt; Quod videns Cyprianus, relictis magicis artibus ac cantionibus, totum ſe Chriſto dedicavit, & ſimul cum Juſtina præclaro martyrio coronatus eſt.

Surius 26. Septembr.

Ex quibus patet, quàm firma ſit protectio contra diaboli & maleficorum incurſus crux devotè in fronte, ore & pectore formata. Diſcant hìc mortales omnes, quomodo in cunctis tum corporis, tum animæ periculis debeant confugere ad hoc ſalutiferum crucis ſignum, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio noſtra.

CON-

CONSIDERATIO CXXV.

De affectu admirationis, quem unicus & pius Crucifixi JESU aspectus in nobis debet causare.

Domine, audivi auditionem tuam, & timui. Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud. Habac. 3, 2.

1.

CUm Prophetæ Habacuc à Deo quondam revelatum fuisset summum mysterium redemptionis & salutis nostræ humanæ per Christum venturum in cruce suo tempore adimplendum, observat Scriptura, quòd valde timuerit, & expaverit; Quid enim erat tam insolitum & pavendum quàm videre Deum & hominem Christum JEsum in crucis patibulo pendentem, & pro expiandis mortalium delictis tam horrenda, tam indigna patientem? O quàm magnum hoc erat pietatis divinæ Sacramentum, quod obstupescunt etiamnum Seraphini & Cherubini & creaturæ universæ! In quem finem notum illud carmen admirabundus composuit, & cecinit: *Domine, audivi auditionem tuam & timui. Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud*; Christus enim anno ætatis suæ 34. quæ vitæ humanæ media est, dum hæc censetur 70. annorum, pro nobis passus, crucifixus & mortuus est, ubi in medio latronum innocentissimus Redemptor in cruce medius pependit: *Et cum sceleratis reputatus est: Et ipse peccata multorum tulit.* Et quod magis admirandum, illud est, quòd jam tunc temporis intervallo, hoc est: Sexcentis annis ante Verbum incarnatum, sacratissimum nomen JEsu clarissimè prænominaverit, quod inter reliquos Prophetas nemo alius fecit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo JEsu meo.* Habac. 3. 2. Isa. 53. 12. Hab. 3. 18.

2. Et pergit idem Propheta: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Et quænam, dices, hæc erant cornua, de quibus vaticinatus est Propheta? Respondent SS. Patres, quos citat & sequitur Cornelius: Cornua Christi erant crux, clavi & SS. Vulnera ejus, quæ

omnia ubi in spiritu Vates ille prævidit, exclamavit: *Timui*, timore nimirum reverentiali, vel ùt alii legunt: *Expavi, extra me factus sum* præstupore & summa admiratione, quia illius superabat ingenii capacitatem considerando hinc divinæ Personæ dignitatem, illinc supplicii & pœnæ acerbitatem & amoris magnitudinem. Fuerunt igitur illa crucis cornua Christi arma, quibus suos & nostros debellavit inimicos, quibus lytrum solvit pro nostris delictis, nobisque meruit gratiam & æternam salutem: *Ibi abscondita est fortitudo ejus*, hoc est in passione, cruce & 5. vulneribus pretiosissimi Redemptoris nostri abscondita fuit illius divinitas, majestas, potentia & immensa fortitudo, dum ad ejus in cruce pendentis aspectum universa terra contremuit, saxa & rupes fcissa sunt, sol, luna & sidera obscurata, velum templi scissum, sepulchra mortuorum aperta &c. Et quis, obsecro, ista considerans prodigia non in summam rapiatur admirationem? Disce proin hìc, anime mi! Cùm crucifixum JEsum aspicis, pium in te excitare admirationis affectum: Quis ille, quis tu, ille omnia, tu nihil, ille Dei Filius, tu filius peccati & gehennæ, & tamen pro te mori dignatus est, & mori in cruce! ô cœli obstupescite! *Hic maxime*, ait S. Bonaventura, *apparet illa charitas ejus, qua corda nostra totaliter deberet concremare.* Sed pergo ulteriùs.

S. Bonavent. Med. 74. de Passion. Dom.

3. De Jacob Patriarcha observat Scriptura, quòd præ aliis filiis suum Josephum dilexerit: *Israel autem diligebat Joseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum: fecítque ei tunicam polymitam*, quâ tunicâ vestitum cùm cæteri fratres Joseph vidissent, invidiâ perciti ei necem comminati, & machinati sunt: *Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum*; Proinde eum in veterem miserunt cisternam, tunicam autem in sanguine occisi hœdi intinctam, & fœdè dilaceratam ad senem patrem miserunt: *Vide, utrùm tunica filii tui sit, an non? quam cùm cognovisset pater, ait: Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia devoravit Joseph, sciscíque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Anima Christiana! considera hìc affectum admirationis, doloris & amoris pientissimi patris erga dilectum filium suum Joseph.

Gen. 37. 3.

S. Bernardus Mellifluus ille Doctor per Jacob Patriarcham cœlestem Patrem intelligit, per tunicam autem polymitam Christi dilectissimi filii ejus humanitatem Verbo unitam. O DEum immortalem! quàm fœdè, quàm indignè dilacerata, & proprio in sanguine intincta est illa tunica polymita (Humanitas Christi) ac præsertim in cruce! Vide Pater æterne! Utrùm hæc tunica Filii tui sit, an non? Filii, inquam, tui, quem in senectute tua genuisti, hoc est ab æterno? Hanc tunicam mysticam quotidie Deo cum divo Bernardo præsentemus, cujus

cujus verba sunt: *Respice Domine sancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo: Cognosce veram tunicam Filii tui Joseph; Hæc fera pessima devoravit eum, & conculcavit in furore suo vestimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis cruoris inquinavit; & ecce quinque scissuras lamentabiles in ea reliquit. Hoc est Domine vestimentum, quod in manu Ægyptiacæ meretricis innocens puer tuus dereliquit &c.* S. Bern. ser. de Pass. Dom.

Observa hìc pro reflexione mortali affectum admirationis, tum in Jacob, tum in S. Bernardo. Et si Jacob visâ illa cruentâ ac dilaceratâ filii sui tunicâ in tantum obstupuit, & ingemuit, ut præ animi dolore, quem conceperat, penè confici videretur: *Sciissisque vestibus indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore;* Quid nobis faciendum, si non tunicam Christi, sed ipsum Crucifixum Dominum nostrum tot cruentis confectum plagis pio mentis oculo intuemur? *Nihil sic valet*, ait B. Petrus Damianus, *ad extirpandas voluptatum radices, quàm recordatio vulnerum Christi, qui stetit ante Judicem, qui flagellatus est, conjputus, qui coronatus spinis, qui colaphis cæsus, qui suspensus in ligno, qui mortuus in cruce.* Hæc considera, & non peccabis. B. Dam. serm. 59. fol. 290.

4. Tres illi principes & amici Job, Eliphaz, Baldad & Sophar, ubi Jobum amicum suum viderunt ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem capitis à dæmone percussum, extra civitatem suam ejectum, & à solio ac palatio suo regali eliminatum in sterquilinio sedentem, tantorum malorum magnitudine in stuporem rapti, & perculsi, toto septiduo illum affari non ausi sunt: *Cúmque elevassent procul oculos suos, non cognoverunt eum, & exclamantes ploraverunt, sciisisque vestibus, sparserunt pulverem super caput suum.* Quid? si vidissent JEsum Dei Filium extra civitatem suam ejectum, vulneribus plenum, in Calvario monte infami crucis patibulo ferreis clavis affixum, & ab omnibus derelictum, quid, obsecro, dixissent tres illi principes & viri illustres, quos S. Chrysostomus & S. Gregorius Magnus viros sanctos nominarunt? Job. 2. 12.

Imitare & tu, anime mi, horum virorum exemplum, ubi Crucifixum Dominum tuum intueris tot vulneribus saucium manus & pedes illius clavis perforatos, caput spinis redimitum, totum denique corpus flagellis laniatum; admirare comprimis illius patientiam, condole doloribus, illacryma passionibus ejus, imò peccatis tuis, quæ illi necem intulerunt: *Agnosce*, ait S. Bernardus, *quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum vulnerari.*

5. Hunc affectum admirationis comprimis exercebat Mater amoris & doloris stans juxta crucem, contemplando hiantia ac cruenta Filii sui crucifixi vulnera, de qua Cajetanus ait: *Vacabat contemplationi admirativa, conferendo summa priùs visa cum infimis, gloriam divinitatis cum*

pœna

pœna humanitatis &c. Ah quoties in illo admirationis affectu suspirabat in cœlum:

Quis satìs hoc capiat, pro me per vulnera mille,
Et potuisse Deum, nec dubitasse mori?

Hoc fecerunt & alii amici, crucī Christi fideliter adstantes, qui cum dolorosissima Matre profuso lacrymarum imbre rigabant crucem, uti cum Magdalena fecit discipulus, quem diligebat JEsus, & alii plures cum centurione.

Juvat hic audire quisnam fuerit ille Centurio, de quo Scriptura: Matth. 27. 54. *Centurio autem, & qui cum eo erant, custodientes JEsum, viso terræ motu & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Observa: Audierat jam anteà ille Centurio, JEsum à perfidis Judæis, & ex illorum instantia etiam à Romano Judice Pilato hanc ob causam ad crucem esse condemnatum, quia se Regem Judæorum, hoc est Messiam & Filium Dei dixisset: Nunc, ubi vidit quòd per tot prodigia in morte Christi evidenter illius demonstraretur divinitas, & quòd vera prædixisset, agnovit eum, ùt verum Dei Filium, unde admirabundus, eum in cruce patientem & morientē considerans, exclamavit; *Verè Filius Dei erat iste;* Ob quam publicam confessionem meruit martyrii obtinere palmam, dum relictâ militiâ in Cappadociam secedens, & Christum prædicans à Judæis interfectus, glorioſus Martyr occubuit.

Nicolaus Godinius in vita. 6. Huic Centurioni Martyri, cujus nomen erat C. Oppius ex Hispania oriundus, adjungo V. P. Consalvum Silveria Lusitanum S. J. virum & doctrinâ & sanctitate vitæ celeberrimum, cùm sæpius in oratione Dei è terra in sublime ferri visus est; hic, inquam, in quocunque habitat cubiculo, semper in quatuor parietis partibus crucem affigi voluit, ut jugem Christi JEsu crucifixi memoriam ante se haberet: Et quia à Deo & crucifixo amore suo sæpiùs martyrii Laureolam petiit, hanc in extremis orbis partibus, ubi priùs plurimos Barbaros ad Christi fidem convertit, ipsúmque Regem Monomotapæ cum matre & trecentis proceribus sacris baptismi undis lustrasset, impetravit. Qui tandem spiritu prophetico, quo præditus erat, adventum carnificum præsentiens, in loco cruenti sui certaminis duos cereos accendit, & in medio illorum devotam crucifixi Redemptoris nostri effigiem collocavit, & dum flexo genu, ac manibus in formam crucis ad pectus compositis, agonem suum Deo commendaret, à Barbaris Gentilibus captus, ligatus, funibus tractus, & à Mocrume strangulatus est. Ecce quàm verum sit, quod S. Gregorius edixit: *Nihil adeò grave est, quod non æquanimiter toleretur, si Christi Passio ad memoriam revocetur.*

S. Gregorius in Epist.

CON-

CONSIDERATIO CXXVI.

Christus & hic crucifixus sit nostrum horologium, ac perpetuum mobile.

Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Jo. 12. 23.

1.

EZechiam piissimum Israelitarum Regem insanabili quondam ulcere ac gravissimo morbo laborantem Isaias Prophetarum princeps invisit, ut eum non tam ad patientiam, quàm ad futuram mortem disponeret: *Præcipe domui tuæ, morieris enim tu, & non vives.* Fatale hoc regi nuntium fuit, quod non duntaxat illi lacrymas, sed & largissimum sudorem ex omnibus membris expressit, & quia ad templum lecto supremo affixus se ampliùs conferre non poterat, ad illius faciem se convertit, ubi ad DEum magna cum fiduciâ preces ingeminans, ob conscientiæ teneritudinem meruit, ut non modò pristinæ saluti restitueretur, sed & quindecim anni ad vitæ illius prolongationem adjicerentur. In signum hujus mox recuperandæ valetudinis Sol per inauditum miraculum in æneo & solari horologio Achaz ad preces Isaiæ per novem gradus usque ad decimum retrogressus est: *Invocavit itaque Isaias Propheta Dominum, & reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat, in horologio Achaz retorsùm decem gradibus.* 4. Reg. 20. 1.

Stupendum hoc orbi fuisse portentum, & omnibus retro sæculis prorsùs inauditum, quis neget? Sed adverte mysterium: *Sol justitiæ est Christus Deus noster*, qui novem gradus, hoc est, novem Angelorum choros in cœlo reliquit, & usque ad decimum gradum, hoc est, usque ad crucem, quæ per decimum numerum X. adumbrata est, ad salvandum genus humanum (magnum illum ægrotum) sese demisit: *Magnus*, inquit S. Augustinus, *de cœlo descendit medicus, quia magnus in terra jacebat ægrotus.* Beda, Eucherius & alii. S. August. S. Gregor. &c.

2. Sunt qui per dictum horologium Achaz etiam Sanctissimam Dei Genitricem intelligunt, ita Officium de Immaculata Conceptione B. V. Mariæ: *Salve horologium, quo retrò gradiatur Sol in decem lineis, Verbum*

bum incarnatur, homo ut ab inferis ad summa attollatur. Sed & Christus in cruce pendens nobis inservit pro horologio, ideò ipsa veritas Christus, cùm ad mortem crucis anhelaret, & Apostoli illi objectarent, ne in Judæam de novo proficisceretur: *Nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadit illuc?* Benignè respondit: *Nonne duodecim sunt horæ diei?* Supra quod S. Augustinus apud Cornelium: Sicut duodecim horæ sequuntur diem, id est, solem, ejúsque cursum, ut sibi ex ordine vicissim succedant, sic vestrûm est me sequi: Ego enim sum quasi vester Sol & dies, vos autem me stipatis quasi duodecim horæ. Et quid, obsecro, est horologium Sciathericum seu Solare sine sole? Si sol deficit, quis horologium solare respicit? Ergo Christus est sol & simul horologium nostrum ac præsertim in passione ac cruce.

Jo. 11. 8.

3. Inspiciamus hoc mysticum horologium, & singulas horas consideremus, quæ ac quanta pro nobis pretiosissimus Redemptor passus est. Incipiamus à Vespera feriæ quintæ usque ad Vesperam feriæ sextæ.

Horâ VI. Vespertinâ valedixit SS. Matri suæ.
Horâ VII. Pedes discipulorum lavans.
Horâ VIII. Seipsum nobis in cibum tradens.
Horâ IX. In horto orans, ac sanguinem sudans.
Hora X. A Judæis in monte Oliveti captus.
Horâ XI. Ad Annam & Caipham ductus.
Horâ XII. Alapâ coram Pontifice percussus.

A media nocte.

Horâ I. Velatus & ludibrio habitus.
Horâ II. A Petro ter negatus & illusus.
Horâ III. Incarceratus, & indignissima passus.
Horâ IV. A falsis testibus accusatus.
Horâ V. Reus mortis proclamatus.
Horâ VI. Vinctus ad Pilatum ductus.
Horâ VII. Ad Herodem missus, & illusus.
Horâ VIII. Barrabæ latroni postpositus.
Horâ IX. Flagellis crudelissimè cæsus.
Horâ X. Spinis coronatus, & ad populum productus.
Horâ XI. Cruci adjudicatus, & oneratus.
Horâ XII. Inter duos latrones crucifixus.

A meri-

A Meridie.

Horâ I. Matrem ſuam allocutus.
Horâ II. In cruce ſitiens, felle & aceto potatus.
Horâ III. In cruce mortuus.
Horâ IV. Crudeli militis lanceâ transfixus.
Horâ V. De crucis ligno depoſitus.
Horâ VI. Sepulturæ mandatus.

4. Vide ex hoc, anima Chriſtiana, quomodò ad quemlibet horologii ſonum amariſſimam crucifixi Amoris tui paſſionem poſſis gratâ mente, & non ſine amoris ac doloris affectu recolere: *Chriſto igitur paſſo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* 1. Pet. 4. 1.

Accedit, quòd Leo X. & Paulus V. Pontifices Maximi omnibus Chriſtianis, qui auditâ horâ ſalutationem Angelicam devotè pronuntiarent, toties quoties mille dierum veniam indulſerint. Dic proinde ſemper, ſi amator Crucifixi JESU & SS. Matris ejus doloroſæ eſſe velis, ubi ſonum campanæ horam ſonantis audieris: *Omnipotens fauſtam donet mortalibus horam*, & mihi miſero peccatori ſuam gratiam, delictorum veniam, ac tandem vitam æternam. Subjunge exinde: *Ave Maria gratiâplena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JEſus.* NB. Qui hac horâ VI. SS. Matri ſuæ peramanter valedixit; perge exinde: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis noſtræ. Amen.* Et ſic procede in aliis horis, recolendo & cætera Dominicæ paſſionis myſteria, v. g. Hora 7. *Qui hac horâ Diſcipulorum pedes lavit*, & ſic de reliquis horis. Videbis, anime mi, ex hac aſſidua Crucifixi Salvatoris tui commemoratione profectum ingentem, & in ſuprema mortis hora dulce ſolatium: *Recogitate eum, qui tale ſuſtinuit à peccatoribus adversùm ſemetipſum contradictionem &c.* Hadr Lyræus de Chriſto pat. Hebr. 12. 3.

5. Cæterùm plura artificiosâ manu vidi horologia rotata. Venetiis in platea S. Marci ad horarum ſonitum tres Magi prodeunt ſua munera Chriſto Domino & divæ Virgini Matri deferentes. Argentorati duodecim Apoſtoli; Monachii in templo P. P. Recollectorum præcedit Angelus tubam inflans, dein Gabriel Archangelus almam Virginem ſalutans, & poſteà mors; Carolus V. Imp. loco gemmæ in annulo ſubtiliſſimum geſtabat horologium, toties digitum ejus pulſans, quot campanula ſonabat horas. Mitto cætera, & paucis mentem meam explico, quòd nullum horologium rotatum magis mihi placuerit, quàm quorundam S. R. E. Prælatorum, qui in pectore

ctore auream crucem gemmis ornatam gestare solent, in qua non dumtaxat effigies Crucifixi, sed & horologium artificiosum horas loquens, inclusum est, toties illos monens, quoties levem pulsum reddit ad amandum, colendum & imitandum crucifixum JEsum. Imitare & tu, anime mi, hoc pulcherrimum exemplum, atque singulis horis, si fieri potest, memor Dominicæ passionis, DEO tuo & Homini pro salute tua crucifixo gratias age, quia *dignus est Agnus, qui occisus est &c.*

Apoc. 5. 11.

6. Consideremus adhuc aliquas horas notatu dignissimas, in quibus principaliora redemptionis nostræ mysteria à Christo fuerunt peracta. Horâ duodecimâ de nocte natus est in mundum: *Dum nox in suo cursu medium iter haberet.* Horâ sextâ, hoc est, in meridie JEsus defatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem: *Ista est hora*, ait S. Antonius Paduanus, *quando, ô mi JEsu! sedisti in fonte misericordiæ super crucem.* Horâ nonâ in cruce mortuus est, & quare hoc? ℟ Cornelius: *Nota: Christus expiravit feriâ sextâ circa horam nonam, quâ Adam peccavit, ut ejus peccatum expiaret.* O Domine JEsu! ô Amor crucifixe! Ergo propter peccatum Adami & posterorum ejus in crucem actus, & in cruce mortuus es, & quidem horâ nonâ, hoc est juxta horologium nostrum, horâ tertiâ pomeridianâ. Sit in æternum benedicta ista hora, in qua nobis paradisum reseraſti, & vitam cœlestem præparasti; ideò adoramus te, & benedicimus tibi &c.

Sap. 18. 14.

Ioan. 4. 6.

Cornel. in Matth. 27. 50.

CON.

CONSIDERATIO CXXVII.

Etiam bruta animantia DEum ſuum & hominem crucifixum JEſum agnoſcunt eſſe honorandum.

Nimirum interroga jumenta, & docebunt te: Et volatilia cœli, & indicabunt tibi. Job. 12. 7.

1.

ASinus ille, cui inſedebat Balaam, honoravit Angelum illum, qui exerto gladio ipſi minitatus eſt mortem: *Cúmque vidiſſet* Num. 22. 27. *aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis &c.* Aſinus & bos honorabant Chriſtum puerum ac Dominum ſuum in præſepio reclinatum, de quibus Iſaias Propheta: *Cognovit bos* Iſa. 1. 3. *poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui.* Job invictum tolerantiæ ſpeculum mittit nos ad jumenta, volucres cœli & piſces maris, ut ab illis Dei bonitatem, ſapientiam ac providentiam ediſcamus: *Nimirum* Job. 12. 7. *interroga jumenta, & docebunt te: Et volatilia cali, & indicabunt tibi. Loquere terra, & reſpondebit tibi: Et narrabunt piſces maris &c.* Ego te hodie, Lector prudens, mitto ad plura jumenta, ad cœli aves, marisque piſces, quæ docebunt te, & indicabunt tibi, quantùm æſtimare, colere ac amare debeas Chriſtum JEſum & hunc crucifixum.

2. Leo fortiſſimus beſtiarum amavit S. Geraſinum Abbatem, qui huic Sancto per omnem vitæ decurſum indefeſſo ſtudio deſerviit, eo quòd ipſi ſpinam aliquam ex pede exulcerato exemerit, & vulnus ejus ſanaverit; qui leo neque morientem ſuum benefactorem deſeruit, ſed ei ex luctu commortuus eſt, illique ſuâ morte parentavit. Sophron. in Prato Spirituali.

Plus fecit pro te, anime mi, Chriſtus JEſus, & hic crucifixus, quàm S. Geraſius ſuo leoni, non enim unam, ſed plures exemit à te maledictionis ſpinas: Arderes ſine dubio jam pridem in inferni rogo, quem tuis meruiſti criminibus; Et ecce ipſe liberavit te, ipſe mortuus

est pro te, ipse fidejussor factus est pro te; & quomodò poteris tantorum oblivisci beneficiorum? Audi Ecclesiasticum: *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris; dedit enim pro te animam suam*: non enim eras solvendo pro peccatorum tuorum debitis, & ecce ille apud Patrem fidejussit, & in se omne debitum transcripsit, illúdque solvit ac luit non in ære, sed in corpore ac proprio sanguine, subeundo pro te infamem ac atrocissimam crucis mortem. Væ tibi, si illud non amaveris.

Eccli. 29. 20.

3. Olim mandavit Deus, ut sibi non tam hominum, quàm & pecorum offerrentur primogenita: *Quod primitivum est in pecoribus tuis, quidquid habueris masculini sexûs, consecrabis Domino.* Quod autem concernit primogenitum hominis, redimebatur pretio, quinque videlicet siclis, prout patet Num. 18. 16. Voluit enim per hoc Deus refricare Hebræis in memoriam redemptionem primogenitorum, dum ab Angelo à morte in Ægypto liberati sunt. Et pergit Scriptura: *Primogenitum asini mutabis ove.* Et cur asinus hìc peculiariter inter cætera animalia exemptus fuit?

Exod. 13. 12.

℟. Vincentius Belluacensis, quia *crucem habet in anteriori dorsi parte super humeros*, nullum autem animal invenies, quod crucem super humeros habeat uno excepto asino, ita & Paoletti cum aliis, quod instrumentum jam nunc in umbra erat victoriæ signum.

Vincent. Belluacens. l. 18. cap. 10.

Historiam raram ab asino accipe. Cùm S. Regulus Episcopus Silvanectensis à Gallia rediret in patriam, in itinere à matrona quadam, cui nomen Gallicia, rogatus est, quatenus filium suũ à dæmone obsessũ & dirè cruciatum dignaretur liberare. Annuit S. Antistes, & orationem Dominicam ac Symbolum Apostolicum super puerum recitat, & in forma visibili cujusdam vespertilionis dæmonem expellit & abigit, qui vindictæ cupidus rectà asinum S. Præsulis petit, & in eum molitur ingressum. Verùm asinus in hoc prudentior quàm diabolus, ubi hunc Stygium vespertilionem circumvolitantem conspicatus est, sine mora dextro pede signum S. Crucis in terra formavit, quâ conspectâ diabolus sine mora in fugam actus est: *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te &c.* Fac & tu in tentationibus tuis.

Idem lib. 10. cap. 29.

Job. 12. 7.

3. *Cognovit & bos Possessorem suum* non tantùm ad præsepium, sed etiam in cruce pendentem, audi rem non minori dignam admiratione. In montibus vulgò *del Monseni* in Catalaunia S. Sigismundus Burgundiæ Rex posteà Martyr in quadam spelunca pro sua devotione effigiem crucis erexerat, quæ post beatum obitum hujus S. Regis in oblivionem devenit, & ab incolis sepulta fuit. Accidit, ut longo post tempo-

Bagatta de admirand. Orbis To. 2. lib. 5. c. 1.

tempore ad hunc locum quotidie bos de armento accurreret, qui semper genuflexus in eo loco infossam Dominicam crucem honorabat, & insolito mugitu demonstrabat latere hic quemdam spiritualem thesaurum majori reverentiâ ac devotione ab hominibus colendum; quod prodigium ubi incolæ sæpiùs advertebant, ad Episcopum accesserunt, qui in hoc loco terram effodi, & speluncam à ruderibus purgari jussit, ubi in fundo prædictam sacram crucem invenit, quam cum solemnitate ad Ecclesiam, ut ibidem à fideli populo decentiùs coleretur, transferri curavit; sed quia eadem SS. Crux tertiâ vice ad eandem pristinam speluncam reversa est, visum fuit, ut illic locorum in honorem crucifixi Domini insignis Ecclesia ædificaretur, in qua in hodiernum usque diem crucifixus Dominus magna populi cum frequentia & devotione honoratur: *Interroga jumenta, & docebunt te.*

5. Interroga & cervam Pollinganam, quantùm honorarit crucifixum Dominum: Cùm enim Thassilo 2. Bavariæ Dux anno reparatæ salutis 750. venationem parasset, ubi nunc celeberrimum cœnobium Pollinganum R. R. D. D. Canonicorum Regularium S. Augustini in superiori Bavaria consistit, subitò illa cerva, licèt à canibus undique agitata, cursum stitit, & pedibus suis è terra in conspectu Principis & Aulicorum vetustissimam Crucifixi Redemptoris nostri imaginem, quatuor clavis ligno affixam, eruit, quæ Thaumaturga imago ibidem à tot centenis annis plurimis coruscans prodigiis ac beneficiis etiamnùm hodie religiosè asservatur, & à fidelibus piè colitur: *Interroga jumenta, & docebunt te*, quo honore sit colendus Crucifixus Dominus.

6. Similem eventum Caspar Sanctius etiam de cane commemorat, qui in diœcesi Toletana in finibus Caracinorum ruptis vinculis, quibus à pastoribus adstrictus erat, sæpiùs à grege aufugit, & in agro ad Tagi ripam tam diu unguibus terram fodit, donec crucem ex aurichalco inaurato invenerit, nunc plurimis coruscam beneficiis. Sanctius in cap. 9. Ezech.

Anno Domini 1255. in Germania in monte Strassengel, prout refert Bonifacius Bagatta & alii, pecora, hoc est: *Boves & oves insuper & pecora campi* invenerunt antiquam Christi crucifixi imaginem super quandam abietem jacentem, & ab omnibus derelictam; ad hunc, inquam, locum cùm devenissent pecora, sæpius genibus flexis & diu insolito ac perseverante mugitu & balatu indicabant pastoribus, hic quærendum & inveniendum quemdam thesaurum, quem coleret & adoraret orbis. Quæsitum diu fuit, & ecce tandem invenerunt Crucifixi Salvatoris nostri imaginem, quam honorificè elevarunt: in cujus honorem & templum magnificum construxerunt, ubi de facto à Bagatta tom. 2. l. 5. c. 2.

piis

piis fidelibus singulari devotione colitur crucifixus JEsus: *Nimirum interroga jumenta, & docebunt te.*

7. Et nunquid *Camelus* amat suum patronum, quia ipsum sustentat ac nutrit? Unde libenter ab eo onus & pondus suscipit portandum, etiam flexis genibus ipsi se submittendo in terram. *Cerva* amavit S. Ægidium Abbatem regiâ stirpe oriundum, ad quem in eremo statis horis venit, lac ei subministrando; quia eam à venatoribus in sua spelunca defendit. *Delphinus* dilexit suum Hermiam puerum, à quo mulcebatur; & quia subinde illi benefecit puer, ideò cùm obiisset fatis, & Delphinus præ dolore illi commortuus est. *Aquila* propter educationis beneficium Virginem Sestonensem tenerè
3. Reg. 17. 6. amavit, dum seipsa mortuæ in flammis parentavit. *Corvus* amavit suum Eliam Prophetam & S. Paulum Eremitam, eos in eremo su-
Tob. 6. 1. stentando, & ad nutum illis obediendo. *Canis* Tobiæ juniori in itinere tam remoto pro viribus inserviit; Item S. Rocho Confessori tempore pestis ipsi quotidie panem subministrando. Et quid dico de *Lazaro* ab omnibus deserto, mendico exulcerato, miserrimo? Quia ab omnibus hominibus fuit derelictus, à canibus saltem aliquam opem
Luc. 16. 21. accepit: *Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.*

En ostendo tibi in cruce, anime mi, alium sed longè pauperiorem Lazarum, virum dolorum, despectum ac novissimum viro-
Isa. 1. 6. rum, de quo Propheta: *A planta pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: Vulnus & livor & plaga tumens.* Canes cum Lazaro habebant aliquam commiserationem: *Et lingebant ulcera ejus*; Et tu cum JESU crucifixo habebis nullam? O brutum! ô cautes! Accede proinde cum omni fiducia ad SS. Vulnera ejus, & in eis invenies gratiam ac vitam sempiternam.

CONSIDERAT. CXXVIII.

Crucifixus Dominus typus ſummæ humilitatis, quem pro poſſe ſequi debemus, & imitari.

Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2. 8.

1.

CApiat, qui poteſt, ego non capio, quòd incarnata Patris Sapientia, unigenitus Dei Filius, de quo Eccleſia: *Tu ſolus altiſſimus*, ſe adeò humiliaverit, ut abjectiſſimo ac viliſſimo vermiculo non dubitaverit ſe aſſimilare: *Ego autem ſum vermis, & non homo* Et quomodo vermis ô mi JEſu! Pſal. 21. 7.

℟. 1. Vermis humilis eſt: Chriſtus humilior. 2. Vermis in terra repit: Chriſtus ſub cruce proſternitur, & repit ad Calvariæ montem. 3. Vermis taciturnus eſt: Chriſtus cùm malediceretur, non maledixit. 4. Vermis ſine miſericordia conculcatur pedibus: Sic & Chriſtus ab hominibus, dum factus eſt *opprobrium hominum & abjectio plebis.* 5. Vermis lignum amat, & rodit: Chriſtus crucem, ubi factus eſt ſicut *tenerrimus ligni vermiculus.* 6. Vermis horrorem parit aſpicientibus: Chriſto non erat ſpecies neque decor. 7. Vermis in viſceribus terræ ſuam quærit habitationem: Chriſtus in ſepulchro & in corde terræ. 2. Reg. 23. 8.

O humilis vermiculus Chriſtus crucifixus! quis hæc audiens, & conſiderans mortalium adhuc audeat ſe inflare? Ille, qui eſt α. & ω. principium & finis, ſemetipſum adeò exinanivit: & factus eſt obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, & tu pulvis & cinis adhuc gloriaberis in iniquitatibus tuis? Et quousque tandem? ℟. *Donec fodiatur peccatori fovea*: Diſce proinde te humiliare, anime mi! *Qui ſine humilitate*, ait S. Gregorius, *virtutes congregat, quaſi in vento pulverem portat*; Et Bloſius: *Summa totius Philoſophiæ Chriſtianæ hæc eſt, ut ducem noſtrum JEſum per veram humilitatem ſequi contendamus*; unde dixit: *Diſcite à me, quia* Apoc. 1. 8. Pſal. 93. 13. S. Gregor. ho. 7. in Jo. Bloſ. par. an. cap. 7. Matth. 11. 29.

sum humilis corde; non dixit: Discite à me mundum fabricare, mortuos suscitare &c. Sed discite, quia humilis.

Philipp. 2. 8 Isa. 53. 7. 2. Sunt autem singulariter observanda, & ponderanda verba Apostoli: *Humiliavit semetipsum.* Nota: Ipse JEsus humiliavit semetipsum usque ad mortem, mortem autem crucis: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ex quibus verbis abundè patet, quòd non alii ipsum humiliaverint, Judæi videlicet, Pharisæi, carnifices, & iniquissimi judices, sed ipse *humiliavit semetipsum.* Hinc non lapidari à Judæis voluit: *Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum*, sed ipse abscondit se, & exivit de templo. Neque ex monte petroso à Nazarenis concivibus in profundam & subjectam vallem volebat præcipitari: *Duxerunt eum ad supercilium montis, ut præcipitarent eum: ipse autem transiens per medium illorum ibat*; quia eligit mortem crucis, mortem ignominiosissimam, & quidem inter latrones, ut pejor pessimis crederetur latronibus. His consideratis, dic, obsecro Sodes, an major potuerit esse humilitas Filii Dei? Et quid tu, si punctum honoris tangitur?

Jo. 8. 59. Luc. 4. 29.

Hartung Problem. 41. 3. Olim Romæ singulis annis canem affigebant cruci, præcinente tubicine, & clamante per plateas: *Sic punietur, quicunque Reipublicæ bono non bene advigilaverit.* O pientissime JEsu! Ergo non tantùm minoratus es ab Angelis, sed etiam ab hominibus & quidem sceleratissimis, imò ab ipsis bestiis! ô verè *novissimus virorum*! Et pergit Propheta Evangelicus: *Unde nec reputavimus eum.* Ita est, non reputavimus eum, neque hodie adhuc satis reputamus eum, dum omnis peccator eum suis postponit cupiditatibus; Et tu iterum quid?

Isa. 53. 3.

4. Erat aliquando mitissimus Dominus ac Salvator noster Christus à quodam Pharisæorum Principe perhumanè invitatus, ut panem manducaret cum ipso; Et ecce homo hydropicus vel amicus, vel notus Pharisæo avidus sanitatis se JEsu præsentavit, miserabili aspectu suo ac gemitu flagitans sanitatem. Sanavit eum Dominus, & in convivio, ubi advertit invitatos primas ambire sedes, ipse ultimum captandum esse locum ostendit: *Recumbe in novissimo loco.* O Domine JEsu! subintrat hic Joannes Gerson, ut te ipsum per hoc indigitasti, dum in cruce factus es *novissimus virorum*, in quo miserabili & meridiano convivio non aliud habuisti nisi amarissimum fel & acetum. O anime mi! Discе ex hoc humiliari, ac contemni *cum novissimo viro Christo in cruce posito, ut dicat ipse, qui nos invitavit: Amice ascende superiùs.*

Luc. 14. 10. Gerson. tr. 8. sup. Magnif.

5. Ægrotabat Ezechias Rex, cui Isaias Propheta: *Dispone domui tuæ*; sed quia Rex amarè flevit, Deúmque pro salute sua impensè deprecatus est, exauditæ sunt preces illius, & vitæ adhuc quindecim adjecti anni, in cujus rei signum ei libera concessa est electio: *Vis ut*

ascen-

aſcendat umbra decem lineis (in horologio Achaz) *an ut revertatur totidem gradibus?* Reſpondit Ezechias: *Facilè eſt umbram creſcere decem lineis, nec volo, ut fiat, ſed ut revertatur retrorſum decem gradibus.* Et quid ſequitur? *Reverſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.* 4. Reg. 20. 9 Iſa. 38. 8.

Pulcherrima eſt hæc figura. Ægrotabat genus humanum; deſcendit ſol juſtitiæ, *qui eſt Chriſtus Deus noſter*, per decem gradus, novem relinquens Angelorum choros, & in decimo ſe ſiſtens gradu, hoc eſt in cruce X. Hunc, inquam, infimum gradum elegit ſibi *Altiſſimus*, quia non poterat ſe humiliare profundiùs: *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Hinc rectè S. Laurentius Juſtinianus: *O ſancta humilitas, tu omnium te noviſſimam credens, cateros honorabiliter antecedis; dum deſcendis, aſcendis: dum gloriam fugis, acquiris: dum latere cupis, efficeris manifeſta. Deformitatem tuam ſapiſſimè intuens, ô quam pulchra es in oculis Domini ex venuſtate tua, & faciei tuæ ſplendore, ſummi Regis Filius adamavit te, & te ſuo fecit dignam connubio*; dum in cruce ſe tibi deſponſavit, & mox ad infernum deſcendit: *Deſcendit ad inferos.* An potuit Altiſſimus ſe magis humiliare? Et quæ noſtra humilitas? Ah! Philipp. 2. 8. S. Laur. Juſtin. de triumph. ag. 3. cap. 3.

6. S. Joannes Benjaminus Chriſti, ubi compulſus eſt, prævio facto communi Eccleſiæ jejunio, Evangelium ſuum ſcribere, illud proœmium è cœlo veniens eructavit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Tandem venit ad illa verba: *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus quaſi unigeniti a Patre, plenum gratia & veritatis.* Hic ſe ſiſtit calamus meus, & cum illo intellectus, dum attentiore mente volo perpendere prædicta verba: *Et vidimus gloriam ejus.* Qualis, obſecro, gloria videre JEſum unigenitum Dei Filium in ſtabulo natum, inter duo jumenta in viliſſimo præſepio reclinatum, & tandem in infami crucis patibulo inter duos latrones ſuſpenſum? Et hæc ſit gloria Filii Dei? Jo. 1. 1.

Ita eſt, reſpondet dilectus Domini Diſcipulus, hæc ſumma humiliatio ſummam Chriſto peperit gloriam, propterea enim exaltavit illum Deus, *ut in nomine ejus*, ait S. Hilarius, *genua cœleſtia, terreſtria, & infernaſe curvarent: humilitatis hoc pramium & merces eſt.* Proinde non ideò exaltatus eſt, quia in monte Thaboræo transfiguratus in ſumma gloria apparuit; non quia quinque panibus & duobus piſcibus quinque hominum millia ſaturavit; non quia mortuos ſuſcitavit, ſurdis auditum, mutis loquelam, cæcis lumen reſtituit, ſed quia ſe humiliavit pro humani generis ſalute usque ad mortem & quidem ad ignominioſiſſimam mortem crucis: *Et cum ſceleratis reputatus eſt.* S. Hilar in Pſ. 118. v. 107

7. O dulcis JEsu! ô Amor crucifixe! non me amplius capio, cùm te Regem Regum & Dominum dominantium in cruce pendentem ac tantoperè humiliatum considero; Mihi debetur hæc pœna, imò ipse infernus; & Dominus meus luis, quod deliquit servus iniquus? *O Domine JEsu*, exclamat Guerricus Abbas, *vicisti, vicisti tua humilitate superbiam meam.* Imposterùm humilior ero, aut non ampliùs ero.

Recordor hìc illius Hæmorrhoissæ mulieris gentilis & nobilis ex Cæsarea Philippi oriundæ, quæ, cùm pluribus annis sanginis fluxu laborasset, à medicis destituta, ad Salvatorem contendit, ut ab illo optatam obtineret salutem; & quia se indignam illius oculis judicavit: *Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus.* Adverte: Non clamavit ut mulier Chananæa: *Miserere mei Domine fili David: filia mea malè à damonio vexatur*; Non clamavit ut cæcus Jeruchuntinus: *JEsu fili David miserere mei.* Non ut decem leprosi: *JEsu præceptor miserere nostri*; Sed in turba secretò ac latenter accessit, obtinuitque, quod voluit, dum benignus Dominus non solùm illam consolatus est, sed & filiam vocavit: *At JEsus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Vide hìc, & considera, quid apud Deum possit vera ac sincera humilitas. Accedit, quia sequi cupiebat vestigia Christi, & crucem suam post JEsum bajulare, unde digna fuit, ut ab ore Veritatis vocaretur *filia.* Hæc mulier sit typus peccatricis animæ tuæ; imitare eam, fugiens ad pedes Crucifixi in omni necessitate tua. Abi in pace.

Matth. 9. 20.
Matth. 15. 22
Luc. 18. 38.
Luc. 17. 13.

CONSIDERATIO CXXIX.

Christus Crucifixus typus perfectissimæ patientiæ, quem in omnibus adversis nos oportet intueri.

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. Hebr. 12. 1.

1.

ET quis non miretur, quòd Dominus noster JEsus Christus ad gloriam suam in monte Thaboræo ostendendam tres solùm discipulos, quos impensiùs amabat, secum adduxerit, cæteris omnibus in subjecta valle relictis: *Et post dies sex assumit JEsus Petrum, & Jacobum & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsim, & transfiguratus est ante eos.* Quare, obsecro, non universam civitatem Solymæam ad hoc jucundissimum invitavit spectaculum, aut saltem omnes Apostolos ac fideles tunc sibi adhærentes? Matth. 17. 1.

A monte Thaboræo ad Calvarium transeo; Superi! quàm immensus hìc populus, qui ad cruentum illud crucifixionis spectaculum admissus est: *Sequebatur autem illum multa turba populi.* Et quæ causa hujus mysterii? Respondeo, alia esse Dei, alia hominum judicia ac consilia: Ut cerneretur Christus in monte Thabor gloriosus, tres tantùm ac charissimos ascivit discipulos, quia prosperitas & gaudium vix ullis, crux autem & afflictio innumeris prodest hominibus; hìc enimverò poterant videre, quàm immenso divini cruoris pretio Filio DEI steterit animarum salus, ut & nos *per patientiam*, prout monet Apostolus, *curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* O chara patientia! quam in hac consideratione à Christo crucifixo nos oportet addiscere. Luc. 23. 27. Hebr. 12. 1.

2. Præses ille Judææ Pilatus à Tiberio Romanorum Imperatore ad hanc gubernandam provinciam destinatus, plura sine dubio de Christo audivit miracula, quomodo cæcos illuminavit, claudis gressum, surdis auditum, & mortuis vitam restituit, in his tamen non legitur, quòd alicujus admirationis signum dederit; sed ubi ipse illius invictam vidit patientiam, dum inter tot accusationes hostiúmque calumnias nec verbulum in sui protectionem & purgationem reposuit, obstupuit: *Ita ut miraretur Præses vehementer.* Ecce Pilatus admiratus est plus Christi patientiam, quàm ejus miracula. Et dum Joseph ab Arimathæa ad eum venisset: *Audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus JEsu*, de novo in admirationem raptus est: *Pilatus autem mirabatur si jam obiisset.* En summa Christi ad mortem crucis destinati patientia etiam hominem Gentilem in stuporem traxit. Et tu homo Christiane quid? *Venit ille pati*, ait S. Augustinus, *venit ille mori, venit ligno crucifigi. Omnia hæc ille propter te: tu nihil pro illo*: Et tu?

Matth. 27. 14.

Marc. 15. 43.

S. Aug. lib. de Pastorib.

3. Isaac patienter tulit, dum ei pater imposuit ligna holocausti, super ea Deo in victimam in monte Moria immolandus. Plus Christus, dum ei Pater non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit in ara crucis immolandum, ubi os suum non aperuit, sed tanquam agnus mansuetus ductus est ad victimam. Ah ubi nostra patientia in adversis?

Gen. 22. 6.

Joseph patienti animo sustinuit, cùm à fratribus captus, spoliatus, in cisternam veterem missus, & Ismaelitis venditus est, illisque hoc facinus clementer indulsit. Plus Christus à Judæis fratribus captus, ligatus, flagellatus, spinis coronatus, & crucifixus, ubi adhuc Patrem pro eorum salute impensissimè oravit: *Pater dimitte.* O patientiam immensam!

Gen. 37. 24. & Gen. 45. 56.

Moyses vir patiens ac mitissimus super omnes homines, qui tunc temporis intervallo morabantur in terra, non duntaxat pro sorore detractrice & leprâ infecta oravit, & per orationem suam ei à Deo sanitatem impetravit; sed & murmurantem ac seditiosum populum, cùm irratus Deus eum percuteret incendio, cum fratre Aarone stante cum thuribulo inter vivos & mortuos, DEO reconciliavit: *Et plaga cessavit.* Plus Christus patientissimus ac mitissimus stans in cruce inter vivos & mortuos, à Patre cœlesti obtinuit; cùm enim jam omnia elementa in perditionem generis humani conspirassent: *Et terra mota est &c.* Sanguis crucifixi JEsu non vindictam, sed misericordiam clamavit: *JEsus autem dicebat: Pater dimitte illis.* O abyssum infinitæ charitatis & patientiæ?

Num. 12. 3.

Num. 16. 48.

Luc. 23. 34.

4. Acclamabant quondam impii Judæi Christo Domino in summis & extremis doloribus in patibulari ligno pendenti: *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei.* Sed noluit mitissimus Dominus tot sannis impiorum irritatus, crucem suam deserere, quia ex Patris præcepto in cruce mori voluit, ut nos miseros morte sua ab æterna morte redimeret; proinde omnia illorum contempsit improperia, & constans in cruce permansit, atque in ea mortuus est. En Domine, jam volunt credere in te scelerati illi deicidæ, sic hoc ultimum signum in illorum facis conspectu: *Descende de cruce, & credimus.* Matth. 27. 42

℟. S. Gregorius M. *Si*, inquit, *tunc de cruce descenderet, nimirum insultantibus cedens, virtutem nobis patientiæ non demonstraret; sed expectavit paulùm, toleravit opprobria, irrisiones sustinuit, servavit patientiam, distulit admirationem: Et qui de cruce descendere noluit, de sepulchro surrexit. Plus igitur fuit de sepulchro surgere, quàm de cruce descendere: Plus fuit mortem resurgendo destruere, quàm vitam descendendo servare.* En invictum patientiæ speculum & exemplar absolutissimum! Et quid, obsecro, nos oportet facere in adversis? Num servus major est Domino suo? S. Gregorius hom. 21. in Evang.

5. Sedebat Pilatus pro tribunali, ut ad tot malignorum falsas accusationes innocentissimum orbis Redemptorem ad crucis condemnaret necem; novam instantiam illi faciebat uxor Claudia Procula: *Nihil tibi & Justo illi, multa enim passa sum hodie per visum.* Per quam visionem dæmon Pilati conjugem eò compellere studuit, ut maritum à condemnatione JEsu dimoveret. Et quare hoc? Matth. 27. 19.

℟. S. Laurentius Justinianus: *Diabolus expavescere cœperat, ne esset ipse, per quem futura esset salus Judæorum; nam supra humanam consuetudinem atque virtutem, patientiam Christi esse cernebat.* En insolita Christi patientia diabolum eò commovit, ut ipsum Deum esse conjiceret, mundique Salvatorem. O si hæc patientia te non movet, homo Christiane, pejor diabolo es: *Quoniam tu es patientia mea Domine*, dicebat quondam David inter tot adversa constitutus: *Domine spes mea à juventute mea*; Supra quod Le Blanc: Christus fuit prodigium patientiæ & omnis virtutis, præsertim in passione & cruce, portentum afflictionis & doloris, quod patet ex Psalmo 21. Hunc patientiæ clypeum repræsentemus nobis in adversis omnibus, & in quibuscunque sustinendis calamitatibus, & non erunt gravia, quæ toleramus. S. Laur. Just. de triumph. Chr. agone cap. 13. Psal. 70. 7.

6. Et quid dico ulteriùs de Christi crucifixi patientia? Pendebat medius inter latrones tanquam choragus & princeps eorum; blasphemabant eum prætereuntes, moventes capita sua, & exprobrantes ei crucis culpam & pœnam: alii subsanantes in illum jacebant turpissima probra & convitia: imò & sacerdotes ac Seniores cæteris virulentio-

lentiores ejus subsanabant miracula quasi ex Belzebub facta; quinimò & ipsi latrones ad eandem crucis pœnam damnati, contra Filium DEI
Matth. 27. 44 suas exserebant linguas: *Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* O patientiam plus quàm ferream! Et quid interim ad hæc omnia unigenitus Dei Filius? *Pater, dimitte illis.* Observavit hanc insolitam Christi patientiam unus latronum, cui Dismas nomen, qui initio pariter cum cæteris illum blasphemavit: *Et visâ*, ait hic Cornelius, *Christi patientia, tenebris, aliisque signis & miraculis resipuit, ac in Christum credidit.* O chara patientia! de qua S. Jacobus Apostolus: *Patientia opus perfectum habet.*
Jac. 1. 4.

Ex vita à Ribad. & aliis scripta.

7. Consulatur S. Placidus, quì & Eustachius sub Trajano Imperatore nobilissimus ac opulentissimus eques Romanus, pluribúsque victoriis ac triumphis celebris, quem Deus illo ævo, velut alterum Jobum, mortalitati humanæ voluit esse singularis patientiæ speculum. Viderat is tunc adhuc Gentilis in venatione miræ magnitudinis cervum, qui inter cornua fulgentem quandam crucem, & in ea Christum Dominum vivum pendentem exhibuit. Obstupuit ad insolitum hoc spectaculum Placidus, & dum anxius hæret, quidnã in hac re tam ardua agendũ; Ecce ipse Dominus crucifixus dignatus est munus obire magistri, eúmque in vera salutis semita & fide Christiana instruere; cui insuper insinuavit, quanta ipsum pro nominis sui gloria cum suis oportet pro felici obtinenda æternitate pati, quod exinde per varios ac mirandos casus expertus est, dum paulò pòst illius per pestilentiam, ùt quondam Jobo, interierunt pecora, sublatæ ab eo divitiæ omnes, contemptus & despectus in alienas migrans oras, & uxorem perdidit, & duos filios, unum ab urso, & alterum à leone raptum, ipse autem coactus est, & improbo labore & mendicando victum quærere. Tandem quæsitus de novo à Trajano Imperatore præficitur exercitui ac partâ victoriâ uxorem & filios recuperat, quos omnes, quòd idolis immolare non vellent, sui martyrii comites habuit, quando in æneum & ab igne subjecto candentem taurum injecti, summâ cum patientiâ inter divinas laudes ad immortalem, ad quam à Christo crucifixo invitati erant, vitam transierunt. O
Luc. 21. 19. chara patientia, quæ nos ducit ad cœlestia gaudia: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

CON-

CONSIDERATIO CXXX.

Christus in ligno crucis suspensus perfectissimus obedientiæ typus & exemplar.

Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2. 8.

1.

UBi DEus T. O. M. hunc mundum ex nihilo sui produxit, addit Scriptura post singulas creaturarum irrationabilium productiones: *Et vidit Deus, quod esset bonum*; ubi autem ad creationem hominis ventum est, quem formavit Dominus de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, non ampliùs scriptura dicit: *Et vidit Deus, quod esset bonum.* Et quare hoc? Gen. 1. 10.

℟. Doctissimus Mansius: *Bonitas hominis ex ejus obedientia judicari debet, quia homo in tantum bonus est, in quantum præcepto creatoris sui obediens & subjectus est.* Voluit proinde Deus, ut homo sub obedientia viveret; & licèt eum libero dotaverit arbitrio, mox tamen, ut conditus est, eum præceptis adstrinxit, ac inobedientem exinde severè castigavit: *Et emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis.* Ecce inobedientia à paradiso nos excluſit. Mansi in Biblioth. to. 3. tr. 54. disc. 1. Gen. 3. 23.

Hanc inobedientiam primi hominis in cruce luit, & expiavit mitissimus orbis Salvator Christus; dum enim primus homo manum suam extendit ad fatale lignum in paradiso, hic ad vitale crucis lignum in monte Calvario extendens manus, Patrique factus obediens usque ad mortem, illud reparavit, quod primus homo perdidit. Juvat hìc audire S. Brunonem: *Dominus*, inquit, *& Salvator noster ipse nos docuit, quantum sit obedientia bonum, de quo scriptum est; quia factus est obediens Patri usque ad mortem. Per inobedientiam primi hominis perierat mundus, per obedientiam JEsu Christi salvatus est mundus; ille inobediens ad lignum vetitum accessit, iste obediens lignum crucis ascendit; ille accedens rapuit, quod non debebat,* S. Bruno de orn. Eccl. cap. 10.

iste ascendens, quæ non rapuit, tunc exsolvebat. Collige ex hoc fructum obedientiæ.

2. Pulcherrimam obedientiæ formam ac nornam nobis reliquit Abraham Patriarcharum decus, & Isaac filius ejus, ille quia mandatum divinum de immolatione unigeniti filii sui sine mora exequi voluit, hic quia se obedientem usque ad mortem exhibuit: *Et venerunt ad locum, quem ostenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & desuper ligna composuit: Cúmque alligasset Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum &c.* Collige anime mi, ex hoc figurante figuratum, & Christum Patri suo cœlesti usque ad mortem crucis obedientem. Ah ubi nostra est obedientia erga Deum & Superiores, præsertim in arduis? hinc multorum lapsus & interitus, quia divinis mandatis, & Superiorum jussis non obtemperamus.

Gen. 22. 9.

Noë in omnibus Domino ac Deo suo obedivit, unde gratiam habuit fabricandi arcam, in qua tempore imminentis diluvii salvaretur genus humanum, de quo sacer Chronista: *Fecit omnia, quæ præceperat illi Deus.* Plus Christus, qui, ut filius fabri, fabricari sibi fecit arcam (S. Crucem) in quo salvaret genus humanum; unde crux ab Ecclesia vocatur: *Arca mundo naufrago.* O S. Crux! sis mihi arca in extremo mortis articulo. Promptam obedientiam Joseph patri suo exhibuit, cùm ab eo ad fratres invidos ac perfidos mitteretur, quos licet priùs de crimine pessimo accusasset, & idcirco meritò ab eorum insidiis debuisset sibi timere, ivit tamen obedientissimus filius, quamvis ei machinarentur necem: *Veni, mittam te ad eos, quo respondente: Præstò sum*, ait, *Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos &c.* Supra quod S. Ambrosius: *Hoc scriptum est de Joseph, completum in Christo*, Patri in omnibus obedientissimo &c.

Gen. 6. 22.

Ecclesia in hym. de S. Cruce.

Gen. 37. 13. S. Ambr. l. de Joseph. c. 3.

3. Isaias Propheta, licèt nobilissimâ ac regiâ oriundus stirpe, jussu tamen Dei nudus in publica civitate (tanquam novum factus portentum) coram omni populo incedere non erubuit, ut populum prævaricantem à lege Dei, ad pœnitentiam reduceret: *In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis.* Et quid sequitur? *Et fecit sic vadens nudus, & discalceatus.* Magna hìc erat obedientia in viro tam sancto ac præclaro; Supra quod D. Hieronymus: *Mira obedientia Prophetæ*, inquit, *solo cilicio induebatur, non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius judicans, quàm obedire præceptis divinis.* Et in hoc, ait Cornelius, Isaias rursus typus fuit Christi in cruce denudati, ac Patri in omnibus obedientissimi, unde *inclinato capite tradidit spiritum*, ut sic ostenderet, quòd ex obedientia hanc ignominiosissimam subiret mortem: *Ne perderet obedientiam,*

Isa. 20. 2.

S. Hier. ibid. in Isa.

Jo. 19. 30.

tiam, perdidit vitam, ait Mellifluus. Et quid tu, Deo & hominibus superioribus tuis rebellis? S. Bernard. de grad. humil.

4. Imò non solùm Patri suo cœlesti mitissimus Judex obediens factus est usque ad mortem, *mortem autem crucis* (En perfectissimam obedientiæ victimam) sed & jam in prima ætate suis parentibus subditus & obediens esse voluit, omnem laborem per triginta annos patienter & obedienter cum illis sustinens; Quod S. Lucas paucis istis verbis complexus est: *Et erat subditus illis*; In quem locum egregiè S. Bernardus: *Quis? quibus? Deus hominibus?* Deus, *inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus, & potestates obediunt, subditus est Mariæ*; *Discе homo obedire, discе terra subdi, discе pulvis obtemperare, erubesce superbe cinis*; *Deus se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori?* Philipp. 2. 8. Luc. 2. 51. S. Bernardus hom. sup. Missus est.

Et quid ulterius de Christi obedientia dico? O cœli obstupescite! non tantùm parentibus suis, sed & carnificibus ac impiis tortoribus obediens factus est, dum illis purpuram induentibus morem gessit, jussus sedere obtemperavit: imponentibus coronam spineam inclinavit caput, & arundinem contumeliosè oblatam suscepit; ad populum Rex gloriæ miserè toto corpore dilaniatus, Præsidis Pilati jussione processit; ah quantâ hìc confusione perfundebatur omnium ludibriis expositus, quámque graviter aures ejus percutiebant crudeles illæ durissimæque voces, quibus omnes illi acclamabant: *Crucifige, crucifige eum*; Et quando ventum est ad Calvariæ montem, *crucifixoribus*, ait S. Vincentius Ferrerius, *quando dixerunt ei: Exspolia te, & ipse statim obedivit*; Atque ita in cæteris, quantumcunque duris & acerbis promptè obsecutus est; ubi completum est illud Isaiæ; *Ego autem non contradico, retrorsum non abii, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* En perfectissimum obedientiæ typum & exemplar. Et nos quid subinde? S. Vinc. Ferr. serm. 3. in Epiph. Isa. 50. 5.

5. Ibat vita nostra, Christus Dominus, ad mortem, gravissimâ oneratus cruce, quam immanem patibuli machinam, pedes quindecim longam & octo latam, lassatis & penè intermortuis ferebat artubus. Succubuit huic oneri Atlas ipse divinus, qui tribus digitis appendit molem terræ, & ad portam judiciariam in terram delapsus est. (Tanti ponderis peccatum est, ut illo gravati etiam fortissimi Angeli dehiscentibus cœlis, in gehennæ barathrum sint demersi) Quod ubi scelerati illi deicidæ adverterunt, Simonem Cyrenæum de villa sua venientem coëgerunt, ut crucem post JEsum ad Calvarium montem portaret: *Hunc angariaverunt, ut tolleret crucem ejus.* O felix Simon? unde tibi talis ac tanta gratia? Non invenio in Scriptura aliquod de illo Matth. 27. 32.

singulare meritum, nisi hoc solum, quia Simon vocabatur: *Exeuntes autem invenerunt hominem nomine Simonem*, Simon autem idem significat quàm *Obediens*, per quod innuitur, quòd ille quàm maxime idoneus sit ad ferendam crucem, qui Deo ac superioribus suis existit obediens: *Abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.* Supra quod S. Laurentius Justinianus: *Magna profectò res est abnegare se, tollere quotidie obedientiæ crucem, & sequi Christum.* Magna res: Experieris in te ô mi Lector.

Luc. 9. 23.
S. Laur. Just. lib. de obed. c. 26.

6. Jacob Patriarcha scalam vidit usque ad cœlum à terra pertingentem, supra quam Angeli læti ascendebant ad Dominum eidem scalæ innixum: S. Augustinus obedientiam scalam vocat, per quam ad empyreum homines ascendunt cœlum: *O sancta*, inquit, *Dei sponsa obedientia, tu perfecta scala, quâ cœlum ascenditur, tu quadriga, quâ Elias vectus est in paradisum, tu porta paradisi fidelium, & clausura reorum inferni.*

Gen. 28. 11.

S. Augustinus serm. 7. ad Fratres.

Josue, quia obediens in omnibus Deo & Moysi fuit, & ipse Deus illi se obedientem exhibuit, dum ad imperium Josue sine mora Sol & Luna, sphæræque cœlestes obtemperârunt: *Obediente Deo voci hominis.* Supra quod S. Hieronymus: *Solus imperat Soli & Lunæ, & stat, homo jubet, & cœlum audit. Audit illum cœlum, quia ipse audiebat Dominum.*

Jos. 10. 14.
S. Hieron. in Psal. 143.

Zachæus, quia promptè obediebat voci Domini, velocitérque ex arbore descendit, ut ejus exequeretur voluntatem, hanc dulcissimam ab ore Veritatis audire vocem meruit: *Hodie salus huic domui facta est.*

Luc. 19. 9.

Quando Christus in monte Thaboræo Moysen inter & Eliam medius ac gloriosus apparuit, vox Patris audita est: *Hic est Filius meus dilectus.* Quæres hìc, cur non similis vox audita fuit Christo in cruce in Calvario monte inter duos latrones pendente? R. Sylveira: Ubi tanta obedientia refulget, vox Patris non requiritur, factus enim est illi obediens usque ad mortem, & hoc satis erat.

Matth. 17. 5.

CONSIDERATIO CXXXI.

Animæ pretium ex passione & sanguine Christi crucifixi pensari, & commensurari debet.

Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis; sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati, & incontaminati. 1. Petr. 1. 18.

1.

RECtè Isaias Prophetarum princeps; *Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo*, hoc est auro optimo. Quid hìc dicendum de Homine Deo, & Redemptore nostro crucifixo? Certè nescivit Judas Iscariotes pretium ejus, qui quasi vile mancipium, imò nihil æstimavit illum: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Quod expendens D. Hieronymus ait: *Quasi vile tradens mancipium, in potestate ementium posuit, quantum vellent illi dare.* At illi constituerunt ei triginta argenteos, hoc est secundùm monetam nostram, quindecim florenos. O impiissime proditor! unguentum passionis ejus æstimasti trecentis denariis, & sanguinem ac vitam JEsu triginta duntaxat argenteis. Et ecce, quia tam vili pretio venditus est universorum Dominus, hinc meruit ipse fieri pretium totius mundi, æquè ac peccatorũ omnium. Considera vel ex hoc pretium animæ tuæ: *Magna res est anima*, ait Doctor Mellitus; *quæ Christi sanguine redempta est! gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari.* Et sanctus Joannes Chrysostomus: *Vis scire, quantum sit pretium animarum? Redempturus eam Unigenitus non mundum dedit, non hominem, non terram, non mare, sed suum pretiosum sanguinem. Vidisti magnitudinem pretii? quando ergo eam tanti emptam perdideris; quomodo poteris eam deinceps emere?* Et tamen ista non consideras?

Isa. 13. 12.

Matth. 26. 15.

S. Bernardus ep. 54.

S. Chrysost. in Psal. 48.

2. Refert Plinius de admirando Obelisco, quem Rex in Thebis per viginti hominum millia erigi fecit. Erat hic Obeliscus moles imma-

Plinius hist. nat. l. 36. c. 9.

immanis, adinstar præcelsæ turris, ex petroso monte improbo labore excavatus, & expolitus, variisque à lapicidis insignitus caracteribus & hieroglyphicis: hunc, inquam, Obeliscum Rex Thebæorum dum elevari & erigi voluit, quid fecit? filium suum insperato & inaudito consilio cacumini illius molis appendit, & alligavit, ratus fore, ut, dum tot hominum millia hunc portentosum Obelifcum in campo erigerent, tantò cautiùs in attollendo procederent: Quod & factum est.

Similes Obeliscos Sixtus V. Pontifex Maximus Romæ ante Basilicas Principis Apostolorum S. Petri in Vaticano, S. Mariæ Majoris in colle Exquilino, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ de populo in via Flaminea maximis sumptibus erexit, & omnes honori SS. Crucifixi dedicavit, in quorum globis deauratis insignem crucis Dominicæ particulam inclusit. Opus admirandum & cunctis nationibus stupendum.

Et quid dico? Obeliscus noster, ac columna usque ad cœlum crux est, in qua Pater æternus proprium ac unicum filium suum JEsum appendi & alligari voluit; funes enim adhuc hodie Romæ in templo S. Crucis in Jerusalem monstrantur, quia Christus non tantùm clavis sed etiam funibus cruci adstrictus fuit, clavi enim manuum ac pedum non potuissent soli tanti corporis sustinere molem: Audi crucifixum amorem tuum loquentem: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Ecce Christus Dominus crucifixionem suam appellat exaltationem, quæ licèt videatur summa depressio & humiliatio, ex Dei tamen providentia facta est summa ejus exaltatio, ut nunc omnes gentes Christum crucifixum adorent, & ab eo veniam, gratiam, gloriam sperent, & expectent. Audi Eusebium Emissenum: *In trutina crucis,* inquit; *non aurum, vel argentum, non aliquid Angelicum, sed semetipsum passus est Author salutis appendi.* O pretium animæ planè immensum.

Jo. 8. 28.

Eusеb. Emiss. hom. 2. de Symb.

3. Sichem princeps, filius Hemor multùm adamavit formosam Dinam suam, præ cujus amore ac desiderio etiam mortem subiit: *Et conglutinata est anima ejus cum ea, tristémque delinivit blanditiis.* Subintrat hìc S. Thomas: Allegoricè per Sichem significatur Christus, per Dinam autem decor Synagogæ, aut si mavis, decor animæ, pro qua Christus Dominus & princeps pacis humeros suos omni labori subjecit, atque pro salute illius mortem crucis subire voluit: *Pro qua Dominus noster JEsus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum.* Ita Ecclesia.

Gen. 34. 3.

Samson dilexit Dalilam suam, licèt perfidam usque ad mortem: *Postbac amavit mulierem, qua habitabat in valle Sorec.* Sic Christus, ait

Judic. 16. 4.

Aven-

Aventinus, amavit animam hominis, licèt peccatricem: *Dilexit me*, ait Gentium Doctor Paulus, *& tradidit ſemetipſum pro me*: Eâdem enim charitate, quâ mortuus eſt pro omnibus, mortuus eſt pro ſingulis. Ita S. Bernardus. Gal. 2. 20. S. Bern. ſerm. 41. in Cant.

Jacob Patriarcha pro Rachele in æſtu & gelu, in fame & ſiti ſeptem annis inſerviit, & tamen *videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine*: Chriſtus Dominus pro anima à primo conceptionis ſuæ inſtanti per triginta quatuor annos inſerviit, & tamen videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine; unde exclamavit paulò ante mortem: *Deus meus Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Supra quod ſanctus Bonaventura: *Chriſtus tanto deſiderio exarſit patiendi, ut tribus horis in cruce exſaturari non potuerit, ſed expetierit in ea pati usque ad finem mundi.* Et hoc pro anima tua? Et quid tu pro JESU Crucifixo? Ah miſer! nondum usque ad ſanguinem reſtitiſti! Duc in altum: plus ultrà. Gen. 29. 20. S. Bonavent. in 1. edit. de Paſſ. Chriſti.

4. Cæterùm quærunt ſacri Doctores, quare Chriſtus Dominus in ligno crucis pendens tam amarè fleverit: *Cum clamore valido & lacrymis offerens?* R. S. Bernardus: *Non ſolùm flevit, ſed etiam occidi ſe permiſit, ut pretioſi ſanguinis ſui pretio animam redimeret*, Et S. Bernardinus ſuper lacrymas Chriſti crucifixi ſe reflectens ait: *Deus vidit deſtrui multa regna, & nunquam flevit, ſed pro anima flevit, licèt de ſua natura non ſit paſſibilis.* Et rurſus Mellifluus: *Agnoſce ô homo, quàm nobilis eſt anima tua, & quàm gravia fuerint ejus vulnera, pro quibus neceſſum fuit Chriſtum Dominum vulnerari.* Hebr. 5. 7. S. Bernardus c. 3. Med.

Deſideratis plura? Ubi Vita noſtra (Chriſtus Dominus) in cruce mortua eſt, obſervat S. Scriptura, quòd continuò terra vehementiſſimo motu contremuerit: *Et terra mota eſt.* Cauſa hujus terræ motûs fuit comprimis divinitas Chriſti, quæ etiam in ſumma ſui abjectione ſummam ſuam oſtendit omnipotentiam ac majeſtatem, quia erat Dominus cœli & terræ: Matth. 27. 51.

Et terra mota eſt, ut ſignificaretur per hoc terræ ſenſus, quaſi ſummè indignantis propter tam enorme ſcelus in Dei Filium comiſſum, quæ tunc in Judæos deicidas inſilire voluit, eósque abſorbere vivos in infernum, niſi Dominus rogaſſet: *Pater dimitte illis.*

Aliam rationem ſubdit Didacus de Caſtillo Illat. 46. quòd in hoc terræ motu etiam crux & in ea Crucifixus Dominus fuerit commotus & diſcuſſus; Sanguinem enim jam omnem ex ſacris vulneribus profuderat, erat tamen adhuc in SS. Cordis JEſu intimo ſinu adhuc una, vel altera guttula, ne ergo amor conqueri poſſet, non omnem ſanguinem pro ſalute animæ noſtræ eſſe profuſam, voluit benignus Dominus

minus, ut & cor suum lancea militis transfigeretur, ne unica remaneret stilla. O immensus amor! quis unquam audivit talia? Subintrat hìc S. Augustinus: *Jam pretium solvit, sanguinem fudit unicus Dei Filius: O anima erige te, tanti vales.*

S. August. in psal. 102.

5. Jam non miror ampliùs, quare benignissimus JEsus in cœna ultima prolapsus sit ad pedes Judæ proditoris: *Et cœpit lavare pedes discipulorum*, ergo & Judæ Iscariotæ, in cujus pectore jam residebat diabolus: *Unus ex vobis diabolus est.* Et quomodo, obsecro, mi Domine, coram hoc incarnato diabolo tua poteras genua flectere? Priùs dæmon tibi liberaliter obtulit omnia regna mundi, si cadens in terram adorasses eum: *Hæc omnia tibi dabo.* Sed noluit mitissimus Dominus pro obtinendo universo mundo principi tenebrarum unum incurvare genu, unde illum discedere jussit: *Vade Satana!* Et Judæ Satanâ obsesso utrumque incurvat genu, pedésque sordidissimos lavat?

Jo. 13. 5.

Jo. 6. 17.

Matth. 4. 8.

Ratio est, quam insinuant plures SS. Patrum, quia unica anima præstat millenis mundis: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ecce qui omnium optimè noverat æstimare animam, hanc dedit definitivam sententiam, unde voluit ad pedes Judæ se prosternere, ut eum posset erigere, & illius lucrari animam; hinc & illum in traditione amicũ vocavit. O si venisset mercator ille pessimus cum bono latrone ad crucifixum Dominum in animo contrito & humiliato, & sacratissimum nomen JEsu devotè invocasset, sine dubio adhuc fuisset salvatus. Ita S. Leo & Euthymius: *Nam longè*, inquiunt, *est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio.*

Matth. 16. 26.

Et hæc est causa, quòd moriens JEsus tanto cum affectu & cum clamore valido animam suam Patri recommendaverit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Per quod, ait S. Bernardinus, inventam ovem & animas omnium electorum commendavit, & reddidit DEO Patri: O anima pretioso sanguine & morte Christi redempta, considera, quanti pretii te æstimavit summa sapientia Dei. Et tu quid?

Luc. 23. 46. S. Bernard. t. 3. 4. c. 1.

CONSIDERATIO CXXXII.

Quàm gravia sint peccata nostra, apparet ex aspectu & contemplatione crucifixi JEsu.

Vulneratus est propter iniquitates nostras: Attritus est propter scelera nostra. Isa. 53. 5.

I.

QUare maledicit canis iste mortuus Domino meo Regi? *Vadam, & amputabo caput ejus.* Dicebat quondam Abisai, dux & vir egregius ad Semei maledicentem David, & lapides in illum mittentem. Hoc dicit etiamnum hodie justitia divina contra quemlibet peccatorem: Quare hic canis mortuus maledicit Domino meo Regi, & huic crucifixo? quare in eum lapides mittit, illúmque de novo cruci affigit? *Vadam & amputabo caput ejus.* Sed inhibuit David, inhibet & Deus, qui miseretur potiùs, quàm castigat, *dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* O qualis amor Crucifixi JEsu in nos miseros! Audi ipsum per os Isaiæ Prophetæ ad cor tuum loquentem: 2. Reg. 16. 9. Sap. 11. 24.

Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Advertat hoc quilibet Christianus. Supra quod egregiè Leo Castrius apud Cornelium: Tuis peccatis *servire*, id est servi carnem induere, servi pœnas, scilicet crucem susci pere me Christum *fecisti*; imò tam tu ô Israel quàm Pilatus & Romani in morte me tractastis, non tam ut mancipium, quàm ut pecus vel beluam. Vide ex his, & collige quanta pro tua salute passus sit Redemptor tuus crucifixus, proinde rectè S. Bernardus in persona Christi loquens, mortalitati humanæ reliquit hæc emphatica: Isa. 43. 24.

O homo vide, quid pro te patior;
Non est dolor, sicut quo crucior;
Ad te clamo, quod pro te morior,
Vide clavos, quibus confodior.
Cùm sit tantus dolor exterior,
Interior est planctus gravior,
Cùm te tam ingratum experior.

Eccli. 22. 10. 2. Olim præcepit sapientissimus Ecclesiasticus: *Supra mortuum plora: defecit enim lux ejus. Et super fatuum plora: defecit enim sensus.* Et qualis, haud immeritò quæres, iste mortuus est, super quem maximè plorandum? Attolle oculos tuos & crucifixum JEsum aspice, pro tua salute in cruce mortuum. Plora hìc ô peccator! plora, & dic cum Jerem. 9. 1. Propheta Threnologo: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Et plorabo die ac nocte,* quia ego interfeci Dominum meum, & quia peccata mea erant offensa Dei summè boni & summè dilecti. *Et super fatuum plora, cui defecit sensus,* hoc est, super te ipsum plora, tanquam super peccatorem miserrimum, quia omnis peccator fatuus Deut. 32. 6. est; unde Moyses in Cantico ad ingratum populum: *Haccine reddis Domino populo stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?*

Jud. 16. 21. 3. Samsoni capto Philistæi hostes eruerunt oculos, ac deinde excæcatum, tanquam jumentum ad molam miserunt, ut semper in circuitu gyrando viam quidem quæreret, sed nunquam inveniret. En typum excæcatorum peccatorum; Fuit autem Samson justâ ac congruâ pœna oculis privatus, quia illis lascivè aspexit, & concupivit Dalilam, erat tamen hæc pœna ei valdè salutaris, quia per cæcitatem oculorum corporis aperti sunt oculi mentis, ut ex hac pœna agnosceret culpam, & de ea pœniteret, ac pœnitens Dei gratiam inveniret; hinc meruit, ut moriens typus Christi in cruce morientis, & ad duo extrema crucis manus extendentis fieret: *Concussisque fortiter columnis, cecidit domus super omnes principes & cateram multitudinem,* sic Christus in cruce moriens oppressit diabolum, peccatum, gehennam. Pro reflexione morali collige ex hoc gravitatem peccati, unde rectè Eminentissimus Bellarminus: *Nunquam planè cognitum fuisset, quanta sit ira Dei adversùs peccatum, nisi expiari* DEUS *illud voluisset morte Unigeniti Filii sui.* Et tu audes adhuc peccare? Audi antiquissimum Originem: *Pro te,* ait, *Dei Filius jugulatus est, & iterum peccare te delectat?*

Bellarm. in Psal. 84. Orig. hom. 2. in Levit.

4. S. Pau-

4. S. Paulus pro animi sui magnitudine aliquando omnes creaturas, imò omnes hostes internos & externos provocavit, an ipsum possent ab amore Dei & crucifixi JEsu separare: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi?* An tribulatio? Certè non, quia gloriamur in tribulationibus. An angustia? Neque illa, quia charitas in Christum superat omnes angustias. An fames? Minimè gentium, quia cibus meus est Christus. An nuditas? Neque hæc, quia charitas Christi vestit me. An periculum? Nullo modo, jam enim assuetus sum ejusmodi obviandi discriminibus. An persecutio? Neque illa poterit mihi auferre Christum: *Cùm Christum in cruce intueor*, ait in persona Pauli Cornelius, *& lego purpureos toto corpore amoris mei caracteres, libet exclamare: Veni inedia, veni dolor, veni crux, venite leones, vos ambio, ut amorem meum in Christum ostendam, ut amorem amori rependam.* Rom. 8. 35. Cornel. hìc.

Sed ignosce S. paule, magne Doctor Gentium; ignosce, inquam, unum adhuc est, quod separat à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu & hoc crucifixo, nimirum unicum peccatum grave: *Alia enim omnia*, ait Didacus Nyssenus, *non habent vires, ut avellere quemquam ab amicita Dei queant, unum, solúmque peccatum eam extinguere momento potest.* Vide ex hoc gravitatem unius peccati lethalis; Unde S. Bernardus: *Gravis animæ casus, qui non nisi Christi cruce potuit reparari.* Didac. Niss. Vit. Abr. l. 2. cap. 9. S. Bernardus ep. 54.

5. Juvat hìc consulere S. Thomam Villanovanum Archiepiscopum, cujus granarium post farinam omnem in pauperes erogatam divinitùs plenum inventum est, cui Christus de cruce viva voce secunda die Februarii dixit: *Æquo animo esto, in die nativitatis Matris meæ venies ad me.* Hic, inquam S. Archipræsul, cùm aliquando attentiore & ardentiore mente amorem suum in cruce pendentem considerasset, stupore plenus exclamavit: *Quid magìs peccati horrorem homini incutere potest, quàm videre Filium Dei pro peccato in crucis patibulo morientem, & terribilem passionis pro reatu hominis satisfactionem reddentem? O grande malum peccatum! pro quo talis ultio fit. Non mihi inundantem Mundum, flagrantes civitates, absorptos homines, non inferni, & omnes ejus pœnas obticias; nam si mihi proponas gehennas, non sic expavesco, & contremisco, sicut videre Deum pro peccato morientem, & peccati reatum morte solventem; Nihil me ita Domine deterret, nihil me sic à peccato detinet, sicut videre Filium tuum dilectissimum Unigenitum propter peccatum clavis affixum, latronibus associatum, & crudelissimâ morte mulctatum. O infinitam audaciam peccatoris! qui post tale spectaculum peccare non formidat?* O anime mi, qui hæc legis, & crucifixum JEsum aspicis, quare non cum Vate Regio exclamas: Iniquitatem meam ego cognosco; ego peccavi, ego te ô Fili Dei in cruce interemi; Vita hujus S. 17. Septemb. S. Th. de Vill. tr. de Adv. Dom.

teremi, sic quod deliquit servus, luit Dominus? Ah miserum me! Quid ergo consilii?

Luc. 16. 6. 6. Villicus ille iniquus, qui apud Dominum suum diffamatus est, quasi dissipasset bona ipsius, prudens adhuc invenit consilium: *Fodere*, inquiebat, *non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam*? Et quid facies? Faciam, reponit mihi, bonos amicos, ut cùm defecero, me recipiant ad sua tabernacula. Et quales ergo amicos facies? Apage cum Mammona iniquitatis; Optimus ac potentissimus amicus tuus est Christus JEsus & hic crucifixus; & quia fodere non voluisti, ecce in agro Golgothæo in SS. Vulneribus, imò & in divinissimo corde ejus jam fossæ factæ sunt. Mendicare erubuisti; Ecce ipse pro te factus est mendicus, & adhuc hodie orat pro te apud Patrem suum omnipotentem.

1. Jo. 2. 1. Audi dilectum ejus discipulum: *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed & si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem; JEsum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Non pro nostris autem tantùm,*

2. Cor. 5. 15. *sed etiam pro totius mundi.* Ergo ô bone JEsu etiam pro peccatis meis? Ita est, pro omnibus enim passus est Christus. Sufficit mihi ista lectio; gravia quidem sunt peccata mea, sed nondum despero, quia bonum fidejussorem habeo, Dominum meum JEsum, & hunc crucifixum, intra cujus SS. Vulnera cum S. Antistite Hipponensi & vivere volo, & mori desidero.

CON-

CONSIDERATIO CXXXIII.

Peccata etiam venialia deliberatè commissa, SS. Cor JEsu Crucifixi vehementer affligunt.

Quem tu percussisti persecuti sunt: Et super dolorem Vulnerum meorum addiderunt. Psal. 68. 31.

1.

UBi David Rex, nunc ob admissa delicta in periculo æternæ reprobationis constitutus, mirabilem illam parabolam de viro divite & paupere audivit, quam Nathan Propheta per pulchras ambages proposuit: *Duo viri erant in civitate una, unus* 2. Reg. 12. 1. *dives, & alter pauper &c.* Indignatus tantæ temeritati in hæc verba prorupit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc; ovem reddet in quadruplum.* Quâ auditâ Davidis confessione publicâ Nathan generoso animo subjungebat: *Tu es ille vir &c.*

Ah nos miseros! indignamur subinde, dum piam aliquam Crucifixi Filii Dei imaginem intuemur, & per transennam contemplamur, indignamur, inquam, impiis Judæis, Iscariothæ, Caiphæ ac Pilato, quòd illi primaria crucifixionis ac mortis ejus causa extiterint, & nos ipsos non tangimus. Ah cur non nobis ipsis indignamur, ac sancto zelo ita scimur, dum pariter de nobis, & de quolibet nostrûm dici potest: *Tu es ille vir*, qui crucifixisti D. N. J. Christum. Et ecce! nondum finis est tot offensarum ac læsionum Filii Dei: *Rursum crucifigentes*, ait S. Paulus, *sibimetipsis Filium Dei.* Nec sufficiebat D. Paulo dicere, Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, sed insuper addidit: *Et ostentui habentes*, hoc est, ait Lyranus, *quia videntur irridere mortem Christi, quasi pro modico eam habentes*, & interim liberè peccantes. Et licèt non semper in mortalia prolabantur peccata, venialia tamen, ac satis crassa quotidie admittunt. De qua veritate plura impræsentiarum. Hebr. 6. 6.

2. Pessimus Satan, permittente Numine, Jobum virum optimum juxtà ac sanctissimum non duntaxat omnibus spoliavit bonis, sed & pluribus eum vulneribus, morbisque acutissimis cruciavit: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit ulcere pessimo Job, à planta pedis usque ad verticem ejus.* Adverte hìc astutiam diaboli! non enim uno ictu ac vulnere Jobum occidit, sed pluribus eum sauciavit plagis. En typum illorum peccatorum, qui à peccatis quidem mortalibus abstinent, sed venialibus delictis crucifixum JEsum quotidie offendunt, & SS. Cor ejus affligunt: *Agnosce*, ait S. Bernardus, *quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari: si enim non essent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur.* Observa; Sunt quidem peccata venialia non ad mortem sempiternam, sed disponunt ad mortem sempiternam; Opponitur enim veniale Bono infinito, & habetur pro levi & modico; interim tamen est ingens malum, quod summo tantùm malo minus est; malléntque Beati pœnis addici æternis, cœlóque privari, quàm unum peccatum veniale admittere.

Job. 2. 7.

S. Bernard. serm. 3. de Nativ.

3. Hanc veritatem non obscurè prævidit Vates Jessæus, dum de Christo crucifixo vaticinatus est: *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.* Persecutus est, ut ita dicam, Pater æternus dilectissimum Filium suum JEsum, dum ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, posuítque super eum iniquitates omnium nostrûm; Et ecce ista nondum etiam inter Christianos cessat persecutio: *Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt*, quod faciunt illi, qui venialia peccata impudenter, voluntariè ac deliberatè admittunt & committunt. Hìc oportet, ut audiamus S. Bernardum: *Pensa*, inquit, *cuius sit formidinis & horroris tuum, atque omnium contempsisse Factorem, offendisse Dominum Majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri, atque maximè hujus Majestatis, & hujus Domini. Nam si reum Regiæ Majestatis, quamvis humanæ, humanis legibus plecti capite sancitum est, quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? tangit montes, & fumigant, & tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulvisculus? Uno levi flatu mox dispergendus, & minimè colligendus? Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam.* Audis hoc? Hæc S. Bernardus.

Psal. 68. 31.

S. Bernard. serm. 16. in Cant.

4. Ranæ & Ziniphes supra modum fatigarunt Regem Ægypti, & venit insuper *musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptáque est terra ab hujusce modi muscis.* Cæterùm musca impudentissimum animalculum est, ac molestissimum tam jumentis, quàm hominibus, & Abulensis existimat, muscas illas

Exod. 8. 24.

illas morsu suo fuisse venenatas, unde Scriptura subjungit: ***Corrupta est terra ab hujuscemodi muscis.***

Adverte: Peccata venialia sunt similes ziniphes & muscæ, quæ turmatim venerunt ad Christum Regem crucifixum, non enim omnes lethaliter peccarunt, qui ad hoc lamentabile crucifixionis concurrebant spectaculum: ***Si enim cognovissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.*** Proinde etiam multi ex ignorantia tantùm venialiter deliquerunt; sed quid est peccatum veniale? R. Tam est offensa DEI, quàm mortale, sed minor, & expedit, ut omnes tam Angeli, quàm homines, quin universitas rerum & creaturarum omnium in nihilum revolveretur, quàm ut vel unicum veniale admittatur. Quomodò ergo audes, anime mi, in crucifixum JEsum de novo vel unico peccato veniali & voluntario peccare? Unde S. Ambrosius: ***Doles Domine, & verè doles non tua vulnera, sed nostra scelera***, quia videlicet infinities magis Deus odit peccatum, quàm omnia tormenta, quorum illud causa est. 1. Cor. 2. 8. S. Ambros. in Luc. c. 10.

5. Rem audi mirabilem ac stupendam. Tempore Maximiani Imperatoris, cùm is Apimeæ in urbe, quæ est Syriæ Metropolis cum aula sua resideret, immanis contra Christianos excitata est persecutio, in qua ad tribunal delatus est S. Mauritius heros insignis ac Capitaneus, cum septuaginta aliis Christianis militibus, qui ad quæstionem omnes uno ore & animo Christum & hunc Crucifixum, verum Deum & hominem confitebantur. Contra quod pium agmen pugnabat comprimis Tyrannus vinculis, flagris, uncis, equuleis, sagittis, flammis & ferro; sed frustra omnia, stabat enim ob amorem Christi inter omnes cruciatus immota hæc fortissima Martyrum phalanx. Sed audi immane crudelitatis inventum. Locus erat medius paludem inter & flumen, ubi innumerabilis crabronum, vesparum, ziniphum, fucorum, culicum & similium insectorum videbatur multitudo; hìc ergo generosus athleta Mauritius cum sociis ad palum fortissimè alligatus est nudus, & melle illitus, ac toto corpore perunctus, ubi inter divinas laudes cum cæteris SS. Martyribus per innumeros vesparum aculeos intra decem dies lento & acutissimo martyrio, consumptus, & usque ad ossa exesus est. En Lector prudens, potuitne an vel ipse diabolus aliquid crudelius excogitare? Simon Metaphr. & ex Menæis 21. Febr.

6. O Christiani! Ecce monstro vobis pientissimum Redemptorem vestrum JESUM ad palum crucis alligatum, imò dirissimis affixum clavis, & toto corpore saucium. Ah quàm innumera multitudo

titudo peccatorum, & mortalium & venialium ipsum inter paucas horas in cruce confecit! *Tolle, tolle: Crucifige, crucifige*, succlamabant omnes, & tanquam vespæ & ziniphes ac muscæ venenatæ turmatim irruebant in JEsum, ut eum perderent; inter quos & pueri erant petulantes, qui, teste S. Anselmo in dialogo Passionis, lutum & lapides projiciebant in Christum; Hoc faciunt etiamnum illi, qui sine rubore, sine timore venialia quotidie admittunt, & gloriantur in iniquitatibus suis, de quibus S. Bernardus: *Magis aggravant Christum vulnera peccati nostri*; Et in alio loco: *Tune leve dixeris, quo offenditur Christus? unde ad Dei tribunal pertrahi debes? cùm horrendum sit incidere in manus Dei viventis.*

S. Bernard. serm. 2. de Pasch. Idem serm. 29. in Cant.

7. Refert Cæsarius Heisterbacensis libro 4. illustrium Miraculorum de quodam Religioso socorde, & ad psalmodiam sæpius indormiscente, quòd à Christo crucifixo Domino in choro graviter fuerit castigatus; verba illius enarro: Vix sunt duo menses elapsi, quòd Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in Choro solebat dormire, rem terribilem valde: Nocte quadam cùm ex more dormiret, aliis psallentibus, Crucifixus ex altari venit, dormientem excitavit, & tanto cum nisu maxillam ejus percussit, ut intra tertium diem moreretur. Accidit hoc anno 1222. Mitto quàmplures alias historias, illorum etiam Sanctorum, qui propter peccata venialia à Deo horrendum fuerunt castigati in modum. Nobis sufficiat sententia Sapientis: *Quasi à facie colubri fuge peccata*; Etiam venialia.

Eccli. 21. 2.

CON-

CONSIDERATIO CXXXIV.

Qui ex animo ad DEum vult converti, ad pedes Crucifixi JESU contritionem suam faciat.

Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. Luc. 23. 48.

1.

PRædicabat S. Joannes Baptista Præcursor Domini ad Jordanis flumen, ubi Josue cum exercitu suo sicco pede transierat, pœnitentiam in remissionem peccatorum, in quo loco in ripa acervatim jacebant lapides, & in ipso medio Jordanis alveo duodecim lapides grandiores, quos in memoriam tanti prodigii ibidem Josue erigi jussit; & ut populum istum ad dignos pœnitentiæ fructus faciendos animaret, hanc ex præsentibus lapidibus comparationem in medium produxit: *Quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et quomodo hoc? Matth. 3. 9.

R. Euthymius: Hoc impletum esse in passione Christi, in qua multi obdurati videntes petras scindi, aliáque prodigia, compuncti pœnituerunt, & crediderunt in Christum. Unde observat S. Lucas: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua* (in signum doloris & pœnitentiæ *revertebantur.* Supra quod Cornelius: jam incipiunt producere flores pœnitentiæ, ut prædicantibus Petro & Apostolis fructum pariat, quod factum est paulò pòst, prout Actorum 2. 37. videre est. Juvat hic audire Theophilactum: *Excitavit Deus filios Abrahæ ex lapidibus, quando multi videntes Crucifixum, & ruptas petras crediderunt.* O peccatores terræ! si nondum degenerastis in crudos lapides, ecce facile remedium, quomodo de statu perditionis possitis venire ad statum gratiæ, & ex lapidibus suscitari in filios Abrahæ. Ite ad crucifixum JEsum, quia non est in aliquo alio salus. Luc 23. 48.

Psal. 77. 20. 2. Moyses per modum crucis *percussit petram, & fluxerunt aquæ.*
S. Aug. tr. 26. in 10. Supra quod S. Augustinus: *Percussa est petra de virga bis. Gemina percussio duo ligna crucis significat.* Audi ipsam Veritatem, Christum Dominum hunc Scripturæ locum
Revel. S. Birg. cap. 35. sic sanctæ Birgittæ explicantem: Petra hæc, inquit, est cor durum hominis: hoc enim si percutitur timore, & amore meo, statim effluunt lacrymæ contritionis & pœnitentiæ. Nullus sic indignus, nullus sic malus, si vertit se ad me, si passionem meam intimè cogitat, si potentiam meam attendit, si bonitatem perpendit, quòd non fluant ora ejus lacrymis, & omnia membra ejus ad devotionem excitentur. Hæc Christus crucifixus ad S. Birgittam.

Quid ergo agis peccator miserrime! quare in peccatis tuis vis computrescere, & sic æternùm perire? Surge, & illuminabit te Christus; Surge, inquam, & de novo erige te in spem, si crucifixum Dominum aspicis, ac contemplaris: En sacratissima Vulnera ejus adhuc aperta sunt, & plus ille potest dimittere, quàm tu committere: *Tota*
S. August. in Manual. c. 22. *spes mea*, ait S. Augustinus, *in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, & refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea. Peccavi peccatum grande, & multorum mihi sum conscius delictorum; nec sic despero, quoniam ubi superabundaverunt delicta, superabundavit & gratia.*

Luc. 18. 13. Luc. 15. 21. Luc. 23. 42. 3. Vide, & considera pœnitentiam Publicani per quinque verba, sed seria & ex animo contrito promanantia justificati: *Deus, propitius esto mihi peccatori.* Prodigum attende: *Pater peccavi in cœlum & coram te.* Latronem intuere: *Domine, memento mei.* Petrus & Magdalena non verbis, sed lacrymis suam exprimebant compunctionem, & exauditi sunt. Fac similiter, & si flere non potes ad pedes crucifixi Redemptoris tui, saltem cor tuum fleat, & propter offensam Dei ob tot perpetrata peccata tua in lacrymas diffluat.

Matth. 8. 4. Sed oportet, ut sistas te Sacerdoti: *Vade, ostende te Sacerdoti*, quia non sufficit solùm per contritionem & gratiæ infusionem à lepra animæ mundari; sed teneris quoque, ut tempore congruo te ostendas Sacerdoti novæ legis, aperiendo illi cor tuum per veram confessio-
Psal. 50. 1. Cassiodor. hic. nem: *Miserere mei Deus, dicebat ille Rex*, ait Cassiodorus, *potentissimus, cùm se audisset à Nathan Propheta redargui; peccatum suum non erubuit publicè confiteri: Nec ad noxias excusationes cucurrit, ad quas maximè festinat humanitas. Sed repentè salutari humilitate prostratus ipse se Deo offerens purpuratus pœnitens piis lacrymis supplicavit.* Hoc fac & tu, si gratiam apud Crucifixum Dominum discupis invenire. Et nunquid si apud sæcularem Judicem tua confessus fueris delicta, sine mora ad pœnam condemnaris? Et licet post acceptam sententiam usque ad mortem lamenteris, non tamen flendo aliquid efficies: *Si verò*, subintrat hic S. Chry-

Chryſoſtomus, *toto corde ingemueris ad Deum, ſolviſti repentè ſententiam, veniámque conſecutus es.* Hinc rectè & benè S. Vincentius Ferrerius: *Quando*, inquit, *abſolvitur peccator, debet cogitare, quòd omnia Vulnera ſint aperta, & ſanguis effundatur ſuper eum*, quia ſine hoc divino ſanguine non fit remiſſio. S. Chryſoſt. hom. 6. in Matthæum.

4. Nunc conſidera unà mecum, quomodo Chriſtus Dominus in cruce pendens, in ſumma ſui abjectione ſummam ſuam oſtenderit majeſtatem & omnipotentiam, ne videretur coactus mori. *Terra mota eſt*, & totus terræ globus è centro ſuo convulſus contremuit: *Et petræ ſciſſæ ſunt.* Primò in ipſo Calvario monte, ubi crucifixus eſt Dominus, quod adhuc videtur, & ſimul per orbem terrarum in centenis ac pluribus aliis locis, ac præſertim propè littus Campanum & in monte Alverniæ, ad quam petram mira fuit S. Franciſci Seraphici devotio; unde in eodem loco quinque ſacratiſſima Chriſti crucifixi ſtigmata meruit accipere. Matth. 27. 52.

Ecce quomodo in morte pientiſſimi Redemptoris noſtri & ipſa ſaxa ſciſſa ſunt. Linguam non habebant, & tamen amplum de Deo & Homine Chriſto pro ſalute omnium mortuo perhibebant teſtimonium; Cor non habebant, & tamen loquebantur ad cor noſtrum, quid nos facere oporteat; non fundebant lacrymas, ſed noſtras deſiderabant, & etiamnùm deſiderant. En ſigna condolentis naturæ. Pudeat ergo hominem Chriſtianum pretioſo illius ſanguine redemptum, non plus dolere mortem Chriſti, quàm ſenſerunt elementa.

Paſſus eſt ille in omnibus membris pro te: in capite coronam ſpineam, in facie ſputa, in genis alapas, in lingua ſiccitatem, in humeris crucem, in brachiis immanem extenſionem, in manibus ac pedibus clavos ferreos, & in toto corpore unum vulnus. Et hic Dominus ac Deus tuus clamat ad te: *Quid ultrà potui facere pro te, & non feci?* Ah quid moraris homo Chriſtiane? *Petræ ſciſſæ ſunt*, & cor tuum propter tot delicta tua præ contritione non ſcindatur? Audi S. Thomam Villanovanum: *Peccavimus fratres*, inquit, *aut pœnitendum aut ardendum: Quantò melius modicùm pœnitere, quàm perpetuò ardere?* S. Tho. Vill. Conc. 1. de judicio.

5. Audi hiſtoriam: Theodoricus Suſatenſis ſtudioſus, & nunc juvenis maturus contendebat Lubecam ad Virginem, quam deperibat, ut eam ſibi deſponſaret; ſed alius prævenit, quem dicta virgo ſibi elegerat in ſponſum, quod audiens Theodoricus indignari cœpit, fremere, & quod ejuſmodi procis familiare eſt, dæmonis opem inclamare: *Diabolus, qui me huc adduxit, hinc etiam poterit abducere, & unde veni, reducere.* Et ecce invitatus mox adſtat tartareus ductor, qui juvenem apprehendens in aëra evexit, & ultrà civitatem Lubecam aſportans, ad aquas depo- Cæſarius Heiſterbacenſis lib. 5. c. 27. & Sandæus Cent. 3. n. 10.

depoſuit, & in terram projecit, exclamans: *Periiſſes, niſi te ſignaſſet,* quia in ipſo raptu juvenis ſignum S. Crucis formaverat.

Dimiſſus à Cacodæmone, & à tali lapſu tam immiti humi jacens extenſus, ſanguinémque vomens, tandem ad ſe reverſus, ad flumen manibus, pedibúsque prorepſit, ad cujus ripam ſe abluit, ac lento & tremebundo pede, baculo innixus, tandem ad hoſpitium ſuum pervenit, ubi ſanctiora & ſaniora cœpit meditari conſilia; & quia virtutem ſanctæ crucis agnovit, in animo contrito & humiliato ad pedes crucifixi Redemptoris ſui prolapſus, veniam temeritatis ſuæ & peccatorum impenſiſſimè rogavit, & obtinuit, unde relictis omnibus Religionem ingreſſus, *totum ſe cruci & crucifixo JEſu dedicavit.*

Diſce ex hoc, anime mi, quantum poſſint ſuſpiria, & affectus contritionis ad pedes crucifixi Salvatoris noſtri. Proinde ô mi JEſu vulnerate ex toto corde meo doleo, quòd unquam à prima mea pueritia huc usque peccaverim, quia te, Deum meum ſummè Bonum, bonorum omnium fontem offendi; ô ſi ſanguine meo fieri poſſet, ut non offendiſſem te, omnem parato animo profunderem, uti tu omnem profudiſti pro me in cruce; doleo ô mi JEſu, Amor crucifixe!

CONSIDERATIO CXXXV.

De immenſo pretio Sanguinis Chriſti, in paſſione & in cruce ad redemptionem animarum noſtrarum effuſi.

Empti eſtis pretio magno: Glorificate, & portate DEUM in corpore veſtro. 1. Cor. 6. 20.

I.

Gen. 37. 28. JOſephi Patriarchi Jacobi filii pretium æſtimatum quondam fuit viginti argenteis, ita ſcriptura: *Et pratereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterno, vendiderunt eum Iſmaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.* Chriſti Domini ac Salvatoris noſtri JEſu pretium æſtimatum fuit triginta argenteis: *At illi conſti-*

constituerunt triginta argenteos. Plus ultrà, plus ultrâ, ô iniquissimi negotiatores! pretium hoc est sine pretio: Proinde plùs offerte quàm 15. florenos, hanc etiam summam triginta illi faciebant argentei; prout etiamnum videre est in ejusmodi argenteis, quorum unum genuinum Romæ in Basilica S. Crucis in agro Sessoriano quondam vidi, & contemplatus sum. Matth. 26. 15.

Sed observa ulteriùs. Judas pœnitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus, ut impium contractum cum eis initum rescinderet: *Peccavi tradens sanguinem justum*, & projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueo se suspendit. O miserrime! expecta parumper, & considera: *Quia pretium sanguinis est*, & quidem Christi, agni immaculati pro delictis universorum in ara crucis immolati. O pretium sine pretio, de quo S. Paulus: *Empti estis pretio magno.* O verè pretium magnum, cui æquiparari non possunt omnes hujus mundi thesauri. O si Judas impius Domini traditor adhuc parumper expectasset, & non tam citò de sua desperans salute sibi laqueo gulam fregisset; si dixisset reddens denarios loco: Peccavi, tradens sanguinem justum: *Peccavi, tradens sanguinem JEsu*; si hoc immensum divini sanguinis & nominis JEsu pretium cum bono Latrone pœnitens, magìs æstimasset, juxtà Euthymium & alios non æternùm periisset: *Nam longè*, inquit, *est desperatio, ubi est hujus nominis invocatio.* Videamus plura de hoc immenso pretio. Matth. 27. 4. 1. Cor. 6. 20.

2. Ezechias Rex Israelitarum pientissimus, ubi cultum veri Dei à patre Achaz sublatum restituere voluit, plura cruenta ac pacifica sacrificia Deo T. O. M. litavit. Ita Chronicon Regum, ubi de sacrificiis agit, exceptum arâ sanguinem frequentiùs affirmans: *Mactaverunt igitur tauros, & susceperunt sanguinem Sacerdotes, & fuderunt illum super altare, mactaverunt etiam arietes, & illorum sanguinem super altare fuderunt, immolaverunt agnos, & fuderunt super altare sanguinem.* Observa, per omnia ista sacrificia legalia præsignatus fuit Christus Agnus crucifixus, cujus sacrosanctum ac pretiosissimum sanguinem, cujus *una stilla salvum facere totum mundum quit ab omni scelere*, fuderunt super altare, altare autem hoc non erat aliud, quàm crux Dominica, quæ fuit ara summi Sacerdotis, & summi Sacrificii, in qua Salvator mundi, dignissima Hostia, sacificatus est: *Vide*, inquit S. Chrysostomus, *Sacramentum ipse se offert: Ipse sacrificium fuit & Sacerdos, Crux altare.* Ex quibus patet, quòd crux fuerit hominibus instrumentum liberationis, & reconciliationis cum Deo: *Pacificans*, ait Paulus, *per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt.* Cognosce ex hoc, anime mi, immensum pretium Sangui- 2. Paral. 29. 22. S. Th. Aquin. in hymno. S. Chrysost. apud Sand. Tit. 7. Col. 1. 20.

nis

nis Christi in passione, ac præsertim in cruce effusi, quia semper mansit unitus Verbo Dei, *quod enim Christus assumpsit, nunquam dimisit.*

3. Negotiator ille Evangelicus, ubi unam pretiosam margaritam invenit, omnia sua dare voluit, ut compararet eam, sed illam jam alteri, videlicet diabolo venditam reperit; quid fecit? Se ipsum, vitam & omnem sanguinem obtulit, ac dedit in pretium: *Abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Hæc margarita est anima cujusque hominis: ô quàm pretiosa, quia sanguine Christi ab interitu & jugo dæmonis redempta: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, sed non sine sanguine Crucifixi JEsu: Bonum aurum, ait S. Ambrosius, est sanguis Christi, hunc totum dare statuit, cujus partem dedit in Circumcisione, partem cum sudore in horto, partem in flagellatione, partem in coronatione, partem in crucifixione, sed supererat adhuc parum in sacratissimo Corde; Et ecce quàm intenso & immenso amore hanc dilexit margaritam (meam ac tuam animam) unde voluit, ut Longini lanceâ sibi aperiretur cor: *Et continuò exivit sanguis & aqua*, quo condigno pretio pretiosa illa margarita redempta est: *Egreditur*, subintrat hic Mallonius, *thesaurus absconditus, panditur cœleste ærarium, funditur sanguis, consecratur Ecclesia &c.*

Matth. 13. 46.

Isa. 52. 3.

S. Ambr. in Psal. 35.

Jo. 19. 34.

Mallon. c. 20

Exclamo hic iterum: *O pretium sine pretio*, cujus infinitum valorem optimè noverat B. Virgo & Mater dolorosa; hinc, prout auctor est Nicephorus, cum S. Joanne Evangelista hunc pretiosissimum Filii sui sanguinem de aperto latere ejus promanantem religiosè & honorificè vasculo excepit, ac pro summo suo thesauro sibi reservavit, beata verò Maria Magdalena ad radicem crucis vitrum plenum ex terra rubri coloris & sanguine Christi rigata, implevit, in quo vitro in die parasceves adhuc quotannis sanguis ille divinus ebullit. O amantissime JEsu! stillam unicam hujus tui divini cruoris etiam pro me misero peccatore: altare erit cor meum, quod cruci tuæ suppono: Asperge me hoc hyssopo, ut in morte mundus inveniar: *Fuderunt super altare sanguinem.* Domine JEsu! etiam supra me.

Nicephor. l. 1. c. 30.

Le Blanc in Psal. 21. 14.

Jo. 5. 3.

4. Piscina illa probatica à Salomone quondam constructa, semper rubebat sanguine victimarum, habebátque quinque porticus, in quibus jacebat multitudo magna languentium expectantium aquæ motum. Piscina hæc erat index passionis Christi, ait Cornelius, & quinque porticus quinque SS. Vulnerum ejus, in quam piscinam ubi Angelus secundùm tempus descendit, & movebat aquam, semper unus languidorum sanus factus est; Sed quid hoc? in sanguine JEsu crucifixi omnes, si volunt, possunt sanari & salvi fieri: *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis in sanguine suo.* O peccatores! ubi estis? Cur non

Apoc. 1. 5.

ad

ad SS. Vulnera Christi JEsu crucifixi, & ad sacratissimum Sanguinem ejus, quod unicum est redemptionis vestræ pretium, acceleratis, & confugitis? Num adhuc ab ore Crucifixi Amoris nostri audire debemus: *Sicut aqua effusus sum*? Ergo passio mea inutilis est, sicut aqua effusa super terram, quæ pedibus prætereuntium conculcatur? Quousque tandem, ô peccatores, hunc divinissimum sanguinem per peccata vestra conculcabitis? Sanguis agni recèns effusus etiam durissimum adamantem, qui nec igne, nec ferro frangi potest, domare & emollire solet, unde lemma: *Sanguine mollescit*, vel si mavis: *cruore dissolvor.* Et quem, obsecro, hominem Christianum, licet cor suum posuerit ut adamantem, non emolliat, non frangat Sanguis JEsu Christi, Filii Dei, Agni illius immaculati, & incontaminati? Psal. 21. 14.

5. Jacob visâ filii Joseph tunicâ, sangine conspersâ, ad inferos descendere cupiebat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* Tanta vis est sanguinis ad commovendos hominum animos. Sic Elephantes viso sanguine excitantur, & animantur in prælium, unde lemma: *Sanguis robur adauget.* Consule librum secundum Machabæorum cap. 6. v. 34. ubi illis *ostenderunt sanguinem uvæ & mori ad acuendos eos in prælium.* Ita Annibal, cùm contra Romanos pugnaret, ostenso Elephantis sanguine, ita eos concitavit, ut in medios hostes irruerent intrepidi, & ingentem inter illos stragem ederent. Considera omnes SS. Martyres, quorum undecim milliones Cornelius numerat, unde tantus illis ardor & animus, ad omnia sustinenda adversa & supplicia decumana? Audi S. Augustinum: *Multi Martyres multa tormenta passi sunt, sed nihil sic elucet, quomodo caput Martyrum; ibi melius intuemur, quod illi experti sunt.* Aspiciebant nimirum in Auctorem vitæ & Consumatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ; ideò alacres currebant ad tormenta; unde factum est, quòd sanguis Martyrum fieret semen Christianorum. Ita antiquissimus Tertullianus. Gen. 37. 35. S. August. in Psal. 63.

6. Ubi Julius Cæsar primus Imperatorum in senatu Romano à Senatoribus malè contentis (ut ita dicam) viginti tribus vulneribus crudelem in modum fuit interfectus, amici ejus effigiem Cæsaris ex cera artificiosè elaboratam, cum eisdem cruentis in facie & toto corpore inflictis vulneribus populo Romano in foro publico ad videndam & considerandam repræsentarunt, ad quod horrendum spectaculum ingens animorum motus factus est, Cæsarem ac Dominum suum amaris lacrymis deplorantium. Appianus lib. 2. de civilibus bellis.

Si talem motum inter Gentiles cruenta Cæsaris effigies potuit in civibus Romanis causare, quid non faciat devota ac cruenta imago cruci-

crucifixi JEsu, quam Ecclesia in die Parasceves & aliàs per annum nobis solet proponere, si pio aspectu & mente attentiore illum volumus contemplari, qui pro nobis tam indigna pertulit? *Cujus sanguis effusus*, ait S. Joan. Chrysostomus, *omnem terrarum orbem abluit; hic est salus animarum nostrarum, hoc abluitur anima, hoc inflammatur.* Olim succlamabant Judæi ad Romanum Judicem Pilatum: *Sanguis ejus super nos.* Succlamo & ego ad Patrem cœlestem: *Sanguis ejus super nos*, non ad condemnationem, ah non, sed ad vitam æternam. Finio cum S. Hieronymo: *Sanguis Christi clavis paradisi est.* Hanc tene, & intrabis in eum.

S. Jo. Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch.

Matth. 27. 25.

S. Hieron. Ep. 7. ad Dardan.

CONSIDERATIO CXXXVI.

Invitantur omnes Christiani, ut in vita & in morte recurrant ad SS. Vulnera Christi JEsu Crucifixi.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth. 11. 28.

1.

FEstum Tabernaculorum adhuc hodie solemniter celebrant Judæi; ad hoc cùm Christus Dominus paucis ante passionem suam diebus in Jerusalem ascendisset paulò post crucifigendus, in novissimo die, hoc est in octavo magnæ hujus festivitatis ad populum abeuntem clamavit: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Domine JEsu! Quid per hunc clamorem validum, & invitationem ad populum, ut ad te veniret, voluisti indicare? Scio, quòd hæc verba sancta Mater Ecclesia in hebdomada sancta fidelibus soleat proponere: *Stabat JEsus, & clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Quid ergo per hoc voluisti nobis insinuare?

Jo. 7. 37.

Respondent SS. Patres & Interpretes, quòd pretiosissimus orbis Redemptor Christus illis verbis indicaverit illum fontem, de quo jam pridem vaticinatus erat Zacharias; *In illa die erit fons patens domui David,*

Zach. 13. 1.

vid, & habitantibus in Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Observa: Fons ille patens erat ipse Author vitæ, in cruce patens omnibus, & ex quinque sacrorum Vulnerum canalibus sanguinem copiosè manantem subministrans omnibus, quo mundantur, reficiuntur, & dealbantur animæ peccatrices, unde magna cum fiducia ad hunc gratiarum fontem oportet nos accedere, ut & nos per ipsum gratiam & misericordiam consequamur in tempore oportuno; ad hoc enim nos excitat Prophetarum princeps Isaias: *Ecce*, inquit, *Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Isa. 12. 3.

2. O saluberrimi fontes! quid sunt plagæ istæ, ô Domine JEsu! in medio manuum tuarum, & in medio pedum tuorum, & in medio cordis tui? R. Hadrianus Lyræus, sunt quinque fontes, qui è terrestri paradisô quondam erupebant in universam faciem terræ, quia omnes per hos quinque sacratissimos fontes redempti sumus. Hadr. Lyr. de Imit. JEsu pat. l. 5. c. 7.

3. Quid sunt plagæ istæ? Sunt refugium peccatorum. Thomam Apostolum incredulum consule, qui in his sacratissimis plagis veniam, misericordiam & gratiam invenit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.* O peccatores omnes! respirate, ite ad Crucifixum JEsum, recurrite ad SS. Vulnera ejus: *Tutum refugium*, ait S. Augustinus, *mihi prabent Vulnera Salvatoris.* Jo. 20. 27.

4. Quid sunt plagæ istæ? Sunt quinque limpidissimi lapides, quibus quondam David Goliam stravit, & superavit. Si vis diabolum ejúsque superare tentationes; hæc adhibe arme, & victoriam reportabis. Ita teste Bollando ipse Christus ad B. Margaritham de Cortona: *Si vis*, inquiebat, *puritatem inviolabiliter custodire, fer tecum quinque lapides meorum vulnerum, & cum eis tuum hostem in fronte percuties.* Et quare tu, ô homo Christiane ac tepide, tam negligens es, & non similia spiritualia apprehendis arma, si caro insidiatur, & dæmon parat insidias? 1. Reg. 17. 40. Bolland. 22. Febr.

5. Quid sunt plagæ istæ? Sunt foramina petræ securissima: *Petra autem erat Christus*, in quibus se tutatur quælibet pia columba & anima Christiana contra insidias antiqui hostis, quasi à raptu accipitris: *Columba mea in foraminibus petræ*, ubi optatum invenit, & recipit asylum; unde rectè Petrus Cellensis: *Foramina petræ sunt vulnera, qua pro salute nostra in Cruce susceptt.* 1. Cor. 10. 1. Cant 2. 14. Petr. Cell. c. 19.

9. Quid sunt plagæ istæ? Sunt thesaurus incomparabilis Ecclesiæ, prorsus inexhaustus, & nunquam exhauriendus, dum una sola gutta hujus divini Sanguinis propter unionem hypostaticam ad Verbum

bum sufficientissima est ad redimendos mille mundos: *Bonus thesaurus*, ait S. Bernardus, *qui fosso agro corporis Christi invenitur.*

Hoc mysterium advertit latro ille bonus, qui cum Christo ob demerita sua cruci affixus est, & cogitabat apud se: Ego fur eram in vita mea, ero & in morte, sed alius: Hic Dominus meus, qui innocentissimus inter duos nos pendet latrones, nihil mali fecit, quem ego peccatorum miserrimus Messiam, Dei Filium, & mundi Redemptorem credo; hic, inquam, Dominus meus est liberalissimus, munificus ac profusus in omnes, quia peccatoribus veniam legat, pro suis crucifixoribus orat, militibus vestimenta consignat, Discipulo Matrem, omnibus immensum Sanguinis ac SS. Vulnerum pretium. Accedam & ego, & furabor regnum cœlorum, proinde humiliter supplicare cœ-
Luc. 23. 42. pit: *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Et quid sequitur? *Hodie mecum eris in paradiso.* Supra quod egregiè Taulerus: *O magna latronis prudentia! videbat patere Domini sui thesauros, & penitùs profusos esse. Quis igitur vetaret eum accipere quantum erat debitum suum, ut satisfaceret Domino suo?* Accepit, & per Sanguinem ac Vulnera JEsu divinæ justitiæ satisfecit. O Christiani omnes! adhuc patet ille thesaurus: emite abs-
Isa. 51. 1. que argento, en *manus ejus nondum est abbreviata, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat.* Proinde cum bono illo latrone curramus ad crucifixum amorem nostrum in omni tribulatione nostra, & inveniemus requiem animabus nostris; ipse enim dixit, & etiamum
Matth. 11. 28. ad nos de cruce clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Ego vulneribus meis vestra curabo vulnera, quia *Pharmaca sunt potiùs, quàm vulnera, Vulnera Christi; Curat enim plagis vulnera nostra suis.*

7. Quid ulteriùs sunt plagæ istæ? R. Vincentius Caraffa dignissimus Præpositus Generalis Societatis JEsu: *Sunt paradisus animæ.* Si Adam in terrestri paradiso perseverasset in statu innocentiæ, præter gratiam justitiæ originalis certò obtinuisset gloriam cœlestem. Quisquis habitat in paradiso SS. Vulnerum & lateris Christi, præterquam quòd se in virtutibus possit perficere, habet insuper certum pignus fu-
S. Leo in ser. de Pass. Dom. turæ in cœlo gloriæ, quia *certa atque secura*, ait S. Leo, *est expectatio promissæ beatitudinis, ubi est participatio Dominicæ passionis.*

Petrus quondam in monte Thaboræo suum quærebat paradisum:
Matth. 17. 4 *Bonum est nos hìc esse*, unde tria voluit ædificare tabernacula, sed *nesciebat, quid diceret.* Anime mi! veni mecum ad Calvarium montem, & ostendam tibi quinque tabernacula, quinque videlicet SS. vulnera JE-
Nadas. 2. Maij. su crucifixi, ô quàm *bonum est nos hìc esse.* Expertum tibi sisto testem S. Antonium Florentinum Archiepiscopum, staturâ quidem pusillum,

sed

sed virtute magnum, qui suam habitationem ac paradisum non alio in loco quærebat, quàm in SS. Vulneribus Christi; hinc cùm aliquando ad Crucifixi imaginem devotissimè oraret, divinâ vi in aërem elevatus, à suavissimis JEsu Vulneribus, inter oscula devotissima pendens, visus est; ubi reverà paradisum suum invenit: *O cacitas filiorum Ada*, exclamat S. Bonaventura, *qui per hac Vulnera in Christum nesciunt intrare. An ignoratis, quòd Christus sit gaudium Beatorum? Cur ergò tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire?* S. Bonavent. de Pass. D.

7. Quid denique sunt plagæ istæ? Sunt claves vitæ & mortis, paradisi & inferni, quæ justis ac pœnitentibus referant cœlum, injustis ac impœnitentibus infernum: hinc piis sunt amori & salvationi, impiis terrori ac damnationi. Quod patet in duobus latronibus cum Christo in crucem actis, de quibus ita S. Chrysostomus: *Uterque pendet in cruce, uterque furacis vitæ, similis utriusque conversatio, sed non in utroque mens una, usque ad tempus quidem crucis viam malignitatis ierunt: Crux autem divisit utrumque*, dum unus salvatus, & alter damnatus est. S. Chrysost. hom. de cruce & lat.

9. O peccatores omnes: *Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum, dum propè est &c. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum*, præsertim pendens in cruce. Eja itaque, repeto monitum, miserande peccator! quiscunque es, fuge ad crucem, fuge ad SS. Vulnera JEsu: *Montes excelsi cervis*, ait Prophetа Regius, sed *petra refugium herinaceis*, per cervos significantur Sancti ac perfecti, qui per contemplationem degunt in sublimibus paradisi montibus, inferiores verò seu peccatores, velut herinacei, libenter habitare debent in petra, quæ est Christus, & potissimùm in sacris ejus Vulneribus, prout fecit S. Comes Elzearius, sic ad virgineam suam conjugem scribens: *Si me videre cupis, quære me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, & ibi me poteris invenire.* In passione Christi, ait Thomas Kempens. & in SS. ejus vulneribus libenter habita: Si enim ad vulnera & pretiosa stigmata JEsu devotè confugeris, magnam in tribulatione consolationem senties. Isa. 55. 6. Psal. 103. 18. Th. Kemp. lib. 2. c. 1.

CONSIDERATIO CXXXVII.

De gratitudine, quam debemus Christo JEsu pro nostra, omniúmque salute in crucem suffixo,

Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo JESU Domino nostro. 1. Tim. 1. 12.

1.

Eccles. 1. 7. RECTÈ Ecclesiastes: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Mare omnium gratiarum est Christus JEsus & hic Crucifixus, ex quo omnes gratiarum fluunt flumina, ac præsertim quinque sacratissima ejus vulnera, per quæ redempti, & à peccatis mundati sumus. Sed oportet, ut & illuc, unde exeunt, nostra revertantur merita, & omnis gratiarum actio, ut cum S. Paulo dicere

1. Tim. 1. 12. possimus: *Gratias ago ei, qui me confortavit* (per passionem ac SS. Vulnera sua) *Christo JEsu Domino nostro*, & quidem, prout ulteriùs urget

1. Thessal. 2. 13. idem Doctor Gentium: *Gratias agimus Deo sine intermissione*, quia dignus est Agnus, qui occisus est, accipere à nobis omnem benedictionem & gratiarum actionem tum hìc in vita, tum per omnem æternitatem.

Psal. 115. 12. 2. *Quid retribuam Domino*, dicebat quondam David, *pro omnibus, quæ retribuit mihi*? Et mox subjungit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen*

Tirin. hìc. *Domini invocabo.* Quæres, qualis sit ille calix salutaris? R. Tirinus: *Calix salvationis, seu redemptionis meæ*, non enim ignorabat David per Christum post mille annos venturum, futuram esse generis humani redemptionem, proinde gratus Deo esse voluit, unde jam tunc illi hostias pacificas & Eucharisticas libavit. Imitare & tu, anime mi! hanc piissimam Davidis intentionem, & cùm crucifixum aspicis, dic apud temetipsum: *Quid retribuam Domino?*

3. Et quid dico de Tobia seniore, ejúsque filio Tobia juniore? Ubi viderunt, & mente attentiore pensarunt beneficia, quæ Raphael Arch-

Archangelus in peregrini ſpecie ipſis contulit, dixerunt ad invicem: *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecum?* Cui ſubjunxit filius: Tob. 12. 1. *Pater, quam mercedem dabimus ei? Aut quid dignum poterit eſſe beneficiis ejus? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabelo ipſe recepit, uxorem ipſe me habere fecit, & dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus ejus fecit, meipſum à devoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare?*

Plus dedit pro te JEſus, Deus & Homo Crucifixus: Creavit, & redemit te, enutrivit, & educavit te, toties ab inferni barathro te eripuit, quoties lethaliter peccaſti, te hactenus viatorem per tot vias, ambages & vitæ pericula ſecurè duxit & reduxit, & ne æternùm perires, ipſe pro te mortem acerbiſſimam in cruce ſubire dignatus eſt, & ſic à devoratione piſcis infernalis te liberavit; quam ergò mercedem & gratiarum actionem huic ſummo benefactori tuo poteris referre: *Quid poſſumus dare viro iſti ſancto?*

Raphael Archangelus hoc ſolùm petiit: *Benedicite Deum, & coram omnibus viventibus confitemini, quia fecit vobiscum miſericordiam ſuam.* Hoc & ego à te poſtulo, anime mi! Si piam aſpicis crucifixi Salvatoris tui imaginem: *Benedic Deum &c.*

4. Et quomodo, dices, ſatis gratus eſſe poſſum Amori meo Crucifixo? Si enim mille vitas haberem, omnes pro illius amore & honore deberem impendere; & hoc quidem verum eſt; ſed audi à Doctore Angelico faciliorem modum, qui pro gratitudine hæc tria requirit: *Gratitudo*, inquit, *conſiſtit in intellectu, linguâ & opere*; in intellectu S. Th. D. infra quidem, dum rimamus, penſamus & æſtimamus beneficiorum magnitudinem, quam nobis contulit JEſus & hic crucifixus, dum per eum ab interitu ſervati ac liberati ſumus: *Empti eſtis pretio magno*; In lingua 1. Cor. 6. 20. & voce, dum hunc ſummum Benefactorem noſtrum pro omni poſſibili modo prædicamus, laudamus, & ſanctum Nomen ejus humiliter invocamus; unde Pſaltes Regius: *Exultabunt labia mea, cùm cantavero* Pſal. 70. 23. *tibi, & anima mea, quam redemiſti*: In opere & agendo, dum pro ipſo & cum ipſo tribulationes & cruces immiſſas patienti & conſtanti animo ſuſtinemus, hinc S. Petrus: *Chariſſimi, Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vo-* 1. Petr. 2. *bis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.*

5. Et dic, obſecro Sodes! ſi quis amicorum tùorum pro tua ſalute & conſervanda anima tua dediſſet oculum, manum vel pedem, vel aliud quoddam membrum, & ſic mutilus per omnem remaneret vitam, nunquid, ſi talem impoſterùm cerneres, & offenderes in via

amicum, illi te gratum profitereris & obstrictum, quia pro te talia ac tam indigna passus est?

Tolle oculos tuos ad Christum JEsum & hunc crucifixum, illúmque à vertice capitis usque ad pedes toto corpore sauciatum intuere ac contemplare; & nunquid dignus erit tuo aspectu, tuo affectu, tuo amore, ut te tanto imposterùm magis gratum exhibeas Benefactori, & amico omnium maximo? Unde rectè S. Bernardus: *Sit JEsus Christus tibi semper in corde, & nunquam imago Crucifixi ab animo tuo recedat. Hæc tibi sint cibus & potus, dulcedo & gloria tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua &c.*

S. Bern. formula honestæ vitæ.

6. Columba illa Noëmica, cessante diluvio, dum non invenit ubi requiescere tpes ejus, sine mora ad benefactorem suum Noëmum in arcam reversa est, portans ei virentis olivæ ramum in signum gratitudinis, quòd per ipsum ab interitu fuerit conservata: *At illa venit ad eum ad vesperam, portans ramum olivæ virentibus foliis.* En pulcherrimum grati animi typum! Noëmus tuus, anima Christiana, JEsus Crucifixus est, hic te servavit à diluvio peccatorum & ab interitu, quia crux illius, prout canit Ecclesia, *arca mundo naufrago* facta est; ô quàm grata esse debes huic summo benefactori tuo: *Esto Columbinus*, ait Barradius, *gratúsque homo ad Christum, peccatorum inundatione cessante, gratiarum laudes grato ore proferens.*

Gen. 8. 11.

Barrad. D. 14 Pent. t. 3. l. 1. cap. 7.

7. Olim electus Dei populus Deo T. O. M. in signum grati animi, quòd tam benignè à servitute Ægyptiaca ab eo liberatus fuerit, quotidie duos agnos immaculatos offerre & libare debuit, unum manè, alterum vespere: *Hoc est, quod facies in altari: Agnos anniculos duos per singulos dies.* Hoc fac & tu, anime mi, redemit te JEsus, & hic crucifixus à servitute diabolica, esto ei gratus manè & vespere: Manè devote assistendo sacrificio Missæ, dum idem sacrificium est, quod olim Christus obtulit in cruce solâ offerendi ratione diversâ, dum hic in Missa incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Offer & vespere cum summa gratiarum actione eundem divinum agnum, procumbens ad pedes huius Crucifixi Amoris tui, dolens de peccatis tuis &c. *Depinge*, ait S. Bernardus, *tibi quasi ante oculos Dominum in cruce pendentem, & nunc pro clavis, nunc pro lancea suspirabis, & gratias ages: Nunc apud manuum, nunc apud pedum vulnera veniam quares.*

Exod. 29. 38.

S. Bern. cit. à Caraff. in Fasc. Myr.

8. Talis gratus amator & imitator Crucifixi JEsu fuit S. Lambertus M. Cæsar Augustæ in Hispania oriundus, qui cùm pro Christo post varia exantlata tormenta tandem capite plecteretur, abscissum caput suum ipse de terra sustulit, & ad aliorum SS. Martyrum sepulchra,

Nadasi 16. April. & alii.

chra, mirantibus omnibus asportavit, lætâ voce decantans: ***Exultabunt Sancti in gloria***, cui cæteri SS. Martyres illic sepulti respondérunt: ***Lætabuntur in cubilibus suis.*** Passus est anno Christi 306.

9. Quid dico de S. Concordio Presbytero Romæ nato, & Spoleti in persecutione Christianorum tempore Antonini Imperatoris se ipsum Crucifixo Domino suo in victimam offerente? Cùm à judice Torquato interrogaretur: Quis esset, & quo appellaretur nomine? Liberè respondit: ***Christianus sum***, & cùm rursùs rogaretur de nomine, nil aliud respondit: ***Christianus sum.*** Parantur fustes, cæditur immaniter, suspenditur in cruce & equuleo, & quid ille? ***Gloria tibi Domine JEsu Christe:*** demittitur de fatali ligno, raptatur de novo in carcerem, ubi lætus decantavit: ***Gloria in excelsis*** Deo; Proponitur illi simulacrum Jovis, ut eidem sacrificet, sed in illum expuit, audiens interim hanc dulcissimam de cœlo vocem: ***Noli timere, sed viriliter age, quia ego tecum sum.*** Sic amputato capite ad pretiosam martyrii coronam, & ad Christum crucifixum, nunc in cœlo regnantem, gloriosus migravit: Disce gratitudinem, disce amorem in crucifixum JEsum, si verus servus & miles Christi es: non sentis tua vulnera, si Ducis tui intueris plagas. Quid ergo retribues pro omnibus beneficiis ejus? Quid retribues Domino?

Martyrol. Canis. & Nadas. 1. Jan.

Passus est anno Domini 167.

CONSIDERATIO CXXXVIII.

De ingratitudine illorum, qui vix, vel parùm recogitant de summo Benefactore suo crucifixo JEsu.

Hæccine reddis Domino populo stulte & insipiens? Nunquid non est ipse pater tuus, qui possedit te, & creavit te? Deut. 32. 9.

1.

ISaias Prophetarum princeps, ubi summam mortalium ingratitudinem erga summum benefactorem suum JEsum & hunc crucifixum statim in principio vaticinii sui in spiritu prævidit, atque expendit, indignatus tanto sceleri, cœlos & terram provocavit

ut

Isa. 1. 2. ut verbum Dei audirent, ac tantæ ingratitudinis monstrum vel maximè detestarentur: *Audite*, inquiebat, *cœli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Et quid, obsecro, Dominus universorum locutus est, ut tantam Propheta efflagitaret à cœlo & terra audientiam?

Audite, & obstupescite: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*: Hæc erat pro maximis illis monstratis beneficiis merces mea, contemptus, blasphemia, & mille scelerum plaustra: Ego creavi eos in hunc finem, ut salvi fierent, redemi eos in sanguine meo, ut à diaboli jugo & inferno liberarentur, mannâ cœlesti pavi eos, imò propriâ carne & sanguine, millena alia adjeci beneficia: *Ipsi autem spreverunt me.* O enorme ingratitudinis vitium, ac portentum! *Haccine reddis Domino populo stulte & insipiens?*

Deut. 32. 9.

2. Venit ad Olivarium montem pientissimus JEsus, & calicem passionis, quem paravit illi Pater, paratum invenit. Abhorrebat quidem humana Christi natura à tam amaro calice: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*, sed mox generosè in Patris se resolvit voluntatem: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæres hìc, cur Christus hic secundùm carnem horrebat mortem crucis, & optabat transire, hoc est, averti à se?

Matth. 26. 39.

R. Cornelius: Videbat Christus multos ingratos fore suæ passioni, mansuros in peccatis, ac damnandos, hic erat ei summus dolor. *O ingratitudo*, exclamat S. Augustinus, *tu es radix totius mali spiritualis, & ventus desiccans, & urens omne bonum, obstruens fontem dominicæ misericordiæ &c.* O ingrati, quid agitis?

Man. c. 18.

3. O quot sunt de facto tepidorum Christianorum, qui strenuè ingratum illum imitantur pincernam, cui Joseph per biennium in carcere multa bona præstitit, & libertatem præsagiit, hoc unicum rogans: *Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit*, sed comes accepti beneficii erat oblivio. O quot sunt tales!

Gen. 40. 14.

Hebr. 12. 3.

En clamat ad te de cruce patiens & moriens JEsus, benefactor omnium maximus: Tantùm memento mei: *Recogita eum, qui talem sustinuit à peccatoribus adversùs semetipsum contradictionem*, qualis ab origine mundi audita non est, nec ullis unquam verbis exprimi poterit; & tu homo ingrate! hæc surdâ pertransis aure? Ergo adhuc verificatur illud Regii Vatis: *Posuerunt adversùm me mala pro bonis*, odium pro dilectione, malitiam pro bonitate? Juvat hìc audire S. Antoninum, ita in persona Christi discurrentem: *Vide homo, quæ patior; ad te clamo, qui pro te morior. Vide plagas, quibus afficior; vide clavos, quibus confodior, & cùm sit tantus dolor exterior & interior, plus tamen crucior, quòd te ingratum experior.* O vitium abominandum!

Psal. 108. 5.
S. Antonin. 2. p. sum. tit. 3. c. 9. §. 3.

4. Val-

4. Valde quondam mirabatur Præses Romanus Pilatus, quòd mitissimus Dominus JEsus ad tot, tantósque insultus, opprobria & accusationes injustissimas Judæorum nihil in contrarium reponeret, neque se in aliquo excusaret, aut defenderet; unde ad Christum tot malignis reproborum linguis accusatum dixit: *Non audis, quanta adversùm te dicunt testimonia?* Et observat Scriptura: *Non respondit ei verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* O pientissime JEsu! Cur nihil dabas responsi? *JEsus autem tacebat*; Credo, & firmiter mihi persuadeo, quia tuam nosuisti impedire passionem ac crucem, ex qua dependebat omnium mortalium vita & salus. Sed ignosce Domine! aliter coram Caipha locutus es; cùm enim unus assistens ministrorum gravissimam tibi impegit alapam, dicens: *Sic respondes Pontifici?* Respondisti illi: *Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cadis?* In novam hìc rapior admirationem, quarè hìc solùm amantissimus Redemptor noster contra injustissimum percussorem os suum aperire voluerit, de quo Evangelicus Propheta vaticinatus est: *Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum, sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet?* Matth. 27. 14. Jo. 18. 22. Isa. 53. 7.

℟. S. Chrysostomus, quòd ingratissimus ille homuncio & Christi percussor fuerit ille Malchus, cui priùs Dominus in horto præcisam restituit auriculam, de quo S. Joannes: *Erat autem nomen servo Malchus*, unde pergit os aureum: *Servi nomen meminit Evangelista; quoniam magna res erat, non tantùm quòd eum curaverit, sed & quòd paulò pòst esset ab eo alapam accepturus.* O ingrati & immemores passionis Domini! ô Christiani! non Christiani, sed deicidæ, quid unquam mali vobis fecit Dominus JEsus, ut illum crucifigeretis? Ergo nondum est finis tantæ vestræ ingratitudinis? Jo. 18. 10. S. Chrysost. hom. 83. in Matth.

5. Et quid dico? Si mente attentiore vestram ac meam perpendo ingratitudinem, video, quòd sit ingratitudo nostra manus illa ferrea & armata, quæ non unam, sed plures Christo JEsu crucifixo dedit alapas; quoties enim peccamus lethaliter, toties colaphizamus benignissimum Dominum nostrum; plus ait S. Paulus: *Crucifigimus.* Hìc adimpletur illud Jobi: *Tetendit adversùs Deum manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est.* Et tu hoc ô Christiane? Job. 15. 25.

Quid ulteriùs est ingratitudo nostra? R. Lancea crudelis & Saulis Regis & Longini militis. Multa quondam fecit bona David universo Israeli, dum Philistæum superavit, pacem recuperavit, dæmonem à Saule fugavit &c. Et quid ingratus ille Saul huic summo benefactori suo? *Tenebátque Saul lanceam, & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete.* En hìc typum tuæ ingratitudinis! Quis tibi plura 1. Reg. 18. 10.

bona præstitit quàm JEsus & hìc crucifixus? Et tu de novo crudeli lanceâ ingratitudinis tuæ diviniſſimum ejus transverberas cor?

6. Ad Jacobum Patriarcham miſerunt quondam perfidi fratres Joſeph tunicam polymitam ejus, fœdè dilaceratam, & in ſanguine hædi intinctam, hanc ubi vidit pater, præ animi dolore exclamavit: *Fera peſſima comedit eum, beſtia devoravit Joſeph.* Hæc fera peſſima ingratitudo Judæorum & noſtra fuit; tunica autem Joſeph, ait S. Bernardus, humanitatem Chriſti præſignavit, ô quàm fœde in cruce dilacerata fuit! unde ad Patrem cœleſtem Mellifluus ille converſus dixit: *Reſpice Domine ſancte Pater de Sanctuario tuo, & de excelſo cœlorum habitaculo: Cognoſce veram tunicam Filii tui Joſeph: hæc vera peſſima devoravit eum, & conculcavit in furore ſuo veſtimentum ejus, omnem decorem ejus reliquiis cruoris inquinavit; & ecce quinque ſciſſuras lamentabiles in ea reliquit; hoc eſt Domine veſtimentum, quod in manu Ægyptiæ meretricis innocens puer tuus dereliquit &c.* O fera peſſima ingratitudo!

Gen. 38. 33.

S. Bernard. Serm. de paſſ. Dom.

7. Quæres hic, quare Chriſtus Dominus in cruce per modum querelæ ad Patrem dixerit; *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Ah! fierine potuit, ut Dominus juſtus noſter à ſapientiſſimo & chariſſimo Patre in ſupremo illo agone & pœnarum abyſſo adeò derelinqueretur?

Matth. 27. 46.

Inter alias rationes etiam hanc aſſignant ſacri interpretes, quia moriens JEſus tunc circa horam nonam, ubi hæc verba dixit, prævidit omnem paſſionem ſuam quamplurimis ingratis peccatoribus nihil profuturam; unde priùs per os Davidis prædixit: *Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea*, hoc eſt: inutiliter. Sic nimirum *Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet corde.*

Pſal. 21. 15. Iſa. 57. 1.

Cæſarius lib. 10. Illuſt. Miracul. c. 20.

8. Refert Cæſarius, quòd inter Ottonem & Philippum quondam graviſſimæ diſcordiæ in Germania fuerint exortæ, & exinde bellum cruentiſſimum. Milites Ottonis, cùm perveniſſent in Wirzenburg, eámque civitatem diriperent, unus eorum in Eccleſia in loco eminenti piam Crucifixi imaginem conſpicatus eſt, quam lanceâ ſuâ diverſis in locis pupugit; & ecce ex ſingulis punctionibus ubertim ſanguis emanavit, quæ devotiſſima & antiquiſſima ſtatua adhuc hodie illic locorum religiosè colitur. Et quid aliud adhuc hodie faciunt mali ac ingrati Chriſtiani? Semel Chriſtus in cruce lanceatus eſt in terris, ſed nunc quotidie ſedens ad dexteram Patris in cœlis, unde rectè per Prophetam conqueritur: *Quia vos conſigitis me &c.*

Malach. 3. 8.

CON-

CONSIDERAT. CXXXIX.

In omni cruce & tribulatione conformemus nos Christo crucifixo, eique gratias agamus etiam pro adversis.

Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem JEsum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ. Hebr. 12. 2.

1.

MOyses jam grandior effectus negavit se esse Filium Thermut filiæ Pharaonis Ægyptiorum Regis, licet ab illa regio modo fuisset educatus, & in filium ac hæredem regni adoptatus, sed magis elegit affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem; proinde cum gaudio ad quæcunque sustinenda adversa pro salvando populo Dei se accinxit: *Magis eligens affligi cum populo Dei.* Hebr. 11. 25.

Moyses sicut in pluribus, sic etiam in hoc insignis typus Christi JEsu fuit, de quo S. Paulus: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ.* Hebr. 12. 2. Proposuit illi quidem Pater æternus à primo incarnationis instanti optionem gaudii & crucis, sed ille cum gaudio, ut ab interitu redimeretur genus humanum, præelegit, & amplexus est crucem, ut & nos cum gaudio, imò etiam cum summa gratiarum actione nostras sufferamus cruces & tribulationes. Plura in præsenti.

2. Rectè & optimè Vates Regius: *Benedicam Dominum in omni tempore: Semper laus ejus in ore meo.* Pfal. 33. 2. Et quomodo hoc erat possibile Rex potentissime, inter tot laborum, regni, bellorúmque curas? R. S. Augustinus, quòd David omninò intenderit semper & in omnibus laudare Deum, eique debitas referre grates non in prosperis tantùm, sed etiam in adversis. Juvat hìc audire propria illius verba: *Omni tempore*, inquit, *& semper sive in prosperis, sive in adversis: Nam si in prosperis, & non in adversis, quomodo omni tempore? quomodo semper?* Ergo mens erat S. Augustin. in Pfal. 33.

Davidis semper & in omni fortuna laudandi Deum. Anima Christiana audis modum? Imitare.

3. Idem Rex David de se ipso commemorat, quòd media nocte, licet tot fatigatus curis ac laboribus, solitus fuerit de somno suo surgere, & laudare Deum: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Et cur media nocte? R. In hunc locum Hugo Cardinalis: *Mediam noctem vocat graviorem tribulationem, in qua, inquit, surgebam ad confitendum tibi, quia non sic flagellas, ut dejiceres, sed exercebas, ut surgerem, & fortiùs confiterer, de omnibus gratias agens, etiam de adversis.*

Psal. 118. 62.

Hugo Card. in hunc locum.

4. Nondum recedo à Davide. Voluit is esse Deo adhuc magis gratus pro tot, tantisque ab eo receptis beneficiis, quid fecit? Hostias paravit pacificas: *Tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.* Et quænam erat hæc hostia laudis? Non quæro hìc sensum literalem sed moralem. R. S. Chrysostomus: *Nihil est, quod Deus majori studio complectatur, quàm esse gratum non solùm in rebus secundis, sed etiam in adversis; hæc est pulcherrima hostia, hæc maxima oblatio,* si te ipsum offers Deo & amori tuo crucifixo in hostiam, eique te in omnibus conformas.

Psal. 115. 7.

S. Chrysost. in Psal. 115.

5. A Davide ad filium Davidis transeo, de quo observat S. Lucas, quòd in ultima cœna, dum memoriale passionis suæ, SS. Eucharistiæ Sacramentum voluit instituere, priùs devotissimas Deo Patri grates persolverit: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem.* Sta hìc, & considera Lector prudens! Parabatur tunc crux Salvatori, & tota passionis colluvies ejus repræsentabatur mentis oculis, & nihilosecius gaudet, & gratias agit Deo Patri suo: *Gratias egit.* O pulcherrimum exemplum, quo docemur in omni cruce & adversitate etiam summa & ultima Deo gratias agere: *In omnibus,* ait S. Paulus, *gratias agite.* Subintrat hìc Cornelius; Tam in morbo, quam sanitate, tam in inopia, quàm copia, tam in consolatione, quàm desolatione, tam in tentatione, quàm pace, tam in humilitate, quàm exaltatione: quia non minùs, imò sæpè majus donum, & beneficium Dei est, morbus, inopia, desolatio, tentatio, humilitas, adversitas, quàm sanitas, copia, consolatio &c. *In omnibus gratias agamus Deo.*

Luc. 22. 19.

1. Thess. 5. 18.

6. Idem sanctissimus Redemptor, ubi cœnâ agni finitâ, ad locum cruenti se parabat certaminis & ad mortem crucis, priùs hymnum cantare voluit: *Et hymno dicto exierunt in montem olivarum.* Quid hoc est, ò mi JEsu! An non musica in luctu inopportuna narratio? Hymnus ait S. Augustinus: canitur, non recitatur, ergo JEsus ad mortem pergens, alta voce cantavit? Et quid cantavit? R. Paulus Burgensis & alii,

Marc. 14. 26.

alii, hymnum hunc fuisse ex septem Psalmis ex Halleluja conflatum, qui incipiunt à Psalmo 112. *In exitu Israel de Ægypto &c.* Et finiuntur Psal. 118. *Beati immaculati in via.* Ex quibus patet, quòd satis longus fuerit ille hymnus à Christo & Apostolis post cænam cantatus. Causam hujus cantûs assignat Victor Antiochenus: *Ante passionem*, inquit, *laudes gratésque Deo depromit, per hoc ostendens se ultrò, libentérque pati, tum nos quoque exemplo admonens, ut adversa, si quæ nonnunquam sese offerant, grato patientíque animo perferamus.* O si caperemus hoc verbum! Vict. Antioch in Marcum hic.

7. Cùm Deus pro homine, Judex pro reo, & Sanctus pro peccatore in cruce moreretur, observat dilectus ille Discipulus & testis ocularis, quòd inclinato capite expiraverit: *Et inclinato capite tradidit spiritum.* Quare inclinato ad pectus capite? Omissis aliis rationibus advertit S. Bernardinus, quòd Christus per hanc capitis sui inclinationem Patri suo æterno demississimas gratias pro consummata passione, mortis victoria & redemptione mundi voluerit persolvere: *Solent enim gratias agentes inclinare caput.* O anime mi! vides modum, quomodo in vita & in morte, in omni cruce & adversitate DEO ac Salvatori tuo Crucifixo gratias agere debeas: *Non magnum est*, ait S. Ambrosius, *si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis & secundis es; sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutio exagitat, quando aliqua procella perturbat.* Quacunque igitur premaris calamitate, aut gravi afficiaris mœstitiâ, vel si tibi aliquid contingat adversi, dic cum Job: *Sit nomen Domini benedictum*, vel cum Psalte Regio: *Benedic anima mea Dominum*; vel cum beatissima Virgine: *Deo gratias.* Ita S. Bonaventura & Barrad. Tom. 1. lib. 7. c. 13. Jo. 19. 30. S. Bernard. t. 2. sect. 56. S. Ambros. serm. 7.

8. In fornacem quondam ardentem erant projecti tres pueri Babylonici; quid fecerunt? *Quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum.* Ecce in summa tribulatione laudabant Deum, eique submissas agebant gratias; hinc meruerunt, ut conservarentur illæsi; proinde eleganter os aureum: *Hoc est maximè grati animi, hoc sapientiæ studiosi, in rebus etiam asperis & adversis gratias agere, non solùm pro beneficiis, sed etiam pro suppliciis; hoc enim majorem mercedem conciliat; nam in bonis quidem gratias agens, reddidisti debitum, in malis autem Deum constituisti debitorem.* Dan. 3. 51. D. Chrysost. in Psal. 9.

9. Tales fuerunt & senior & junior Tobias, DEO in omnibus persolventes gratias, & sanctissimæ ejus penitùs sese submittentes voluntati. De seniore referunt sacræ Paginæ, quòd felle piscis fuerit illuminatus, qui priùs stercore hierundinis fuit obcæcatus: *De felle piscis linivit oculos patris sui, & sustinuit quasi dimidiam ferè horam: Et cœpit albugo ex oculis ejus, quasi membrana ovi, egredi, quam apprehendens Tobias traxit ab* Tob. 11. 13.

oculis ejus, statimque visum recepit: & glorificabant Deum. Observa quid amarius felle? Per quod designatur tribulatio, sed hæc ipsa tribulatio oculos cæci Tobiæ aperuit: *Tribulatio*, inquit S. Bernardinus, *est illud amarum fel, quo oculi Tobiæ, viri justi ad Dei cognitionem fuerunt illuminati.* Vide hic rursùs, atque considera, quid prosit tribulatio, & in tribulatione Deo & Amori suo crucifixo reddere gratias.

S. Bernard. tom. 1. sect. 8. art. 2.

10. Ad exempla veniamus. S. Barlaam homo aliàs agrestis & rudis, in Philosophia tamen Christi crucifixi plurimùm profecit, unde & tyrannum vicit, & ignem fidei constantiâ superavit; postquàm enim Cæsareæ in Cappadocia crudelissimè ab Ethnicis flagellatus est, dexteram suam thure plenam super ignitos carbones coram idoli statua tenere jussus est, eâ conditione, ut, si quid thuris in subjectum ignem decideret, Christum crucifixum negare, & diis sacrificare videretur. Quid fecit? Manum suam dexteram in pugnum compressam tam diu super ignem tenuit immotam, donec tota absumeretur, interim illud Regii Vatis læto ac grato animo decantans: *Benedictus Dominus DEUS meus, qui docet manus meas ad pralium, & digitos meos ad bellum.*

Martyrol 19. Novemb. & alii hoc die.

Psal. 143. 1.

11. S. Dionysius Areopagita, cùm pro Christo acerbissimè flagellaretur, atque super lectum ferreum igne assaretur, lætus inter tormenta decantavit: *Gratias tibi ago Domine*; qui bestias fame rabidas cruce compescuit, illæsus ex ardente fornace exivit, cui & Christus in carcere apparuit, ac consolatus est; Cruci denique affixus, & paulò post iterùm depositus, capite plexus, vir 110. annorum, resectum caput ipse in manus reassumpsit, & per duo milliaria ad sepulturæ locum, quem elegit, asportavit, cantantibus interim Angelis: *Gloria tibi Domine.* Vide hic fructum illorum, qui Deo in adversis gratias agunt.

Nadas. 9. Octobr. & passim alii.

CON-

CONSIDERATIO CXL.

Ad crucis contactum resurgunt mortui, & magnalia Dei reserantur.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos; ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne! Osee 13. 14.

1.

OSee Propheta, ubi populo Israelitico ob perpetrata peccata ac plurima demerita prædixerat perditionem: *Perditio tua Israel: tantummodò in me auxilium tuum.* Osee 13. 9. Mox ad Christum Dominum & hunc crucifixum se convertit, atque sic populum de novo consolatus est, dum docuit, quòd Christus suo tempore in cruce moriens eos, omnésque credentes à morte esset liberaturus, & ex inferno (limbo) educturus; proinde de hoc nostro pientissimo Redemptore vaticinatus est: *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos &c.* Quod adimpletum est, dum Christus in cruce mortem morte suâ superavit, & in sua resurrectione mortem in triumphum duxit, ac Patres ex inferno liberavit, animásque purgatas, vel purgandas è purgatorio eduxit, primas illis indulgentias plenarias tum culparum, tum pœnarum remissionem indulgens; unde rectè S. Augustinus: *De Electis suis nullum apud inferos reliquit.* S. Aug. serm. 137 de Temp. Hinc juro merito exclamat S. Leo Papa: *O admirabilis potentia crucis, ô ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi. Traxisti enim Domine omnia ad te &c.* S. Leo Papa ser. 8. de Pass. Vide plura in Breviario Romano in Festo exaltationis S. Crucis; Nocturno 3.

2. Eliseus Propheta, ubi vixit centum annis & ampliùs, & in religiosa disciplina octoginta, piissimè tandem obiit anno mundi 3204. ùt habet Salianus, & ante Christum anno 849. Catalogo Sanctorum adscriptus, prout testatur Martyrologium Romanum die 14. Junij: *Samaria in Palæstina S. Eliſei Propheta, cujus ſepulchrum dæmones perhorreſcere*

ſcribit

scribit S. Hieronymus. Hic ergo talis ac tantus vir, cùm sepeliretur, mor-
4 Reg. 13. 20. tuus mortuum ad vitam suscitavit: *Mortuus est ergo Eliseus, & sepelierunt eum; Latrunculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno; quidam autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in sepulchro Elisei, quod cùm tetigisset ossa Elisei, revixit homo, & stetit super pedes suos.* Collige ex hoc admirandam Elisei sanctitatem ac virtutem, quòd mortuus mortuum ad novam vitam resuscitaverit. Verùm hæc omnia facta sunt illis in figura, scripta sunt autem propter nos, & propter nostram doctrinam: *Fuit ergo*, subintrat hìc Cornelius, *Eliseus typus Christi, cujus in cruce mortui gratiâ & meritorum contactu omnes resurgemus.* In quem
Matth. 27. 52. finem statim à morte Christi monumenta aperta sunt, & *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt; & exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* En mirabilem fructum mortis & crucis Christi.

3. Vis plura? Pulcherrimum typum ab ipsa Veritate Christo accipe, dum adolescentem in Naim filium unicum matris suæ à morte ad
Luc. 7. 14. vitam resuscitavit: *Accessit, & tetigit loculum (hi autem, qui portabant, steterunt) & ait: Adolescens tibi dico, surge.* Ad quid, obsecro, Christus loculum, seu ligneum feretrum, in quo jacebat mortuus, propriis & extentis manibus tangere voluit?

Respondet S. Ambrosius, quia per illum loculum, in quo jacebat defunctus, crux Dominica adumbrata est, unde juvenis ille ad attactum
S. Ambros. in Lucam c. 7. Christi revixit: *Spem*, inquit, *resurgendi habebat, quia ferebatur ligno: quod si nobis ante non proderat, tamen postquam Christus id tetigit, proficere cœpit ad vitam.* Juvat etiam hìc audire Cornelium: *Tangit*, ait, *loculum, id est lignum crucis, illáque ipsum à morte excitat, crucis enim Christi meritò peccatoribus inspiratur à Deo pœnitentia & gratia &c.*

Alphons. Ciaconius de signis SS. Crucis cap. 32. 4. Eamus ad Calvarium montem. Postquam vita nostra Christus de cruce depositus est, interim dum exanime illius corpus condiretur aromatibus, ac involveretur linteaminibus, mox sepulturæ tradendum, carnifices crucem Dominicam, & duorum latronum in vallem monti Golgothæo subjectam præcipitarunt, terrâque & egestis civitatis sordibus obruerunt, in quo obscuro loco defossum triumphale illud lignum per annos circiter 296. sepultum jacuit, donec S. Helena Augusta in somnis oraculo admonita Hierosolymam crucis quærendæ causâ petiit, ubi 3. Maij anno Christi 329. maximo cum gaudio tres illas cruces invenit; & quia adhuc dubium erat, quænam vera crux esset Dominica, cuidam fœminæ moribundæ admotæ sunt, & dum duæ cruces latronum nihil profeciissent, tertia & vera crux Christi continuò illam moribundam à portis mortis revocavit.

Idem

Idem præstitit sacrosanctum illud vitæ lignum super alio mortuo impositum, qui mox ad illius attactum revixit. Ita S. Paulinus & alii. Proin rectè S. Joannes Damascenus: *Posteaquàm per lignum mors allata est, oportebat sanè per lignum etiam donari vitam & resurrectionem.* S. Paulinus Ep. 11. ad Sever. Sulp. S. Jo. Dam. cit. à Th. de Trusillo.

6. Placent exempla? S. Dominicus natione Hispanus, patriâ Calarogitanus, inclyti Ordinis Prædicatorum Institutor, cùm Romæ versaretur, tres mortuos virtute S. Crucis mirabiliter ad vitam revocavit, inter quos erat Napoleus, juvenis nobilissimo prognatus sanguine, cùm hic concitatiùs equum generosum succuteret, ab eo excussus, & omnibus artubus contritus expiravit. Erat tunc S. Dominicus in monasterio S. Sixti, ubi hunc miserandum casum intellexit, se quantocyùs ad Sacrum legendum devotissimè præparavit. Et ecce cùm SS. Sacramentum elevaret, & ipse plus cubito uno coram omnibus spectantibus, & obstupescentibus sublevatus est. Finito Sacro funus accedit, & extinctum atque contritum juvenem signo SS. Crucis signat, dicens clarâ voce: *Napolee, in nomine & virtute Domini nostri JEsu Christi ocyùs exsurge.* En grande prodigium! Auctori vitæ obedit mors, & juvenis præsentibus Cardinalibus, multisque de populo resurgit vivus ac sanus. Ribadeneira in vita SS. 4. Augusti.

7. Gultadona matrona Romana in concionibus S. P. Dominici erat frequentissima, quæ aliquando domum redux filiolum suum invenit mortuum. Quid agit mœstissima mater? fide plena, lachrymisque irrigata natum suum extinctum ad Ecclesiam portat, & ad S. Dominici pedes coram frequenti populo deponit, quem sanctus Pater cruce signat, manu elevat, & vivum matri restituit. Idem.

Cùm Romæ templum S. Sixti ædificaretur, operarius quidam à muro subitò cadente prostratus, contritus, & interfectus est. Vidit hunc miserandum casum vir sanctissimus, qui mox lapides removeri jubet, signat mortuum signo S. Crucis, in cujus virtute illum pari modo, ùt cæteros, ad vitam revocavit. Hinc de ipso canit Ecclesia in 5. Lectione: *Tres enim mortuos ad vitam revocavit, multaque alia edidit miracula, quibus Ordo Prædicatorum mirificè propagari cœpit.* Idem.

8. Invitaverat aliquando Elisæus Propheta cæteros Prophetarum filios ad frugalem mensam, in quem finem famulum suum in agrum dimisit, ut herbas salutares colligens, ex eis hospitibus suis bonum pulmentum faceret; incidit servus ille in vitem silvestrem & colocynthidas, ex quibus domum reversus in olla ad ignem coctionem paravit, quàm cùm gustassent filii Prophetarum, unanimiter exclamarunt: *Mors in olla vir Dei, & non potuerunt comedere.* Quid hic Eliseus? 4 Reg. 4. 39.

seus? *Afferte*, inquit, *farinam: Cùmque tulissent, misit in ollam, & ait, infunde turbæ, ut comedant. Et non fuit ampliùs quidquam amaritudinis in olla.*

Et dic Sodes, quid vita nostra humana aliud est, quàm *Mors in olla*? Plena est hæc olla amaritudines, felle & absynthio, ac tunc præsertim in suprema infirmitate, quando nobis migrandum erit ad judicium & longam, ah longissimam seu felicem, seu heu! nimiùm infelicem æternitatem. *O mors in olla, ô mors in olla!* Quid ergo hanc nostram in agone indulcorabit amaritudinem, & gustui reddet sapidam? *Nihil sanè aliud*, subintrat hic doctissimus Hadrianus Lyræus, *præterquam farina corporis Christi pendentis in cruce*, & in SS. Eucharistia, ipse enim est illud divinum granum, qui de se ipso ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: Si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*; Mortuum est hoc divinum granum in agro Golgothæo in cruce; Ubi *attritus est propter scelera nostra*, verùm resurgens multum fructum imò centesimum attulit, & etiamnum affert Crucifixum JEsum amantibus, colentibus & imitantibus.

Jo. 12. 24.

Isa. 53. 5.

Vita de S. Didaco 14. Novembr.

9. Pro coronide hujus Considerationis S. Didacum ex Ordine Fratrum Minorum S. Francisci, quos Observantes vocamus, consulamus; hic ubi frusta panis, quæ ferebat pauperibus, coram Superiore in flores convertit, in deserto cibum divinitùs paratum invenit, puerum in fornace ardente incolumem servavit, tandem post peractam sanctissimè vitam moriens arreptâ cruce ligneâ, sic ultimùm ad crucifixum Amorem suum suspiravit: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ sola fuisti digna ferre Regem cœlorum & Dominum &c.* Quibus dictis feliciter expiravit. O felix fors,

ô beata mors!

CONSIDERATIO CXLI.

Devotio erga SS. Vulnera Christi crucifixi suadetur omnibus Christianis, præsertim discolis.

Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum. Zach. 13. 6.

1.

AMasa dux belli à Joab in publica via dolosè occisus, & in latere ferro rimante percussus, spectaculum factus est universo exercitui Davidis, ut in via contemplando ejus cruentatum, ac vulneratum corpus consisterent: *Amasa autem conspersus sanguine, jacebat in media via. Vidit hoc quidam vir, quòd subsisteret omnis populus ad videndum eum, & amovit Amasam de via in agrum, operuitque eum vestimento, ne subsisterent transeuntes propter eum.* 2. Reg. 20. 12.

Occisus est in publica via & Calvario jugo non Amasa, sed ipse Author vitæ Christus orbis Salvator, non uno sed pluribus vulneribus saucius, qui nunc *conspersus sanguine jacet in media via.* Amasam videre volebant omnes, & admirabantur tam indignam hujus belli Ducis necem. Et nos Christiani per sanguinem JESU redempti stamus adhuc immoti?

2. Centurio ille, & qui cum eo erant milites, ubi JEsum in cruce tot plagis videbant interfectum, & signa, quæ in ejus morte fiebant, sine mora superiori lumine illustrati, eum agnoverunt Filium Dei: *Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Et subdit Lucas: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur*; Et nos adhuc stamus immoti? Accedamus, obsecro, propiùs ad JEsum crucifixum, & interrogemus eum: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Et audiemus ab eo divinum responsum: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.* Marc. 15. 39. Luc. 23. 48. Zach. 13. 6.

3. Et quis, obsecro, hìc non obstupesat; quòd mitissimus Dominus non conqueratur de barbaris illis carnificibus, qui summa crudelitate ipsum crucifixerunt? cur non de iniquis judicibus, qui innocentissimum hunc agnum injustissimè ad lanienam cõndemnarunt? Cur non de maximis peccatoribus, Atheis, Gentilibus, Paganis, blasphemis, luxuriosis, injustis, aliisque malis Christianis, qui illum rursùs in semetipsis quodammodo crucifixerunt, & de novo quotidie crucifigunt? Et quemadmodùm fuit agnus occisus ab origine mundi, sic erit usque ad consummationem sæculi, quia nondum est finis peccatorum, nec erit usque ad extremum judicii diem? Cur, inquam, Christus de his non conquestus est, sed de amicis & familiaribus suis: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me?*

Zach. 13. 6.

Cornel. hìc.

℟. Cornelius, quòd Christus vulneratus hìc singulariter conqueratur contra Judæam & Jerusalem, hæc enim erat domus colentium ac diligentium Deum, quia illi se Deum diligere profitebantur, quibus & Messias, Rex ac Redemptor promissus erat, unde illum mille beneficiis & nominibus debebant amare ac venerari; sed ingrati illi Dominum ac Deum suum crucifixerunt; hinc illæ querelæ: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.*

Secundò conqueritur hìc crucifixus JEsus contra quamlibet animam peccatricem: Ecce his quinque plagis plagatus sum à te, quam dilexi, & ut me vicissim diligeres effeci: tua debita ego lui, tua vulnera in me suscepi: tuæ deliciæ & veneres clavis me transfixerunt: tua superbia spinis caput meum transpunxit: tua gula me felle & aceto potavit: passus sum tam indigna, ut te à tormentis gehennæ liberarem: mortuus sum, ut te à morte æterna eriperem; & tu ingrata anima! quid pro his mihi retribuisti? Quid feci tibi, aut in quo contristavi te? imò quid potui facere, & non feci? Responde mihi: Cur tot me hactenus affecisti vulneribus? Et tu, qui hæc legis, quomodo & qualiter?

Vita Imp.

4. De Julio Cæsare primo Romanorum Imperatore recenset Vita, quòd in Capitolio Romano ad columnam Pompei à Bruto & Cassio priùs intimis amicis anno ætatis suæ 56 regiminis 5. ante Christum natum anno 46. viginti & tribus vulneribus fuerit occisus, cujus symbolum erat: *Semel quàm semper.* Et cùm Brutus filius adoptivus cum pugione ad eum accederet, animam è mortali corpore extracturus, ad eum lugubri voce exclamavit: *Et tu fili mi Brute?* Quasi diceret: Ego, fili mi, educavi & enutrivi te, ego designavi te in successorem meum & Imperatorem, ego omnia tibi bona exhibui: Et tu, fili mi, vulnus super vulnera addis, & nunc me patrem tuum aliàs dilectissimum

mum tam cruentum in modum interficis? *Et tu fili mi Brute?* Quibus dictis in dolore animam expiravit.

O Brute, ingratitudinis portentum! Sed ad quid querelas contra Brutum moveo? Cur ipsum accuso? Ego, ego ipse sum ille Brutus, & & tu unà mecum, optime Lector! Ego, ego amantissime JEsu! te in crucem egi, ego per peccata mea interemi te, ego omnium tuarum sum causa plagarum. Brutus ille Gentilis desperabundus discessit; non sic ego, non sic: scio quò fugiam, & quidem ad tua sacratissima Vulnera, quia tu solus verba vitæ æternæ habes. Desperare me non sinit infinita bonitas tua, quæ longè major, & infinities major est, quàm iniquitas mea. Fugio ergo ad te, ô JEsu crucifixe! fugio ad saluberrima vulnera tua, quæ mihi & aliis peccatoribus adhuc in SS. Eucharistia, imò & in cœlo sunt aperta. Ego quidem ea inflixi peccatis meis, sed doleo, & hæ ipsæ plagæ sunt memoriale mei, quas exhibes Patri tuo cœlesti, dum enim ego peccavi, tu impetrasti à Patre, ne me omninò à sua facie projiceret, & gratiam adhuc largiretur imposterùm magis resistendi peccato; proinde fixum atque statutum est, neque veniale quidem contra te imposterùm deliberatè admittere. Adjuva me, Domine Deus meus.

5. Olim Hebræis prudentissimum suggessit consilium Isaias Propheta: *Audite me, qui sequimini quod justum est, & quaritis Dominum: Attendite ad petram, unde excisi estis.* Adverte: ad litteram quidem Prophetа Abrahamum petram appellavit, quo patre gloriabantur Hebræi; unde monuit Propheta, ut operibus ostenderent se esse filios Abrahæ; Sensus tamen principaliter à Spiritu sancto intentus est de Christo Domino, quòd satis supérque colligi potest ex versione 70. Interpretum, qui sic legunt: *Inspicite in solidam petram, quam excidistis*; Hoc est, prout exponit S. Hieronymus: *Aspicite in Christum, quem transfixistis clavis, in manibus & pedibus, & latere cordis.* Ecce hæc ipsissima vulnera erunt vobis saluti, quia sunt medicina cœlestis, civitas refugii à facie irati Numinis, hospitium animæ, peccatorum spongiæ, & mors peccati: *Nam ubi tuta, firmáque securitas*, ait S. Bernardus, *nisi in Vulneribus Salvatoris? tantò illic securior habitas, quantò ille potentior est ad salvandum. Fremat mundus, premat corpus, diabolus insidietur, ne time, quia in foraminibus petra secura es.* O peccatores omnes! Attendite ad hanc petram. Isa. 51. 1. S. Bernard. serm. 61. in Cant.

6. David ante mille annos, priusquàm Verbum incarnaretur, adeò clarè & propriè pientissimi Redemptoris nostri descripsit passionem, ut non tam prophetia quàm historia esse videatur. Lege in hunc finem Psalmum 21. ac præsertim versum 17. ubi expressè invenies: *Foderunt manus meas & pedes meos*; quod tò *Foderunt* non transitoriè acci- Psal. 21. 17.

piendum est, ratio est, quia terra, dum foditur, varios fructus progerminat, ùt patet in agro fosso & vinea; unde lemma: *Fossa parit tellus.*

Cassiodor. hìc. Cassiodorus hoc Christo crucifixo accommodat: Quod contigit, inquit, in corpore Domini Salvatoris: illud enim clavis affixum, lanceâque perforatum, fructum nobis intulit sine fine mansurum. Et ideò Vates Regius dixit: *Foderunt manus meas & pedes meos*, ut notaret fructum, qui ex hac terra benedicta (corpore Christi JEsu crucifixi) sequeretur, scilicet felicitas & beatitudo æterna; unde ille non incongruè cecinit: *Fossa caro Christi cœlica regna dabit.*

Le Blanc hìc. Causam aliam assignant Patres, quare dicatur: *Foderunt manus meas ac pedes meos*, & non loco *Foderunt*, terebrarunt, penetrarunt, transadegerunt clavo, aut quid simile? Et respondent: Ut thesaurus absconditus, quo à servitute diabolica redimendum erat universum genus humanum, ex fossa humo pateret, & in omnes homines effunderetur, videlicet sanguis Christi JEsu, qui est infiniti valoris, quo the-
1. Petr. 1. 19. sauro omnes redempti, & locupletati sumus; hinc S. Petrus: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni.*

7. Quis ergò, licet peccatorum miserrimus, non libenter confu-
Heb. 10. 31. giat ad sacratissima Vulnera JEsu Crucifixi? *Horrendum* quidem *est*, prout asserit Gentium Doctor Paulus, *incidere in manus Dei viventis*, sed non horrendum est incidere in manus Dei & Hominis Christi in cruce mortui, à quibus vulneratis manibus nihil mali, sed omnia bona nobis provenient. S. Augustinum interroga, cui in omni tentatione & adversitate familiare fuit nunc ad dolorosam Matrem, nunc ad crucifixum ejus Filium accedere, dicendo: *Hinc lactor ab ubere: hinc pascor à Vulnere.* Ita & S. Catharina Senensis, cùm in diebus Bacchanalium omnes domestici lautiùs ventri indulgerent, ipsa sola in penitius conclave se abdidit, & ad crucifixi Domini sui pedes humiliter prostrata, Christum videre promeruit tanquam speciosum præ filiis hominum, Matre virginea, aliisque Sanctis stipatum, & Vate Regio suavissimè admodulante, adventantem, qui eam annulo in digitum immisso, in Sponsam adoptavit, & copiam fecit de SS. latere suo dulcissimum nectar bibendi. Proficiat S. Catharina! Ah guttulam etiam pro me.

Engelgrave Dom. Quinquagesimæ.

CON-

CONSIDERATIO CXLII.

De efficacia SS. 5. Vulnerum Christi ad impetrandam gratiam divinam & æternam salutem.

Ostendit eis manus & latus. Gavisi sunt ergo discipuli. Jo. 20. 20.

1.

ABigail prudentissima mulier, ut iratum placaret Davidem, præter alia munera ei *quinque arietes coctos, & quinque sata polenta* obtulit, rogans eum impensissimè, ut domui suæ ac familiæ parceret, & non funditùs deleret, quam gratiam & suâ blandiloquentiâ ac munificentiâ impetravit: *Suscepit ergo David de manu ejus omnia, quæ attulerat, dixitque ei: Vade pacificè in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, & honoravi faciem tuam &c.* Umbram habes. 1. Reg. 25. 28.

Incarnata Dei Sapientia ad placandum æternum Patrem humano generi ob perpetrata delicta infensum, velut altera Abigail, Patri hic in terra obtulit, & etiamum in cœlo offert quinque sacratissima Vulnera, in quinque illis arietibus & quinque satis polentæ præfigurata. Hinc meritò Mellifluus valorem intercessionis beatissimæ Virginis Matris, ac SS. Vulnerum Filii ejus considerans, securam spem peccatori pollicetur pro impetranda delictorum remissione, & gratia ac gloria apud cœlestem Patrem obtinenda, unde dixit & scripsit: *Securum habes accessum homo ad Deum, ubi Mater ante Filium, Filius ante Patrem: Mater ostendit Filio pectus & ubera, Filius Patri latus & vulnera. Non poterit ulla esse repulsa, ubi tot sunt insignia charitatis.* S. Bernard. tr. de Laud. & Arnold.

2. Ezechias Rex in Israel contra assultum Sennacherib Regis Assyriorum omnes fontes extra urbem Jerusalem, ipsumque rivum obturari fecit: *Congregavit plurimam multitudinem, & obturaverunt cunctos fontes, & rivum, qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant Reges Assyriorum, & inveniant aquarum abundantiam.* Plus invenies in SS. Vulneribus JEsu Christi crucifixi, fontes enim isti obstrui, & obturari non possunt, 2. Paral. 31. 4.

ubi

ubi semper, præsertim in divinissimo Corde JEsu & laterali Vulnere invenies aquarum & gratiarum abundantiam; Fons enim est vitæ, fons hortorum, fons signatus, patens omnibus in domo David, & in Ecclesia Dei in ablutionem peccatoris; unde S. Cyprianus de Passione ait: *De latere Christi fons egreditur in vitam æternam, & non in mortem; ex hoc fonte perennes effluunt rivi misericordiarũ, & totius pietatis effectus*: Et quis non currat ad hunc fontem?

S. Cyprian. de Pass.

3. Bethulia civitas propter obstructos ab Holoferne fontes proxima ruinæ & captivitati fuit, quam sanè non evasisset, nisi benignus Deus alio modo huic urbi & civibus providisset: *Porrò Holofernes, dum circuit per gyrum, reperit, quòd fons, qui influebat, aquæductum illorum à parte australi extra civitatem dirigeret; Et incidi præcepit aquæductum illorum.* Sanctissima Vulnera JEsu, ex quibus fons aquæ vivæ promanat in universum terrarum orbem, excidi non possunt, quia Christus in glorioso suo corpore illa perpetuò conservabit ad bonorum consolationem, ùt docet Angelicus. O felix igitur Catholica nostra Ecclesia ob semper apertos hos quinque gratiarum fontes! ô felix Ecclesia! quod non obscurè prævidit Propheta Evangelicus, dum prædixit: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem: Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.*

Judith 7. 6.

D. Tho. 3 p. q. 54. art. 4. ad 3.

Isa. 12. 2.

4. Vulnera & sanguis justi Abel contra Cain impium fratricidam clamarunt vindictam: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* O quàm meliùs clamant Vulnera & sanguis Christi JEsu Crucifixi non vindictam, sed misericordiam, non perditionem sed gratiam, non pœnam æternam, sed peccatorum remissionem: *Non tabes*, ait S. Ambrosius, *de Vulnere ejus, sed fons vitæ scaturivit.*

Gen. 4. 10. Hebr. 12. 24.

S. Ambr. in Psal. 37. 7.

Hist. Schol.

Antipater Idumæus Cæsari Romanorum Imperatori in variis bellis semper fidelissimus extitit; ab æmulis accusatus, & calumniatus de infidelitate, in præsentia Cæsaris, rejectis vestibus, sua vulnera & cicatrices toto corpore ostendit, dicens: *Ego, Cæsar, nolo me verbis apud te excusare, sed ista vulnera, quæ suscepi pro te, loquantur pro me, si ego diligo te.* O quantò magis loquuntur SS. Vulnera Christi pro nobis apud Patrem! quod considerans S. Joannes dixit: *Dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo.* Super quæ verba S. Bernardus: *In quo illuxit clariùs, quòd nos dilexerit Dominus, quàm in sacris suis Vulneribus?* O Amor! ô Amor! & istum amorem nondum amamus? Proinde non immeritò dixit S. Paulus Apostolus: *Si quis non amat Dominum nostrum JEsum Christum, sit anathema, Maran Atha.*

Apoc. 1. 5.

1. Cor. 6. 22.

Ezech. 2. 9.

5. Ezechiel Propheta mirabilem quendam librum vidit à manu divina submissum, & scriptum intus & foris, scripta autem erant in eo lamen-

lamentationes, carnem & væ, quod volumen ubi ex divino mandato deguſtavit: *Factum eſt in ore ejus ſicut mel dulce.* Bone Deus! qualis fuit ille liber amarus & dulcis? R. S. Hieronymus, S. Bernardus & alii: Liber iſte Chriſtum & hunc crucifixum præſignavit; amarus quidem ex primo aſpectu eſt iſte divinus liber, ſed dulcis; ſi illum per devotam meditationem deguſtamus; Scriptus eſt intus & foris, foris per SS. & cruenta Vulnera, intus per immenſum amorem, quo nos diligit. Et ſicut in quolibet libro ſunt quinque vocales, quibus dictio & oratio efformatur A. E. I. O U. ita & in hoc divino libro & cœleſti Alphabeto ſunt quinque vocales, quinque videlicet SS. Vulnera JEſu, quos ſic interpretor: A. quia ſunt Aſylum omnibus in illis ſperantibus. E. Quia ſunt Epiſtola Credentialis ad Patrem cœleſtem. I. Quia ſunt Indulgentiæ plenariæ pro peccatis noſtris. O. Quia ſunt Oſtia cœli & vitæ æternæ. U. Quia ſunt Ubera, quibus lactamur, & nutrimur, præſertim dum ad SS. Euchariſtiam bene parati accedimus.

S. Hieron. Ep de vera Circumciſ.

6. Marcus Tullius Cicero, Conſul Romanus & Orator eloquentiſſimus, ubi advertit, quòd Aquileus Antonius ab æmulis apud Imperatorem & ſenatum Romanum perperàm fuerit accuſatus, & nunc de illius ageretur condemnatione, in publica & graviſſima oratione dicto Aquileo nunc ut reo ſtanti coram judicio pectus aperuit, & ſingula vulnera pro Republica ſuſcepta Patribus conſcriptis oſtendit, ad quorum conſpectum mitior ſententia ſecuta eſt, & Aquileus in libertatem aſſertus.

Cicero orat. in Verrem.

Chriſtus Dominus non cicatrices tantùm, ſed & ipſa ſacratiſſima ſua 5. Vulnera in ſuo corpore reliquit, quoniam noverat nihil faciliùs poſſe veniam apud cœleſtem Patrem nobis miſeris obtinere peccatoribus, quàm oſtenſa hæc SS. Vulnera pro illius gloria & noſtra ſalute ſuſcepta; Sunt enim efficaciſſimum medium ad omnes gratias à Deo impetrandas, quam veritatem ipſe nos docuit, dum diſcipulis ſuis inſinuavit: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*, hoc eſt, propter me, & propter Vulnera mea, *dabit vobis.* Et hoc medium orandi familiariſſimum fuit S. Franciſco Xaverio Indiarum Apoſtolo, qui identidem inter tot decumanos labores hanc orabat collecta m: *Domine JEſu Chriſte, Deus cordis mei, per quinque illa Vulnera, qua tibi in cruce amor inflixit, tuis famulis ſubveni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.*

Jo. 16. 23.

7. Solent Respublicæ ac Principes terræ ſua habere æraria, in quibus tempore pacis ſuos reponunt theſauros, ut, cùm bellum aut alia ingruit neceſſitas, bono publico poſſint ſuccurrere. Ita fecit Sixtus V. P. M. qui immenſum auri pondus Romæ in caſtello S. Angeli pro Eccleſiæ bono reſervari voluit.

Æraria nostra sunt 5. SS. Vulnera Christi, ex quibus pretium accipere possumus, quo æterno Patri pro debitis nostris usque ad ultimum quadrantem satisfaciamus: *Non enim corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis: Sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati.* O thesaurum infinitum, thesaurum incomparabilem, thesaurum nunquam exhaurien-
1. Petr. 1. 18.

dum: *Quidquid mihi deest*, ait S. Augustinus, *usurpo mihi ex visceribus Domini mei, quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant.* Et quis, obsecro, ad hæc SS. Vulnera non accedat?
S. August. in Manual.

8. Hanc veritatem experta est venerabilis Anna à S. Bartholomæo ex nobilissima prosapia oriunda, quæ, cùm à Matre & sororibus ad saltum abduceretur, & nunc à juvene æquè nobili ad tripudium invitaretur, priùs oculos ad cœlum levavit., viditque super caput suum adstantem Dominum JEsum manibus ac pedibus & latere vulneratum, multóque fluentem sanguine, qui illam compellans: *Vide*, inquiebat, *filia quàm graviter me afficiat sociarum tuarum levitas, in quam te insinuas.* Quo viso, & audito sine mora periculosam reliquit societatem, ac mundo valedicens, elegit sibi tutiorem salutis portum, videlicet monasterium S. Theresiæ V. cujus exinde in vita socia fuit, & zelosissima 5. SS. Vulnerum cultrix, unde & sanctimoniæ laude, multisque prodigiis claruit. En habes exemplum de cultu SS. Vulnerum. Imitare.
Vita & Hadr. Lyr. de Chr. pat. lib. 5. c. 7.

CONSIDERATIO CXLIII.

Christus crucifixus est vera idea, exemplar & fortitudo sanctorum Martyrum.

Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Exod. 25. 40.

1.

MOyses Hebræorum Dux ac Legifer prodigiosâ suâ instructus virgâ, populum Israeliticum ex servitute Pharaonis eductum, per mare rubrum sicco pede feliciter in Palæstinam ac terram desiderabilem traduxit: *Transtulit illos per mare ru-*
Sap. 10. 18.

brum

brum, & transvexit illos per aquam nimiam. Christus Dux ac Legifer noster per mare rubrum passionis suæ per prodigiosam SS. Crucis suæ virgam milliones SS. Martyrum ac piorum Christianorũ transtulit, ac transvexit in cœlum, quibus omnibus dux & antesignanus extitit, ut ipsum alacriter per omnes persecutionum, adversitatum & tormentorum sequerentur fluctus. S. Bernardum attende: *Vult*, inquit, *benignus dux devoti militis vultum & oculos in sua sustolli vulnera, ut illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tolerandum fortiorem: Enimverò non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat Martyr tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modò fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Ubi ergo tunc anima Martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus JEsu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.* S. Bernard. serm. 61. in Cant.

2. Desideravit quondam Moyses, & à Deo instanter petiit, ut ejus gloriam ac faciem posset intueri; & responsum est ei à Domino: *Est locus apud me: ponam te in foramine Petræ.* Petra autem perforata erat Christus, per cujus SS. Vulnerum foramina sancti Martyres, & quotquot ad æternam vitam erant prædestinati, hactenus ex hac lacrymarum valle ad cœlestem & sempiternam transierunt gloriam, quia ipse est ostium ad cœlum: *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.* Si ergo cum SS. Martyribus & Electis aliquando vis videre faciem & gloriam Domini, certa nunc cum illis egregiè & fortiter: *Unde*, ait S. Jo. Chrysostomus, *tu Christiane delicatus es miles, si putas te posse sine pugna vincere; sine certamine triumphare. Exere vires, fortiter dimica, atrociter in prælio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce: pactum quod spopondisti, conditionem quâ accessisti, militiam cui nomen dedisti.* Exod. 33. 22. Jo. 10. 9. S. Chrysost. ser de Martyr. to. 3.

3. Immortali laude dignus est ille armiger, qui Jonatham Dominum suum per eminentem petram, ac per prærupta saxorum ad invadenda Philistinorum castra generosè secutus est: *Ascendit autem Jonathas & manibus & pedibus reptans, & armiger ejus post eum.* Ascendit Dominus JEsus gravissima oneratus cruce, manibus ac pedibus reptans in Calvariæ rupem, ut ibidem cum peccato, mundo, morte & diabolo pugnaret, fecitque victoriam. Armigeri ejus sunt omnes SS. Martyres, qui ejus secuti sunt vestigia; unde D. Augustinus: *Nihil sic elucet, quomodo caput Martyrum: ibi melius intuemur, quod illi experti sunt; parum ergo erat, Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo.* 1. Reg. 14. 13. S Augustin. in Ps. 63. v. 2.

4. Lignum illud amarum, quod Moyses in aquas Maræ misit, aquas salsas & amaras in dulces convertit: *At ille* (Moyses) *clamavit ad Dominum, qui ostendit illi lignum, quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versa sunt.* Lignum illud amarum, ait S. Antoninus, crucem Dominicam Exod. 15. 23.

S. Antonin. p. 4. Tit. 3. cap. 7. præsignavit, quæ sanctis Martyribus omnes pœnas ac cruciatus dulces reddidit; unde ibant gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JEsu contumeliam pati.

Exod. 15. 40. Ad Moysen quondam dictum est à Deo: *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Mons iste Calvarium montem adumbravit, in quo Christus in cruce pendens omnibus SS. Martyribus, imò cunctis fidelibus exemplar factus est perfectissimæ obedientiæ, fortitudinis, patientiæ, charitatis, humilitatis, contemptûs mundi, omniúmque virtutum.

5. Urias vir in paucis egregius noluit Davidis Regis acquiescere 2. Reg. 11. 11. consiliis, qui illi de castris ad aulam regiam venienti suasit, sed non persuasit, ut domum se conferret, ac suo indulgeret genio: *Nunquid non de via venisti? quare non descendisti in domum tuam?* Respondit Urias: *Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab & servi Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam & bibam?* Absit hoc à me, non faciam hanc rem, non faciam.

En egregium typum SS. Martyrum, qui seipsos in omni tentatione ac cruciatu animabant: *Dominus meus JEsus pendet in patibulo, & ego voluptate fruar?* Exemplum is dedit nobis, ut, quemadmodùm ille 1. Petr. 4. 1. fecit, ita & nos faciamus, ejúsque cruenta sequamur vestigia: *Christo igitur passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini.* Hæc erat communis Martyrum vox & sensus: Ego amore Christi pro me tanta passi, & crucifixi, crucem, mortem, feras, ignes, equuelos, & quævis tormenta subire desidero; ut dolorem dolori, amorem amori, non ex æquo, sed quoad possum, rependam.

6. Ubi quondam populus Dei electus sub servitute Pharaonis crudelem in modum in operibus luti & lateris torquebatur, DEUS Exod. 3. 2. Moysi in rubo ardenti se videndum exhibuit: *Apparuítque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Et cur inter spinas? Respondent Interpretes, ut populo suo electo inter tot tribulationum spinas tunc constituto, animum adderet ad quæcunque adversa, dolores ac labores ob spem assequendæ terræ promissionis fortiter sustinendi.

Cornel. hìc. Subintrat hìc Cornelius: *Verbum in rubo est Verbum in cruce, quia utrobique inter spinas*; hoc ergo Verbum SS. Martyribus animum addidit quæcunque pro Deo & animæ salute perferendi adversa. Nicodemum considera Synagogæ quondam Judaicæ principem, discipulum Christi præ metu Judæorum occultum; Sed ubi JEsum in cruce suspensum vidit, sepositio omni timore ac respectu humano, illum de fatali ligno deposuit, & mortui Redemptoris corpus cum aromatibus sepelivit; quod cùm cognovissent Judæi, à suo eum amoverunt principatu,

patu, & in exilium ejecerunt, in quo & piissimè mortuus est, atque ob hoc insigne pietatis officium factus est Martyr. Ita Cornelius in Joan. 19. 39.

7. S. Nicodemo adjungo S. Josephum ab Arimathæa, virum prænobilem, divitem, & optimum decurionem, qui viso JEsu in cruce & dolorosa Matre ejus, misericordiâ erga utrumque motus, audacter introivit ad Pilatum, & petiit patibulatum corpus JEsu, acceptúmque de cruce mundâ sindone involvit, & in suo monumento novo, quod in petra exciderat, collocavit; ob quam causam à Judæis navi sine velis & remis cum S. Lazaro, Martha & Magdalena impositus, Deo duce ac remige feliciter Massiliam appulit, & inde in Angliam delatus, Christum crucifixum prædicavit, ac piissimè obiit. O virum egregium! cui omnis mortalitas humana obstricta est, qui antè ob metum latebat, sed jam publicè crucifixi JEsu se declarat discipulum. Imitare exemplum, & perpende, quid sit attentè considerare Christum crucifixum.

8. Audi exemplum. Anno Domini 130. cùm sub Adriano Imperatore Euphratenses & Gedareni imperium vi & armis decrevissent oppugnare, Imperator ingenti coacto exercitu eos reprimere statuit; inter quos suos milites decem millia Christianâ fide & lege imbutos reperit, quos cùm frustrà blanditiis & minis ad idolorum sacrificium & cultum invitasset, & illi constanter Christum & hunc crucifixum prædicarent, eos iisdem pœnis ac tormentis, quibus Salvator olim affectus erat, cruciari jussit, unde illusos, flagellis cæsos, spinis coronatos, in monte Ararath feriâ quadam sextâ die 22. Junii unam cohortem post alteram, ac tandem omnes in crucem agi jussit, ac crudeli lanceâ eorum pectora transverberari. Martyrologium Romanum hoc de illis habet: *In monte Ararath passio Sanctorum decem millium crucifixorum.* Facta sunt autem in illorum morte illa ipsa signa, quæ in passione Christi contingebant, dum densissimæ tenebræ factæ sunt, regio illa terræ motu concussa, petræ scissæ, & Sol obscuratus; quorum corpora exinde Angeli de crucibus, quæ sylvam quandam repræsentabant, deposuerunt, & in dicto Armeniæ monte sepelierunt: Quorum omnium dux fuit S. Achatius, S. Theodorus Capitaneus, S. Hermolaus Episcopus, & alii generosi milites, quorum nomina sunt in libro vitæ. O felix Sanctorum decem millium Martyrum corona, quos vox de cœlo lapsa ad æternam gloriam invitavit, & quos crucifixus JEsus eâdem, quâ ipse, morte glorificavit. Vivite nunc felices, quibus crux lux & dux fuit ad cœlestem patriam &c.

Martyrol. Petr. Canisii 22. Junii.

CONSIDERATIO CXLIV.

Felix sors, beata mors obdormire in umbra Crucifixi JEsu Salvatoris sui.

Obdormivit in umbra Juniperi. 3. Reg. 19. 4.

1.

ELias Prophetarum zelosissimus inter tot persecutiones, cùm ubique à militibus sceleratissimæ Reginæ Jezabelis ad necem quæreretur, nullum securius reperire poterat refugium quam in umbra spinosæ Juniperi, ibi lassus & exhaustis viribus jam jam, prout existimabat, moribundus suam expectabat ultimam sortem ac beatam mortem: *Petivit animæ suæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm Patres mei, projecítque se, & obdormivit in umbra Juniperi.*

3. Reg. 19. 4.

Per hanc Juniperum communiter sacri Doctores Crucem D. N. J. Christi intelligunt, sub cujus umbra Elias & vivere, & mori voluit: *Elias*, ait Rupertus Abbas, *confugit ad vivificum crucis lignum, illic ambit mortem, illic festinat commori Christo.*

Rup. Abb. Lib. 5. in Reg. c. 20.

Anima Christiana! non poteris in hac mortali vita tua meliorem sortem ac feliciorem mortem invenire, quàm si confugias sub umbram Dominicæ crucis, & ad extenta Crucifixi Redemptoris tui brachia; unde S. Augustinus multoties ad Amorem suum crucifixum suspirabat: *Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori desidero.*

2. Elias sub dicta Junipero non mortem sed vitam novam invenit, aderat enim in tempore nuntius cœlestis Angelus confortans divinum Vatem, & panem subcinericium cum vase aquæ ei subministrans: *Surge, comede, grandis enim tibi restat via*, videlicet usque ad montem Horeb, ut ibi in spelunca videret, & audiret Deum. Surrexit ergo Propheta, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. En pulcherrimum typum languentis & SS. Eucharistiâ roboratæ ex hac vita mortali ad meliorem transeuntis animæ. Subintrat hic S. Ber-

3. Reg. 19. 7.

Bernardus: *Bona*, inquit, *& desiderabilis umbra sub alis JEsu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum fessis refugium &c.* Pro reflexione morali hìc adverte: S. Bernard. serm. 2. super Missus est.

Restat & tibi, anime mi, qui hæc legis, adhuc grandis via ad culmen perfectionis, & grandior adhuc ad cœlum empyreum; Surge proinde à somno tuæ tepiditatis, & comede sæpiùs in animo contrito & humiliato, tum sanus, tum ægrotus panem illum subcinericium, hoc est SS. Eucharistiam, & ambulabis in virtute cibi illius usque ad montem Horeb, ubi *videbis Deum deorum in Sion*, non ampliùs crucifixum, sed ut Regem gloriæ ac Judicem vivorum ac mortuorum. O quàm bene tunc tibi erit, si nunc vitam tuam cum crucifixo JEsu conformaveris. Tunc verificabitur illud Davidis: *Et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*; Et illud Apostoli: *Ut spes nostra firma sit pro vobis: scientes, quòd sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Psal. 22. 4. 2. Cor. 1. 7.

3. Aptè autem Elias in tribulatione sua umbram Juniperi, & non alterius arboris elegit, umbra enim Juniperi serpentes fugat, & longè à se venenata repellit animalia, saluberrimas insuper progignit baccas, quæ si dente jejuno masticentur, tempore pestis & contagionis juxta Medicorum effatum ad conservandam hominis sanitatem apprimè sunt habiles & proficuæ.

Crux Dominica non duntaxat corpus morbidum curat, sed & animam lethali peccatorum lue infectam sanat. Testis est illa Mulier gravissimo laborans morbo, cui cùm ex consilio S. Macarii Jerosolymorum Episcopi Crux Dominica à S. Helena recèns inventa admoveretur, sine mora sanata, & ad novam vitam resuscitata est; unde Ecclesia: *Ad crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia referantur.* Brev. Rom. 3. Maij.

Juvat hìc audire venerabilem Thomam Kempensem, ita in laudem S. Crucis perorantem: *O verè beata crux! Per te damones fugantur; per te infirmi curantur; per te pavidi confortantur; per te vitiosi mundantur; per te pigri excitantur; per te superbi humiliantur; per te duri compunguntur; per te devoti fletibus irrigantur.* Et pergit idem Didacticus: *Crux Christi est amantibus levis, tristibus solatiosa; pœnitentibus benigna; sanctis Angelis honorabilis; hominibus amabilis, dæmonibus terribilis, despecta superbis; accepta humilibus; aspera carnalibus; dulcis spiritalibus; insipida stultis; affectuosa devotis; affabilis pauperibus; consocialis peregrinis; amicabilis afflictis; consolabilis infirmis; confortabilis morituris.* Quid pulchrius, quid honorabilius de sancta Cruce? Tho. Kemp. part. 2. serm. 20. ad Novit.

4. Cæterùm observant inter alia memoriæ digna sacri Scriptores de Christo Domino, quòd plerumque post solis occasum ægros & infirmos curaverit. Ita S. Matthæus: *Vespere autem facto omnes malè habentes* Matth. 8. 16.

Marc. 1. 32. Luc. 4. 40. *habentes curavit.* S. Marcus habet: *Cùm occidisset sol, offerebant ad eum omnes malè habentes &c.* Et S. Lucas ait: *Cùm autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens, curabat eos* Et quare vespere, & post solis occasum?

Magnum hìc latet mysterium. Christus sæpius in S. Scriptura Malach. 4. 2. soli comparatur: *Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* Ortus est hic sol in nativitate, occidit in cruce, ubi in pennis ejus, seu in brachiis in cruce extentis, sanitas & redemptio generi humano facta est; & ideò, ait V. Franciscus Quaresmius, Christus pro more suo ægros, primum post solis occasum solebat curare: Quaresm. to. 2. cap. 3. *Et hoc*, ait, *significatum fuit in eo, quòd ad occasum Christo Domino latus apertum fuit, quod fuit velut salutis ostium reseratum, ad quod omnes admissi salutem consequentur &c.*

Ad hunc ergo divinum solem se recipiant Christiani omnes variis affecti languoribus, ac præsertim in senectute & imminente morte, sub cujus umbra optatam invenient medelam ac levamen; *Bene*, ait Oliva, *in occasum solis se ægros deprehendunt, & accurrunt ad JEsum; occasus hic vitæ quoque occasum signat &c.* Proinde sæpiùs cum duobus illis discipulis Luc. 24. 29. cum Christo in Emauthum peregrinantibus dicamus: *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit*; Advesperascit autem, quando finis vitæ nostræ appropinquat. O felix ille, qui tunc cum Ezechia ægrotante 4. Reg. 20. 3. poterit dicere: *Obsecro Domine, memento, quaso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim.* O si & ego, & si & tu, ô mi Lector! hoc in supremo vitæ nostræ articulo possemus dicere: *Obsecro Domine &c.* Sed parce Domine peccatis nostris, & propter gloriam SS. Nominis tui libera nos ab æterna morte: *Domine, si veneris judicare, noli nos condemnare.*

Judic. 14. 8. 5. Samson in occisi leonis ore dulce mel invenit: *Et ecce examen apum in ore leonis erat ac favus mellis.* Per istum leonem Cornelius & alii Christum Dominum & hunc crucifixum subaudiunt, ipse enim est Leo de tribu Juda, qui morte sua mortem nostram, peccatum, dæmonem ac gehennam devicit. Accede ad eum, & invenies favum mellis. 4. Reg. 2. 21. Eliseus Propheta aquas pessimas immisso sale persanavit: *Hæc dicit Dominus: Sanavi aquas has, & non erit ultrà in eis mors, neque sterilitas. Sanatæ sunt ergo aquæ usque in diem hanc.* Plus in cruce quàm Eliseus in Jericho, qui per mortem suam ipsam mortem nobis dulcem fecit, cum Beda in 1. Petr. 1. 3. ipso enim vivere ac mori dulce est: *Mortuus est*, ait V. Beda, *ne nos mori timeremus: resurrexit ex mortuis, ut & nos per eum resurrecturos esse speremus.*

6. Ubi

5. Ubi mitissimus Servator orbis duos dæmoniacos sanavit, & dæmones obsecrantes in porcos ingredi permisit, observat S.Matthæus, quòd navigando per mare in patriam suam redierit: *Et ascendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam.* Et quare non pedes, prout aliàs solebat, in patriam suam se contulit? R. Didacus Niss. Salsas maris undas Christus transmisit, ut in patriam suam perveniret, per quod docebat nos, per amaritudines, scopulos adversitatum, fluctus ærumnarum contendendum nobis esse ad cœlestem patriam. Ecce ipse præivit per mare passionis, monstrans nobis viam, & iter nostrum ad cœlum facilitans. Audiamus, & attento animo consideremus S. Augustinum: *Eia*, inquit, *fratres mei! ardenter desideremus propriam patriam: peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus; festinemus tamen. Ascendamus navem fidei simul & crucem; nec desit anchora spes nostræ salutis. Extendamus funes, diversas virtutes; vela charitatis colligamus; invocemus ventum prosperum verbum Dei: exhauriamus sentinam à peccatis; per eleemosynam mundetur conscientia &c.*

Matth. 9. 1.

Didac. Niss. Dom. 18. Pent. §. 2.

S. Aug. l. 2. de discipl. Chr. c. 2.

7. Sanctos Martyres attendamus, quàm læti, exemplo Christi crucifixi animati, ad beatam mortem sese præparaverint. S. Andreas Ap. videns de longè crucem sibi paratam, eam dulcissimè salutavit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Cùm ad crucem perveniisset, ipse sibi vestes detraxit, easque carnificibus donavit, à quibus cruci affixus & in altum sublatus ad populum circumstantem de Deo & Crucifixo JEsu loquens, plura animarum millia ad veram & orthodoxam fidem convertit. Biduum hæsit in cruce, sic enim cupiebat amor, sic merebatur patiendi desiderium; Et cùm novi Christiani illum vellent de cruce deponere, sublatâ voce exclamavit: *Ne permittas, Domine JEsu Christe, famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solvi, sed suscipe me, tu Magister mi Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre desidero: Suscipe Domine JEsu spiritum meum.* Ad quod ingens splendor Andream circumdedit, sic totus coruscus & lætus abiit ad Magistrum suum JEsum. O felicem sortem, sic posse occumbere mortem.

Jo. Nadas. 30. Novemb. & passim alii.

CONSIDERATIO CXLV.

Cur Christus Dominus etiam post gloriosam resurrectionem suam quinque SS. Vulnera voluerit retinere.

Ostendit ejus manus & pedes. Luc. 24. 40. Et latus. Jo. 20. 20.

1.

Isa. 63. 2.

CHristi Domini de morte victoris, ac de Gentibus sibi subactis triumphantis speciem quondam vidit, ac descripsit Isaias Propheta, ubi rogatus Christus ab Angelis: *Quare rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondit: *Torcular calcavi solus.*

SS. Patres hunc locum communiter accipiunt de Christo resurgente, & in cœlum ascendente: Torcular passio Christi fuit, quo ejus sanguis expressus est, vestimenta autem ejus sacra humanitas à Judæis cruentata, quam cœlo intulit, ubi etiamnum quinque SS. Vulnerum cicatricibus remanentibus est rubicunda. Sed quæres hìc, cur pientissimus orbis Redemptor Christus quinque sua sacratissima Vulnera etiam post gloriosam resurrectionem & ascensionem suam in glorificato suo corpore voluerit retinere? Causam in præsenti dabimus.

2. Isaias Propheta de quinque civitatibus, quæ miseris mortalibus pro refugii loco in omni casu inservirent, pulcherrimum tulit vaticinium: *In die illa*, inquit, *erunt quinque civitates in terra Ægypti - - civitas Solis vocabitur una.* Per quinque istas refugii civitates rectè adumbrata sunt quinque SS. Vulnera JEsu, quæ ideò post gloriosam suam resurrectionem & ascensionem in corpore suo glorificato retinere voluit, ut in omni occasione, in vita & in morte nobis essent loco refugii, ac præsertim *civitas Solis*, per quam Vulnus sanctissimi lateris nobis præsignatum est Sole rutilantius. Advertit Auctor, qui vitam S. Thomæ de Villa Nova conscripsit de optimo quodam ac pientissimo Asceta ex Ordine religioso Fratrum Eremitarum, quòd ad studia, orationes ac contem-

Isa. 19. 18.

Lyr. de imitat. Chr. pat. l. 5. c. 6.

contemplationes suas de nocte nullo indigeret lumine, sed vulnus laterale crucifixi Redemptoris illi sufficientissimum etiam in mediis tenebris subministraverit lumen ac insolitum splendorem. Interrogatus de hoc à Superiore, respondit: *Lumen sibi oranti è latere crucifixi venire.* O felix studium, ô felix oratio de nocte, cui lucerna est Agnus.

3. Olim si quis delinquens ad ejusmodi designatam fugit refugii civitatem, salvus erat, sed si egrediebatur, se vitæ exponebat periculo, & impunè poterat occidi. Semei consule Davidi quondam rebellem, cui Salomon pro civitate refugii assignavit Jerusalem: *Ædifica tibi domum in Jerusalem, & habita ibi: Et non egredieris inde huc atque illuc.* Verùm ubi sui ac mandati regii oblitus, incautè egressus est, sine mora mortis pœnam subiit: *Jussit itaque Rex Banaiæ filio Jojada: qui egressus, percussit eum, & mortuus est.* Ita quicunque extra benedicta Christi D. Vulnera inventus fuerit, & has securissimas refugii civitates deseruit, periculum suæ æternæ subit salutis, & mortem animæ non evadet: *Quacunque die egressus ieris huc & illuc, scito te esse moriturum.* O sacratissima pientissimi Redemptoris nostri Vulnera, ideò reservavit vos, ut peccator habeat quò fugiat, & justus, in quo habitet. 3. Reg. 2. 36.

4 Erat quondam David in deserto Moan ab hostibus undique circumcinctus, & exercitus Saulis ex omni parte diffusus, ut eum quæreret, perderet, mactaret: Cùm igitur nullus ei pateret effugii locus, ad Dominum vocem & animam suam levavit: *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii, ut salvum me facias.* Et qualis ista domus refugii? R. SS. Vulnera Christi, quæ ipse non obscurè prævidit, dum de illis vaticinatus est: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Supra quod egregiè Cardinalis Charensis: *Foderunt*, inquit, *non dixit, transfixerunt, sed foderunt, quia ex profunda hac excavatione ad instar fossæ exprimitur fructus, qui inde prosiliit, fossis enim agros circumdamus, ut ex iis fructus copiosos exhauriamus.* De qua Vulnerum Christi fossione & Hugo Cardinalis illud Esaiæ 2. intelligit: *Ingredere in petram, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini.* En pulcherrimam rationem, cur Christus Dominus etiam post gloriosam resurrectionem quinque sua SS. Vulnera voluerit retinere, ut in iis usque ad consummationem sæculi optatam possimus invenire asylum & domum refugii. Psal. 30. 3. Psal. 21. 17.

5. Progrediamur ulteriùs. Finito diluvio Deus pactum iniit cum Noe & posteritate ejus de non ampliùs inducendo diluvio, pactique tesseram deditiridem seu arcum tricolorem: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram: Cúmque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis sempiterni.* Arcus iste præsignavit Christum crucifixum & nunc glorioſum in Gen. 9. 13.

Eccli. 43. 12. cœlis; ô quàm spectosus est nunc in splendore suo, quem si Pater respicit, ejusque contemplatur SS. Vulnera, recordabitur fœderis sui sempiterni, quod pactum est inter Deum & omnem animam viventem: Et ideò resurgens Dominus hæc sua sacrata Vulnera in corpore glorificato retinere voluit, quia plurimùm valent ad impetrandam nobis gratiam & æternam salutem, dum semper interpellant pro nobis: *Ut appareant*, ait S. Cyprianus, *vultui Dei pro nobis, & ut semper servata in corpore plagæ salutis humanæ exigant pretium.*

S. Cyprian. ser. de baptis. Hebr.

6. Agglomeremus argumenta. Reservavit sibi Dominus JEsus quinque sua SS. Vulnera. 1. Quia sunt quinque portæ templi imò & cœli, per quas intratur ad vitam. Erat quidem hoc divinum templum à Judæis in passione dirutum, sed in resurrectione à Christo re-

Jo. 2. 20. ædificatum: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* 2. Sunt

Exod. 26. 3. quinque purpureæ ac pretiosissimæ cortinæ, quibus olim arca Dei tegebatur: Sic divinitas habitans in humanitate Christi, tanquam in ara

Exod. 26. 37. & tabernaculo suo per quinque SS. Vulnera contecta est. 3. Sunt quinque columnæ deauratæ lignorum Setim, ante quas ducebatur tentorium: quarum erant capita aurea & bases æneæ. Columnæ fortissimæ fidei nostræ orthodoxæ sunt SS. 5. Vulnera Salvatoris nostri, per quas in fide & in omni tentatione solidamur, ac confirmamur. 4.

Num. 7. 83. Agnos quinque & arietes quinque olim in dedicatione tabernaculi offerebant duodecim principes duodecim tribuum Israel; Sed nulla DEO T. O. M. magis placet oblatio: quàm quinque SS. Vulnerum

Gen. 46. 22. dilectissimi Filii sui, agni illius immaculati & incontaminati. 5. Joseph Pro-Rex in Ægypto dilecto fratri suo Benjamino quinque pretiosas stolas dedit: Quinque SS. Vulnera sunt quinque nostræ stolæ gloriæ, quibus vestiti, & in sanguine agni dealbati, securè ad conspectum Dei perveniemus. Et quid, obsecro, non speret reus, si pro se habeat

1. Jo. 2. 1. quinque istos potentissimos advocatos apud Deum Patrem: *Advocatum habemus apud Patrem, JEsum justum*, qui non tantùm verbis, sed &

Rup. lib. 4. in Joan. vulneribus pro nostra perorat salute? Audiamus Rupertum: *Potuit Dominus JEsus virtute, quâ surrexit, clavorum, & lanceæ penitùs extirpare vestigia, sed servanda erant oculis paternis, decentia Filium Dei, charitatis & obedientia signa veneranda, nostræ causæ patrocinia, nostríque amoris æterna incitamenta.*

7. Et quid dico ulteriùs de his 5. sacratissimis Vulneribus, quæ Dominus JEsus de morte triumphans, ac resurgens sibi in peculiarem gloriam & ad omnium mortalium salutem reservavit? Nota est ista parabola, & in Ecclesia Dei satis decantata, atque ab ipso veritatis ore in solatium animarum nostrarum prolata, ubi quinque prudentibus

Virgi-

Virginibus, quia quinque habebant ardentes lampades, sine mora accessus etiam media nocte ad cœlestes Agni nuptias permissus est: *Media autem nocte clamor factus est.* (Observa: Clamor iste significat tubam Archangeli suscitantis media nocte mortuos à sepulchris.) *Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas*; Et quid sequitur? *Venit Sponsus: Et quæ parata erant, intraverunt cum eo nuptias.* Cæteris quinque fatuis Virginibus, quia non habebant similes quinque lampades ardentes, neque oleum in vasis suis, à Sponso rejectis, & in orcum ablegatis: *Clausa est janua.* Matth. 25. 6.

℟. Doctissimus Franc. Quaresmius, quòd per quinque ardentes illas lampades quinque gloriosa Christi Sponsi nostri Vulnera intelligantur: *Quinque*, inquit, *ardentes lampades Virginum prudentum quinque Vulnerum Christi figura sunt.* O felix illa anima, quæ ardentem amorem erga hæc SS. quinque Vulnera usque ad finem conservat, quia sunt trophæa Christi & nostræ victoriæ: Quia roborant nos in fide, tum in vita, tum in morte: Quia sunt claves cœli, & claustra inferni; *Ego sum primus & novissimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce, sum vivens in sæcula sæculorum, & habeo claves mortis & inferni*, imò & cœli: Quia æternæ sunt nostræ delitiæ & dulcedines: *De forti egressa est dulcedo*, quid autem fortius illo leone de tribu Juda, & quid dulcius melle, quod de ore illius & 5. SS. Vulneribus in beatos promanat? Proinde omnes Electi in æternum cantabunt: *Dignus est Agnus, qui &c.* Quaresm. to. 1. c. 8. sect. 2. Apoc. 1. 18. Judic. 14. 14 Apoc. 5. 12.

CONSIDERATIO CXLVI.

Crux ignominiosa Christo Salvatori nostro summam causavit, & peperit gloriam.

Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen. Philipp 2. 9.

1.

Jerem. 11. 19. MIttamus lignum in panem ejus, dicebant quondam impii Judæi ad Jeremiam Prophetam, *& eradamus eum de terra viventium, & nomen ejus non memoretur amplius.* Sed quò magis cives in Anathot Jeremiam volebant deprimere, & ad necem ac crucem postulare, eò magis in oculis Dei Vates ille divinus exaltatus, & defensus est. En perelegantem typum in Christo expressum, quem proprii cives ad lignum crucis instanter postularunt, ut memoriam ejus extinguerent, eúmque de terra viventium eliminarent; sed contrà accidit; *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen,* dum dedit illi nomen DEI & Filii Dei, quod nomen solùm propriè super omne aliarum creaturarum nomen est, ad quod, ut mox in textu sequitur, omnes genua flectant, & adorent: *Ut in nomine JEsu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & inferorum.* En quantùm crux exaltavit Filium Dei! O si amas crucem, anime mi! exaltabit & te usque ad thronum & conspectum Dei.

Philipp. 2. 9.

2. Venerunt in die resurrectionis inchoante jam nocte ad S. sepulchrum Christi Domini sanctæ Mulieres, Maria Magdalene, de qua priùs Dominus septem dæmonia ejecerat, Maria Jacobi Minoris & Judæ Mater, & Salome Mater Jacobi & Joannis Apostolorum, ut secundùm morem Judæorum odoriferis aromatibus ungerent JEsum; quibus apparuit de cœlo Angelus, & quia timidæ erant, eas consolatus est: *Nolite expavescere: JEsum quaritis Nazarenum, crucifixum?* Et quid est hoc, subintrat hic S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Non potuisti dicere, ô Angele, scio quem quaritis meum Dominum?* Cur ergo dixisti crucifixum?

Marc. 16. 6. S. Cyrill. Cath. 13.

R. S. Cy-

℟. S. Cyrillus: *Confidenter dicit, scio, quia crucifixum quaritis: corona enim est crux, non ignominia.* Ecce Angeli primi fuerunt, qui Christi honorarunt crucem & priùs infame patibulum, de cujus gloria ipsâ resurrectionis die mentionem facere non dubitarunt. *O si cognovissent* & hoc Judæi, *nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* O si cognoscerent & peccatores terræ, quem de novo per enormia sua delicta in crucem agunt; ô miseri! *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est*: Ecce crucem Domini! 1. Cor. 2. 8. Isa. 55. 6.

3. Inter alia, quæ Angelus intra conclave sacratissimæ Virginis Mariæ de Verbo incarnando proponebat, erat & hoc: *Dabit illi Dominus sedem David Patris ejus.* Et qualis hæc sedes erat? ℟. Crux fuit, regnavit enim à ligno Deus: *David*, ait Theophylactus, *vicit & regnavit per mansuetudinem, & Dominus per mansuetudinem susceptâ cruce regnavit.* Crux enim Christo JEsu sceptum regale est, diadema pulchritudinis, & virga potentiæ. Ita S. Andreas Cretensis in orat. de sancta cruce. Luc. 1. 33.

4. Dilectus ille Domini Discipulus, ubi descripsit Verbi æterni originem, & ex Deo Patre generationem, ac tandem ejus incarnationem, & gratiæ plenitudinem, denique ad ista verba devenit: *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et qualis hæc erat gloria, ô dilecte Christi Discipule! quam in tuo divino vidisti Magistro? An fortasse quando in monte Thaboræo transfiguratus est? An in glorioſa ejus resurrectione à mortuis? An in ascensione in cœlum? An in Calvario monte? Ita est, & cum hoc ultimo determinatum est, quia gloria summa Christo Redemptori nostro crux fuit: *Crux*, ait prædictus Theophilactus, *inter omnia maxima gloria Christi fuit*, & etiamnum est, & in æternum erit; non enim à Nazaræis præcipitari, non à Jerosolimitanis lapidari, non ab Herode interfici, non alia voluit morte consummari, sed crucis expectare triumphum, ipsa enim est typus Monarchiæ singularis, *ut in nomine JEsu omne genu flectatur.* Jo. 1. 14. Theophyl. in Lucam 22. Philipp. 2. 10.

5. Aspirabat de die in diem magis pientissimus Salvator noster ad mortem crucis, per quam genus humanum ab interitu erat redempturus, unde ad Patrem in fine ultimæ cœnæ post prolixam ad Discipulos adhortationem sublatis in cœlum oculis dixit: *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius clarificet te.* Et quæ, dices haud immeritò, hæc Christi erat clarificatio? ℟. S. Cyrillus Hierosolymitanus super illa verba Joannis: *Venit hora ut clarificetur Filius hominis; Vides quomodo gloriam propriam sciebat esse crucem;* Et S. Joannes Chrysostomus: *Ignominiam crucis non sui solius crucifixi, sed & Patris gloriam appellat.* Et pergit idem mitissimus orbis Reparator Christus in eadem emphatica ad Jo. 17. 1. S. Cyrill. Cath. 11. S. Chrysost. hom. 79. in oan.

Patrem

Patrem oratione: *Et pro eis ego sanctifico me ipsum*, id est, ait Cornelius in sanctam hostiam me tibi offero & immolo post paucas horas in ara crucis pro salute hominum immolandus. O prodigium immensæ in nos Charitatis? quis audivit tale, vel huic vidit simile? *Crux gloria tua est*, ait Drogo Ostiensis, *Crux imperium tuum est super humerum tuum. Portas portantem te: qui portat crucem tuam, portat gloriam tuam: qui portat gloriam tuam: portat te: portantem autem te, portas super humerum tuum.* Ecce quid crux sit.

Drogo Ost. de triumph.

6. Ubi David Rex post superatos Amalecitas, ut glorioſus victor in Siceleg reversus est, gravis inter milites exorta est controversia, an omnes de opimis spoliis ab hoste reportatis participare possint ac valeant. Illi, qui cum David cruento interfuerunt prælio, prætendebant omnia spolia ad se solos debere devolvi: *Quia*, uti dicebant, *non venerunt vobiscum, non dabimus eis quicquam de præda*; Illi verò qui ex mandato Ducis remanebant ad sarcinas & plaustra, similem requirebant spoliorum partem. Quid in hac controversia David princeps justus? partibus ritè auditis, in favorem determinavit illorum, qui ad custodiam hospitiorum & sarcinarum remanserant: *Dixit autem David: Non sic facite fratres mei de his, quæ tradidit vobis Dominus, æqua enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividet.*

1. Reg. 30. 22.

Christus Filius David, Rex & dux noster cum peccato, morte & inferno duello conflixit mirando ac plane cruento, quem secuti sunt Apostoli & Martyres, atque innumeri alii, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ: nos autem hactenus remansimus ad rerum ac sarcinarum nostrarum custodiam, & nondum usque ad sanguinis effusionem restitimus; ergo nulla nobis pars erit de gloria & victoria Christi, ac de spoliis æternæ beatitudinis? Audio à crucifixo Domino responsum: *Æqua pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas, & similiter dividet.* Interim sequamur nos hunc divinum Ducem nostrum alacriter in observatione mandatorum ejus, & in perferendis variis adversitatibus, dum etiam sine sanguine Martyres esse possumus; atque sic ab auditione mala non timebimus. Consolatur me divus Aurelius Augustinus: *Quidquid*, inquit, *ex me mihi deest, usurpo mihi ex Vulneribus Domini mei: quoniam misericordiâ affluunt, nec desunt foramina, per quæ effluant. Copiosa redemptio data est nobis in Vulneribus JEsu Christi Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ & perfectio virtutum.*

S. August. in Manual.

7. Vates ille Regius, ubi in spiritu prævidit Christum Salvatorem nostrum & orbis Dominum per passionem ac crucem suam omnes creaturas renovaturum, hostésque nostros debellaturum, cun-

cunctas exinde creaturas invitavit, ut in illius gloriam & honorem novum canticum depromerent: *Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.* Supra quod S. Hieronymus: *Canticum novum,* ait, *est Dei Filius crucifixus, quod nunquam auditum fuerat. Nova res novum habet canticum. Homo quidem passus est, sed vos cantate Domino. Passus est quidem homo, sed salvavit quasi Deus.* O cantate hìc omnis terra. Psal. 97. 1. S. Hieron. hìc.

Idem Propheta Jessæus invitat omnes ad laudandum Deum in Sion, & allegoricè in Ecclesia Dei ob redemptionem & salutem per eundem Christum crucifixum partam: *Lætentur cæli, & exultet terra,* & quare hoc? Quia Dominus regnavit è ligno; & subdit: *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum.* Supra quod Fernandius: Hæc est ergo summa arborum laus, quòd ex illarum genere nata, excisa, & fabricata sit Crux Christi, quam humeris portavit, in qua Crucifixus pependit, quam fecit imperii sui sceptrum, militiæ suæ vexillum; tantóque eam in honore habuit, ut eôdem, quo Deus ipse adorationis gradu ab Angelis & hominibus colendam proposuerit. Ex quibus mente attentiore perpensis non mirare amplius, quòd David de Dominica cruce prædixerit: *Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini, quia venit, quoniam venit judicare terram;* Considera, ait S. Laurentius Justinianus, quanta sit virtus crucis: In die namque judicii sol obscurabitur, sed crux cunctis astris splendidior apparebit. O crux, ô lux, ô dux ad cœlum. Psal. 95. 11. Fernand. in Gen. 1. sect. 5. S. Laur. Just. de ligno vitæ cap. 4.

CONSIDERATIO CXLVII.

In cruce Domini nostri JEsu Christi omnis Christianorum gloria & victoria consistit.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi. Gal. 6. 14.

I.

DAniel Propheta draconem Babylonium absque gladio occidit, & insignem ab eo victoriam reportavit, dum *tulit picem, & adipem, & pilos, & coxit pariter: fecitque massas, & dedit in os draconis, & diruptus est draco;* massa enim illa picea angustum ob- Dan. 14. 26.

turavit os draconis, & impedito anhelitu & respiratione, cibo illo oppletus crepuit medius. Per draconem istum serpens & draco infernalis rectè intelligitur, quem Christus Dominus non alio instrumento, quàm cruce superavit, & plenissimam ab eo retulit victoriam.

2. David Goliam suo ipsius gladio peremit, & sic glorioſior ejus victoria fuit; licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen statim mortuus est, sed tunc demum, ubi David illi caput amputavit: *Cúmque gladium non haberet in manu David, cucurrit, & stetit super Philistæum, & tulit gladium ejus, & eduxit eum de vagina, & interfecit eum, præcidítque caput ejus.* S. Augustinus per Davidem Christum, & per Philistæum diabolum intelligit, quem Christus pariter propriis ipsius armis vicit, ac debellavit; unde Ecclesia: *Ut, unde mors oriebatur, inde vita resurgeret: Et qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur*; in ligno enim scientiæ boni & mali vincebat in paradiso diabolus, sed in ligno crucis & ipse à Christo victus est.

1. Reg. 17. 50.

S. Aug. serm. 197. de Tem.

3. Similem victoriam de Holoferne tyranno reportavit castissima Judith & genere & sanctitate vitæ conspicua, de qua Scriptura: *Cúmque evaginasset illum* (gladium) *apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora, & percussit bis in cervicem ejus, & abscidit caput ejus, & abstulit conopeum ejus à columnis, & involvit corpus ejus truncum &c.* Per istum Holofernem Rabanus & alii infernorum principem subaudiunt propriis armis devictum: *Crux*, ait Sandæus, *est gladius, quo noster David Goliathum infernalem & Judith Holofernem obtruncavit, hic est gladius Domini, cui non est alter similis.*

Judith. 13. 9.

Sandæus in Palestra.

Idem.

In hujus facti memoriam solent Judæi etiamnum hodie ad lectum suarum puerperarum, aut ægrorum hominum, ubi vitæ periculum imminet, contra dæmonum insidias gladium stringere, & in omnes angulos vibrare, existimantes, sic se posse diabolum insidiantem depellere. Nos Christiani alium contra hunc animarum hostem stringamus gladium: *Crux*, ait S. Martialis divi Petri Apostoli discipulus, *armatura invicta est contra Sathanam*; Et S. Ignatius Martyr: *Crux trophæum est, ac principium damnationis, mortis & ruinæ ejus.* Hunc ensem in omni periculosa occasione & nos audacter contra dæmonum insidias stringamus, & victoriam reportabimus, in cruce enim gloria & victoria.

S. Martial. ep. 1. c. 5.

S. Ignat M. ep. ad Philip.

4. Ad historias transeamus. Apamæa civitas cùm à Cosroë Persarum Rege validissimo infestaretur exercitu, nec ampliùs civibus evadendi pateret locus, Thomas Episcopus, vir & sanctitate vitæ, opere & sermone potens, rogatu civium particulam authenticam Dominicæ Crucis in manibus cum Clericis suis circumtulit, & contra hostes

Dauroult. c. 1. Tit 33. n. 4. & 5.

Genti-

Gentiles velut fulminantem gladium strinxit. Et ecce subitò ex eadem SS. Crucis particula egressus est ignis non comburens, sed lucens, ut omnis ille locus, ubi pretiosum hoc crucis lignum circumferebatur, præ insolito splendore ardere videretur; quod illius loci civibus lætissimum omen mox secuturæ liberationis, hostibus verò signum mox imminentis cladis fuit, dum territi sine mora obsidionem solvebant, & in fugam acti magna ex parte ab erumpentibus civibus trucidati sunt. Tanti nimirum interest, gladium S. Crucis contra hostiles adhibere insultus: *Felix anima*, ait S. Bernardus, *quæ in cruce Domini gloriatur, & triumphat, tantùm ut perseveret in ea, & nullis valeat tentationibus deJici.* S. Bernard. serm. 2. de S. Andr.

5. S. Joannes Capistranus natione Italus, nobili genere natus, ac doctrinâ excellentissimus Magistro vitæ & disciplinæ sancto Bernardino usus est, à quo nil scire, nec velle didicit, nisi Christum & hunc crucifixum. Cùm Turcæ Albam Regalem, nunc Belgradum in Hungaria magnis copiis & apparatu militum obsiderent, inter sacrificandum ei sagitta cœlitùs delapsa est, in qua aureis literis hæc verba consignata erant: *Esto constans, ô Joannes*: proinde se cum Germanorum, Hungarorum & Polonorum copiis in subsidium adventantibus contra hunc infensissimum Christiani nominis hostem ad prælium accinxit, non aliâ indutus loricâ, aut gladio instructus, quàm cruce Domini, quod salutare signum Christianis militibus fortiter pugnantibus, tanquam signifer præsetulit, & dulci nomine JEsu invocato in hostem ruit, ac mirandam victoriam reportavit; quod eleganti carmine recens expressit Poëta: Ex vita.

Hic Franciscе tuus Miles, tua signa per orbem
Nominis ingenti cum pietate tulit.
Nunc inter promachos sine telo tela repressit,
Et CRUCE perculsit signa inimica CRUCIS.

6 Occurrit hìc mihi, quod de S. Udalrico Episcopo Augustano refert Stengelius. Anno Christi 955. ingens ac formidabilis Ungarorum exercitus Germaniam rapinâ, cæde & incendio devastavit, qui debellatâ Austriâ, Bavariâ & Sueviâ tandem usque ad Ellum fluvium penetrarunt. In hac luctuosa rerum facie S. Udalricus, velut alter Josue, ad clypeum S. Crucis confugit, quam illi Angelus de cœlo delapsus in manus porrexit. In hoc igitur signo populum Christianum in Ecclesia Cathedrali B. V. Augustæ Vindelicorum congregat, atque in tres partes dividit; una & debilior ex mulieribus & infantibus con- Carol. Steng. in Chronica fol. 84.

flata, in dicta Ecclesia pro liberatione patriæ supplices ad Deum preces fundere jussa est. Pars altera parùm quoque ad pugnam idonea processionem in Urbe per forum Berlacense, ùt vocant, aliásque civitatis plateas ad Deum placandum adornavit. Pars tertia ex viris fortissimis collecta, cum sancto Udalrico stolâ Sacerdotali induto, & Othone Magno in Campum Lycium, ubi hostis Pannonienſis castra sua locaverat, profecta est. Ruitur animosè in hostem; Imperator lanceam Christi Domini præsefert, divus Udalricus Crucem Victorialem, ad cujus conspectum barbaræ phalanges, velut nebula ad conspectum solis dissipatæ, exterritæ, & ad usque internecionem profligatæ sunt; Dux verò illorum vivus à Cæsareanis captus, & Augustam ab Imperatore in triumphum ductus, demum Ratisbonæ in publico patibulo suspensus est. Hanc exinde crucem victorialem ex durissimo & ignoto ligno ab Angelo confectam S. Udalricus summo studio asservari voluit, quæ nunc auro & gemmis splendidè ornata, in celeberrimo Templo SS. Udalrici & Afræ in sacello deaurato (ubi Josephus I. à Serenissimis sancti Romani Imperii Electoribus in Romanorum Regem, & Imperatorem electus est) magna cum veneratione asservatur, & colitur, mirè potens etiamnùm hodie contra tempestatum, fulminum, grandinum ac Sathanæ furias.

Lyræus lib. 4. c. 6. de Chr. pat.

7. Similis Crux victorialis, sed paululùm longior, in qua & imgo Salvatoris pretiosissimi quatuor affixa clavis pendet, in monte Andechs, qui vulgò Mons sanctus vocatur, in superiori Bavaria inter pretiosas Reliquias religiosè asservatur, quàm cœlestis quidam Genius olim potentissimo, juxta ac pientissimo Germanorum Imperatori Carolo Magno in manus tradidit, cujus ope & auspiciis hic Imperator, & filius ejus Pipinus, ac posthæc S. Ratho Illustrissimus Comes de Andechs insignes de infidelibus victorias & trophæa retulerunt. O quàm benè igitur Theophylactus: *Crux inter omnia maxima gloria Christi*: & S. Chrysostomus: *Crux trophæum contra dæmones erectum, gladius contra peccatum. Crux Patris voluntas, Unigeniti gloria, Spiritûs exultatio, Angelorum decus &c.* Et quid plura de S. Cruce requiris?

Theophylact in Luc. 22. S. Chrysost. tom. 6. orat. in Crucem Domini.

8. Revertor ad Scripturam. Olim Deus quàm maximè se repræsentabat, & manifestabat per arcam; unde toties, quoties expeditio aliqua populo Israelitico erat facienda, Moyses rogavit, ut surgente arca, etiam Deus exurgeret ad hostes Israelis dissipandos, ut metu correpti diffugerent, & Israelitæ confidentes in arca Domini optatam victoriam obtinerent; proinde cùm hæc arca fœderis à Levitis in altum elevaretur, Moyses solebat dicere: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.* Cùm autem deponeretur: *Revertere Domine ad multitudinem exer-*

Num. 10. 35. vers. 36.

exercitûs Israel. Supra quod pereleganter Ludovicus de Ponte: *Ita etiam, cùm Christus Dominus, cujus imaginem arca illeferebat, elevatus est in crucem ad pugnandum contra hostes suos, dictum est illi per Prophetas. Surge Domine, & virtute tuâ cuncti hostes dissipentur. Postquam autem corpus descendit in speluncam, & anima in limbum; clamabat Sponsa: Revertere Domine ad multitudinem exercitûs Israel.* De Ponte in Cant. 2. Exhor. 39. §. 1.

Finem huic Considerationi imponat B. Virgo nunc Verbo gravida, quæ in suo Magnificat inter alia & hæc Prophetico spiritu effata est: *Fecit potentiam in brachio suo.* Quæres, ubi Deus hanc suam demonstravit potentiam? R. Hugo Cardinalis: *Fecit potentiam in brachio suo in cruce extento: Quia diabolum superavit, captivos de inferno liberavit, & Electos omnes ad superna levavit.* O sub hoc brachio & nos vivere, & mori desideramus &c. Luc. 1. 51. Hugo Card. hìc.

CONSIDERATIO CXLVIII.

Mala sors, pessima mors, Christum crucifixum in vita non honorâsse, non dilexisse.

Aspicient ad me, quem confixerunt. Zach. 12. 10.

1.

OLim in exitu Israel de Ægypto præcedebat Dominus electo populo suo in columna nubis & ignis, monstrans eis viam in Palæstinam: Hebræos quidem illuminans, sed Ægyptios obtenebrans, & eorum interficiens exercitum: *Jamque veniebat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum.* Adverte hic diversum Domini Dei aspectum super pios & impios: Israelitas in maris rubri transitu dirigebat ad felicem portum, ita ut totam ejus latitudinem, quæ sex leucas continet, per dimidium noctis tricies centena hominum millia sicco pede transierint, Ægyptios verò insequentes & hostes suos in undis submersit. En duplicem Dei aspectum benignum & terrificum. Sic erit in consummatione sæculi, ac præsertim in exitu animæ nostræ ad alteram transeuntis vitam; pios piè Exod. 13. 21. Exod. 14. 24.

aspiciet JEsus olim crucifixus, sed nunc ut Judex districtissimus, malos male perdet. Vide, ne tu sis inter illos.

2. S. Joannes dilectus ille Christi discipulus vidit aliquando in raptu Dominum suum, cujus oculi erant flamma ignis, id est fulgetræ:

Apoc. 1. 16. *Et habebat in dextra sua stellas septem: Et de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Observa; per septem stellas & jucunda lumina in manu Christi denotantur beneficia ejus divina, quæ suis servis, qui in vita ipsum dilexerunt, & imitati sunt, in æternum conferet, sed flamma ignis & fulgetræ & duo gladii indignationem ejus indicant ad terrorem perditorum & inimicorum crucis, quorum Deus venter erat in vita,

Apoc. 1. 7. & nunc finis interitus: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Hinc videtur, subintrat hìc Cornelius, quòd in Christo judice veniente ad judicium videbuntur crucifixionis insignia, & vulnera, id est aperturæ manuum, pedum, lateris, sed gloriosa & splendentia, impiis & crucis osoribus ad terrorem, piis autem ad ineffabile gaudium ac solatium. O peccator! ubi tu tunc parebis?

3. Variè se Moyses excusavit apud Deum, ubi ad illam missionem vocatus est, quâ populum Hebraicum à durissima Pharaonis liberaret

Exod. 4. 2. servitute; cui Dominus: *Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, virga; dixitque Dominus: Projice eam in terram, projecit, & versa est in colubrum.* Allegoricè per istam virgam (prout alibi explanavimus) Crux Dominica intelligitur, quæ impiis in morte & particulari judicio verteretur in colubrum: *Mors est malis, vita bonis.*

Latrones consule cum Christo Redemptore nostro ferreis aculeis

Nonnus in Jo. 19. 19. Matth. 27. 38 & similibus clavis (prout habet Nonnus & alii) in crucem actos: *Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus à dextris, & unus à sinistris,* crux enim erat ordinarium latronum supplicium, inter quos & cœli terræque Dominus medius, tanquam eorum choragus & princeps pependit,

Isa. 53. 12. ut adimpleretur illud Isaiæ Prophetæ: *Et cum sceleratis reputatus est.* Sed adverte diversum horum latronum exitum: unus salvatus, & alter

S. August. Tract. 31. in Joan. æternùm reprobatus est. Juvat hìc audire S. Augustinum: *Ipsa,* inquit, *Christi Crux, si attendas, tribunal fuit. In medio enim Judice Christo constituto unus latro, qui credidit, liberatus, alter, qui insultavit, damnatus est. Jam significabat quid facturus est de vivis & mortuis, alios positurus ad dextram, alios ad sinistram, nimirùm hos missurus in ignem æternum, illos ducturus ad cœleste suum regnum. Ita in ipso illo sacrificio, quo ex misericordia nos reconciliabat æterno Patri, voluit nos commonefacere justitiæ, quam in suo judicio in peccatores exercebit.* Sta hìc, & considera.

4. Isaias Prophetarum princeps genti suæ propter enormia, quæ patravit scelera, amaram mortem & sortem prædixit: *Ecce Dominus dissipa-*

dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & disperget habitatores ejus; Et tandem addit, quòd potio illorum in morte sit futura amara: *Amara potio &c.* Theodoretus, Eusebius, Vatablus & alii dicunt, quòd hìc, & per reliquum capitulum agatur de vastitate Judæis invecta post, & propter Christum crucifixum, quia crucifixum Dominum suum non honorarunt, non ut Messiam agnoverunt, ideò miserrimâ morte perierunt. Isa. 24. 1. Vers. 9.

Talis rerum facies & Christianorum peccatorum erit in morte, qui in vita sua Christum & hunc crucifixum non amarunt, imò de novo per peccata sua crucifixerunt. Tunc adimplebitur illud Salomonis in Proverbiis: *Novissima illius amara*; Et illud Ecclesiastici: *O mors, quàm amara est memoria tua*? Quibus adjungo Jeremiam Prophetam: *Scito, & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* Prov. 5. 4. Eccli. 41. 4. Jerem. 2. 19.

De S. Mechtilde refertur, quòd aliquando, cùm orationi ferventiùs insisteret, patentem infernum conspicata sit, & in eo ignitos dracones, serpentes, leones, tygrides, lupos, canes &c. sese invicem crudelibus morsibus atrocissimè laniantes. Et cùm Dominum suum ac Crucifixum Amorem de hac visione humiliter consuleret, quid sibi hæc monstra vellent? Divinum responsum accepit: *Animas esse, quæ nunquam Salvatoris sui, passi scilicet, & suppliciorum ac Vulnerum ejus meminissent, quibus tamen, veluti cœli clavibus cœlum aperitur, & clauditur infernus.* Subintrat S. Augustinus Hipponensium Episcopus: *Quo*, inquit, *se tunc peccator convertet, quando illi meritò exprobrabit Salvator: Vide hominem, quem crucifixisti, vide vulnera, quæ inflixisti; vide latus, quod transfixisti, quoniam per te & propter te apertum est, & tamen intrare noluisti*? Et neque tu? Lib. 5. Gratiæ Spirit. cap. 11. S. August. lib. 1. de Symb. c. 8.

5. Quo modo Christus pientissimus Servator noster in deserto à diabolo fuerit tentatus, satis luculenter describit sanctus Matthæus cap. 4. v. 1. Tandem, ubi nihil efficere poterat, *reliquit eum diabolus*, & quidem diabolorum omnium princeps Lucifer, qui Filium Dei sibi ad singulare deposcebat duellum, victúmque se fassus ei ultrò cedebat victoriam. S. Lucas ait: *Recessit ab illo usque ad tempus.* Et quare usque ad tempus? ergo diabolus ad Christum rediit, ut illum tentaret de novo! Ita est, rediit & quidem supremo vitæ die, quando salus nostra pependit in cruce; hic in mortis articulo pugnandum erat Christo cum omnibus infernalibus legionibus ac præsertim cum antiquo serpente, sed quia nihil diabolus in eo invenit, *in pudore*, ait S. Athanasius, *rejectus est*. Observa hìc anime mi? Si adeò observavit princeps tenebrarum tempus mortis Christi, ut omnes eum tentandi vires tunc exeret, quid tecum fiet peccator inveterate, in illo ultimo agone, ex quo pendet æternitas? *Tunc circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt te undique, eò quòd non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Matth. 4. 11. Luc. 4. 13. S. Athanas. orat. de pass. & cruce. Luc. 19. 43.

6. De

6. De S. Anselmo Episcopo Cantuariensi refert Vita, & ex ea Cornelius, quòd aliquando iter faciens, ac diœcesim suam visitans in venatores & canes inciderit, leporem omni conatu persequentes; qui cùm penè esset in ore vertagorum, nec ampliùs posset effugere, ad pedes sancti Antistitis totus tremens & sudans accurrit, quem sanctus benigne manibus exceptum sinu suo fovit, convertènsque se ad venatores, suósque itineris socios, dixit: *Talis est anima in extremo vitæ periculo, quam canes infernales persequuntur, & devorare contendunt.* Tunc videbunt peccatores, in quem transfixerunt. Tunc *animam tuam repetent à te*, mali videlicet Angeli & crudeles tributorum exactores, *& quæ parasti, cujus erunt*? Tunc tota criminum tuorum congeries innovabitur, & præ oculis posita heu quantùm percutiet mentem tuam! Ah quid tunc erit osori & contemptori crucis, qui in vita sua Christum crucifixum non amavit, non coluit, non imitatus est? O mors, quàm amara tunc erit memoria tua, cùm anima nunc à dæmonibus trahetur ad terribile Dei judicium? *Si columnæ cæli contremiscunt adventum ejus*, qualis ac quantus tunc te invadet tremor, ô peccator obstinate & procrastinator pessime? Tunc verificabitur illud Regii Vates: *Mors peccatorum pessima*, & illud S. Petri: *Si justus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt*? Cogita hæc, & bene ruminare.

Cornel in Ep. S. acobi c. 2, v. 13.

Luc. 12. 12.

Job. 26. 11.

Psal. 33. 22.

1. Petr. 4. 18

7. Exemplo sit tibi ille Canonicus, de quo Zehentnerus refert, quòd Toleti in Hispania, licet sacris per plures annos initiatus, malam & scandalosam vitam duxerit. Tandem ad extremum vitæ devenit quem gravi infirmitate correptum Ecclesiastes Toletanus invisit, monuitque, ut saluti suæ, dum adhuc gratiarum tempus affulgeret, per veram ac contritam peccatorum confessionem consuleret. Renuit ille nondum esse hujus rei necessitatem; instat Ecclesiastices, ei proximum intentans divinum judicium & gehenam, nisi dignos faceret pœnitentiæ fructus. Sed frustra omnia. Quare consternatus Ecclesiastes imaginem crucifixi JEsu apprehendit, & Psalmum de profundis pro ægri animæ salute devotissimè recitat. Et ecce dum devenit ad illa Davidis verba: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*, lignea imago inspectantibus pluribus præsentibus brachia cruci affixa resolvit, & utrâque manu aures obseravit, hanc lamentabilem emittens vocem: *Quia vocavi te, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo.* Ad quod fulmen mox æger infelicem animam expiravit: *Intellige hæc, qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.*

Zechentner. in Promontorio malæ spei lib. 4 § 2. num. 25.

Psal. 49. 22.

CON-

CONSIDERATIO CXLIX.

Cur ſignum crucis erit in cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit?

Tunc parebit ſignum Filii hominis in cælo. Matth. 24. 30.

1.

CUm quondam Deus in veteri lege ſupra populum ſuum benedictionem aut maledictionem pro æqualitate meritorum aut demeritorum per Sacerdotes aut Levitas voluit pronuntiari, priùs arcam fœderis in medium vallis portari juſſit, juxta quam ex una parte in monte Garizim ſtare debebant ſex tribus de populo, & ex altera parte arcæ ſex aliæ tribus in monte Hebal: Arca autem Domini in medio populi in valle per Sacerdotes in ſublimi, ita ut ab omnibus conſpici poſſet, tenebatur; & ſic magna & elata voce præſcripta à Deo benedictionis & maledictionis formula in trangreſſores legis recitata fuit, cui omnis populus ſuccclamabat: *Amen.* Deut. 27. 12. Joſue 8. 33.

En inſignem typum futuri judicii univerſalis, ubi ex una parte ſtabunt oves electæ, & ex altera parte hædi ab ovibus diviſi, iſtæ ut benedictionem percipiant: *Venite benedicti Patris mei*, illi verò ut æternùm maledicantur: *Ite maledicti in ignem æternum.* Per arcam autem fœderis, quæ in medio populi ſtabat, rectè SS. Crucem intelliges, quæ à SS. Patribus vocatur *arca ſalutis*, hæc, inquam, arca ſtabit pendens in aëre in valle Joſaphat, & ſole ac cunctis aſtris ſplendidior perdurabit in conſpectu omnium hominum & Angelorum usque dum univerſale judicium à ſupremo omnium Arbitro Chriſti JEſu olim crucifixo erit abſolutum: Et hoc ad majorem confuſionem & damnationem inimicorum crucis Chriſti: *Ut agnoſcant*, ait S. Auguſtinus, *conſilium iniquitatis, qui Dominam majeſtatis crucifixerunt*; Juſtis autem & Chriſtum crucifixum hìc in terra amantibus, & pro viribus imitantibus ſingulari erit gaudio & ſolatio immenſo, quibus tunc crux erit ille arcus pacificus, qui poſt igneum illud diluvium, quod ante judicii diem præcedet, illis erit ſignum æternæ ſalutis: *Arcum meum ponam in nubibus*: Et Cornel. hìc. Rup. Abb. & alii. S. Aug. ſerm. 130. de Tem. Gen. 9. 13.

Matth. 24. 30. S. Matthæus: *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo: Et tunc plangent omnes tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate.* O anime mi! ubi ego & tu tunc stabimus, quando venerit Dominus ad judicandum orbem terrarum? Proinde sæpiùs & Job. 10. 2. in animo contrito cum Jobo & Ecclesia dicamus: *Domine, cùm veneris judicare, noli me condemnare.*

2. Quæres hìc, Lector prudens, in qua forma signum Filii hominis, hoc est Crux Dominica in die judicii universalis sit apparitura? An ex luculentissimo aëre ab Angelis formanda, an verò ipsa crux materialis, in qua olim Christus Dominus suspensus & mortuus est? S. Chrysost. de laude S. Crucis &c. R. S. Chrysostomus, Thomas Waldensis, Petrus Bessæus & plures alii, ipsissimam fore crucem, in qua olim salus mundi, hoc est Salvator noster pependit; hæc, inquam, crux materialis ab Angelis afferetur in judicium. Et sicut nunc crux ante Pontificem, Patriarchas, Archi-Episcopos & Apostolicum Hungariæ Regem (nunc Carolum Sextum) à ministris deferri solet, sic quoque hæc ipsissima crux materialis, quæ olim in Calvario monte collocata Christo fuit, à ministris cœlestibus in vallem Josaphat comportabitur, qui omnes ejus particulas, atomos & cineres, hinc & inde per orbem dispersos priùs in unum colligent, & sic integram ac coadunatam Dominicam crucem ad judicium deferent, quæ exinde finito judicio Angelorum ministerio in cœlum elevabitur, ibidem velut perpetuum virtutis trophæum in solamen & Sibylla lib. 6. Oraculorum in fine. gaudium omnium Electorum permansura. Audi verba Sibyllæ:

O lignum felix, in quo Deus ipse pependit!
Nec te terra capit, sed cœli tecta videbis,
Cùm renovata Dei facies ignita micabit.

3. Venit hìc mihi in mentem fulminans ille gladius, quo David quondam impium Goliæ caput in arena amputavit, quem insignem gladium David non duntaxat permangni æstimavit, sed & illum DEO optimo in signum grati animi consecravit, atque in tabernaculo pretioso involutum pallio, velut perenne obtentæ victoriæ monumen-
1. Reg. 21. 9. tum suspendit: *Et dixit Sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle terebinthi, est involutus pallio post ephod: si istum vis tollere, tolle, neque enim hìc est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum &c.*

Le Blanc. in Psal. 44. 5. Per hunc gladium Hesychius, Le Blanc & alii symbolicè S. Crucem subaudiunt, per quam Christus Filius David diabolum & mortem debellavit; quam glorioſam ac victricem rhomphæam ante se-

cundum

cundum Christi Judicis adventum Archangelus Michael salutis signifer coram infinita & Angelorum & hominum multitudine in suprema aëris regione suspendet: *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* Matth. 24. 30.

Et hoc juxta Cornelium tres ob causas. Primò ut cognoscat mundus, quòd idem sit Judex, qui pro omnium salute olim in cruce suffixus est. Secundò ut intelligat mundus, quòd Christus per crucem hanc gloriam & potestatem judiciariam sibi meruerit. Tertiò ut ostendatur, omnes Christi crucifixi cultores, amatores & imitatores nunc cum ipso in cœlo esse exaltandos, osores verò crucis in æternum reprobandos. Juvat hìc audire Kempensem: *Qui modò*, inquit, *libenter audiunt, & sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione mala aterna damnationis: Hoc signum crucis erit in cœlo, cùm Dominus ad judicandum venerit. Tunc omnes servi crucis, qui se crucifixo conformarunt in vita, ad Christum accedent Judicem cum magna fiducia &c.* Vide anime mi, quanti solatii tunc erit amasse Christum JEsum & hunc crucifixum. Thom. Kem. lib. 2. c. 12. de imit. Chr.

4. Observat ulteriùs S. Matthæus ex verbis Christi prolatis tanquam æternæ Veritatis, quòd ad conspectum sanctissimæ crucis tunc sol sit obscurandus, consequenter luna non sit ampliùs datura lumen suum, nec stellæ, quæ de cœlo cadent, omnésque virtutes cœlorum sint commovendæ: *Sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.* Et quare hæc omnia? Adverte, mox enim sequitur: *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo.* En stupendam SS. Crucis virtutem! ad cujus conspectum ipse astrorum Rex, qui priùs per tot sæcula omnes inferiores stellarum orbes indefessè illuminabat, absque mora, velut saccus niger, offuscabitur. Ita & S. Augustinus: *Crux*, inquit, *fulgebit, & obscurabit luminaria cæli, dilapsis sideribus, sol radiabit, ut discas, quoniam crux lunâ lucidior, & sole præclarior sit.* Proinde non incongruè cruci Dominicæ sole & cunctis astris tunc splendidiori inscribes: *Illuminat, & obscurat.* Ita est: Illuminabit tunc crux Christi non tantùm abscondita ab origine mundi, sed & cunctas piorum & electorum mentes, qui se priùs in hac mortali vita cum Christo crucifixo conformarunt, mirè illustrabit, ac summo gaudio & inexplicabili solamine perfundet. Obscurabit autem, & confundet illorum animos, de quibus Apostolus loquitur: *Multi enim ambulant, quos sapè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum*, quibus SS. Crucis signum majori erit confusioni ac damnationi. Audi & considera S. Ephraim, qui de hac SS. Crucis apparitione ita discurrit. *Sancta crux*: inquit, *rursus in consummatione saculi cùm secundus illuxerit Domini Salvatoris adventus, primò cum gloria ingenti & Angelorum exercituum* S. Augustin. serm. 130. de Temp. Philipp. 3. 18. S. Ephraim in lib. de vera pœnit. cap. 3.

infinita multitudine apparebit in cœlo, inimicos quidem terrens ac vexans, fideles autem illuminans, atque lætificans, adventúmque cœlestis Imperatoris annuntians &c.

Dan. 5. 6. O peccator! quid tunc erit! Si Balthasar Rex adeò contremuit ad conspectum trium digitorum, qui ipsi in pariete definitivam æternam damnationis scripserunt sententiam: *Tunc facies regis commutata est &c.* O bone Deus! quid mihi & tibi erit, anime mi, si mox post obitum nostrum videbimus Judicem nostrum olim pro salute nostra crucifixum, & tunc ante universale judicium adventantem S. Crucem & cum ea ipsum Filium DEI venientem in nubibus cœli cum potestate

Jo. 19. 37. magna & majestate: *Tunc videbunt, in quem transfixerunt.*

Zachar. Boverius Annalium Ordinis sui ad annum 1575. 5. Audi mirandam historiam. Bocherii, quod oppidum est provinciæ Syracusanæ, etiamnum hodie sanctè conservatur & honoratur magna quædam Christi in cruce pendentis imago ex adverso suggestûs ibidem affixa & populo conspicua, cum qua anno Christi 1575. hoc stupendum accidit miraculum. Cùm ibidem zelosissimus P. Franciscus Saccensis Capucinus concionem ad populum faceret, & valde in eos, qui sub spe veniæ impetrandæ in misericordiam divinam eò liberiùs peccarent, inveheretur, demum ad Crucifixum juxta cathedram suspensum conversus, & mox iterum ad populum: *Cavete*, clamabat, *ô peccatores à cœlesti Dei viventis ira, nam Christi manus, quas isthic cruci affixas cernitis, nisi pœnitentiam egeritis, à cruce solutæ clavos deserent, & pro clavis gladium apprehendent.* Et quid hìc expectas? vix zelosus hic Concionator hæc pronuntiaverat, cùm mox lignea Christi imago ingenti strepitu dexteram manum è cruce divulsit, & quasi jam de obstinatis illis vindictam sumpturus in altum quasi minitans levavit. Populus ut hæc vidit, terrore perculsus tunso pectore divinam imploravit clementiam, ad quod Christus manum retraxit spectantibus omnibus in signum impetratæ veniæ. O peccator! tunc non ampliùs erit tempus clementiæ, sed justitiæ &c.

CONSIDERATIO CL.

Crux D. N. J. C. causa omnium gratiarum, beneficiorum ac Benedictionum.

Elevatis manibus suis benedixit eis, & ferebatur in cœlum. Luc. 24. 50.

1.

JAcob Patriarcha morti nunc proximus & maturus, quia agebat 147. ætatis annum, filiis Joseph Ephraim & Manasse cancellatis manibus benedixit: *Qui extendens manum dextram posuit super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manasse, qui major natu erat, commutans manus.* Observa hìc, Lector prudens, Jacob in hac ultima sua benedictione erga filios Joseph extentis ac cancellatis manibus suis crucem formavit, in qua illis benedixit; ita S. Damascenus, asserens cancellatas manus præsignasse crucem Christi, ex qua omnis gratia & benedictio in genus humanum promanavit: *Crux tua,* ait S. Leo Papa, *omnium fons benedictionum, omnium est causa gratiarum, per quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte.* Gen. 48. 14. S. Damasc. l. 4. c. 14. S. Leo ser. 8. de Pass. Dom.

2. Hanc glorioſam crucis benedictionem prævidit in spiritu Vates Regius, dum aureâ suâ pennâ mortalitati humanæ illa aurea verba consignavit & reliquit: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugient à facie arcûs.* Et quale signum? R. S. Hieronymus & alii, signum, quod ostendit & erigit nobis Christus, ut fugiamus à facie arcûs, hoc est, punitionis, tum hìc, tum præsertim in die judicii, est signum crucis, hoc enim salutis signo fideles se distinguent ab infidelibus & Antichristianis, dum intrepidè signum crucis in fronte suo deferent. Psal. 59. 6. S. Hieron. in Isa. c. 56.

3. Imo & Christus Dominus, dum nunc, ut glorioſus de morte triumphator ad Patrem in cœlum ascensurus SS. Matri suæ, ac cæteris circumstantibus fidelibus in monte Olivario valediceret, signum crucis adhibuit, prout observat S. Lucas: *Elevatis manibus benedixit eis, & ferebatur in cœlum.* Nota, qui elevatis manibus benedicit; crucem format, homo enim cùm extendit manus, crucifixum repræsentat; Luc. 24. 50.

S. Bernard. serm. 4. in Vigil. Nat. *fortasse*, ait S. Bernardus, *crux ipsa nos sumus, cui Christus memoratur infixus; homo enim formam crucis habet, quam, si manus extenderit, exprimet manifestiùs.*

Similem inquam, crucis formam & Christus formavit in cœlum nunc abiturus, ut ostenderet crucem esse signum redemptionis nostræ, & simul fontem omnis gratiæ ac benedictionis; unde à Christo & Apostolis manavit in Ecclesia Dei traditio, ut, dum alicui benedicimus, manibus in formam crucis deductis id faciamus. Juvat hìc audire S. Hieronymum in Isaiæ c. 66. v. 19. *Et ponam in eis signum: Hoc, inquit, nobis ad Patrem ascendens Dominus dereliquit, sive in nostris frontibus posuit, ut liberè diceremus: Signatum est super eos lumen vultûs tui Domine &c.* Et hoc signum crucis erit in fine sæculi, cùm Dominus ad judicandum venerit: *Ponam in eis signum*, antequam congregem, ait hìc Cornelius, omnes gentes in valle Josaphat, priùs erigam inter eas signum, quasi vexillum crucis, ad quod convocabo & congregabo omnes nationes. O beati, qui sub hoc signo crucis in vita egregiè dimicarunt, illi enim à Christo justificati & sanctificati ad æternam pervenient salutem, cæteris hoc signo carentibus ad supplicium sempiternum condemnandis.

S. Hieron. in Isa. 66. 19.

4. Olim arca Dei erat Hebræis signum divinæ benedictionis, cùm enìm David Rex eam religiosè & solemni pompâ ex domo Abinadab in domum transferret Obededom Gethæi, observat Scriptura, quòd cum ea pariter multiplex benedictio in hanc domum & familiam descenderit: *Et benedixit Dominus Obededom & omnem domum ejus.* Et quare hoc? R. Sacri interpretes, quòd *Geth* hebraicè idem significet quod *torcular*, seu crux, quam Christus calcavit solus; in hac ergo domo divertit Dominus per arcam, ut ostenderet, quòd omnis benedictio veniat à cruce, in qua solùm cum Apostolo nos oportet gloriarì: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi.* Et subdit Cornelius: *Arca ergo Dei, ipséque Deus requievit in anima Gethæi, id est fidelis, qui amat crucem & mortificationem.* O quàm claudicat iste terminus *Crux & mortificatio* apud multos Christianos! Christum crucifixum amare & colere volumus, & imitari piget? Audi ipsam Veritatem: *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* O beata domus, ubi hæc arca mystica, crux, quiescit, & ubi Christus amatur, colitur & imitatur.

2. Reg. 6. 10.

Gal. 6. 14.

Matth. 10. 38.

Joachim Curæus in actis. 5. Veniamus ad historias. B. Hedwigis Ducissa Poloniæ, vidua sanctissima vix ab umbra crucifixi amoris sui abesse poterat, in cujus honorem singulis feriis sextis se flagellabat, & pane & aquâ jejunabat, quæ tandem arctissimè imaginem B. V. & Matris Dei constringens piissimè in Domino defuncta, & cum ea imagine sepulta est. Excelle-

bat

bat autem singulariter in amore sui crucifixi Amoris, cujus intuitus ei pro libro inserviebat; ecce cùm aliquando coram devota Crucifixi imagine humi prostrata precibus ferventiùs insisteret, vidit Dominum suum manum dexteram à clavo & crucis cornu extrahentem, & sibi per modum crucis peramanter benedicentem, clara voce dicendo: *Orationem tuam accepi, faciámque quid petisti.*

6. S. Benedictus Abbas & Patriarcha orbi notissimus, *gratiâ*, prout loquitur S. Gregorius M. *& nomine Benedictus*, prima Ordinis sui fundamenta jecit in sacello sanctissimæ Cruci dedicato, cujus tota supellex erat cilicium & crux ex aurichalco, cui affixa erat effigies crucifixi Domini, ad cujus latus stabat Virgo & Mater Christi patrona S. Benedicti, & sacri Ordinis ejus Diva tutelaris, ad partem sinistram erat S. Joannes Baptista, ad basin crucis insistebat S. Antonius Eremita, ex quo Crucifixo libro, ubi Musas Romanas valere jussit, studebat Benedictus, ex quo studio evasit in præclarissimum Theologum mysticum, & amatorem ac imitatorem crucifixi JEsu præstantissimum, cujus unico crucis signo Stygium alastorem superavit, vas, in quo potus veneno mistus ipsi porrigebatur, confregit, idola evertit, fidem plantavit, Placidum ex aquis, ne mergeretur, liberavit, & plura alia prodigia patravit; inter quæ illud quàm maximè considerandum, quod recenset Alemannus & Tyræus. Cùm S. Benedictus in monte Calino plenus Spiritûs ardore ante imaginem Crucifixi oraret, Christus in signum divinæ benedictionis manus suas à clavis & cruce solvens, S. Benedictum peramanter amplexatus & osculatus est, atque illius os ad latus suum jussit admovere ex quo tantum spiritum & gratiarum fontem hausit; hìc adimpletum est illud Prophetæ: *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* O beatum Benedictum! etiam nobis misellis unicam stillulam ex SS. corde JEsu, & sufficit nobis.

Ant. yepes Centur. 1. Sandæus & alii.

P. Maurus Grieschirens. in conc. de S. Benedict. impressa, & habita ad S. Udal. & Afr. Aug. an. 1683 Isa. 12. 3.

7. S. Benedicto adjungo S. Bernardum filium obedientissimum; qualis ac quantus fuerit mellifluus ille Doctor & Abbas Claravallensis, ejus vita, scripta & acta satìs luculenter orbi Christiano demonstrant; satìs dixeris, si eum filium Mariæ, cujus purissimum lac sugebat, & fratrem JEsu, qui eodem lacte nutritus est, appellaveris, cujus mores per omnem vitam conatus est exprimere; Obversabatur nimirum ejus oculis perpetuò passio & crux Domini nostri JEsu Christi, cujus virtute diabolum de imminente judicio tentantem, pessimisque apud tribunal Dei eum infestantem accusationis, gloriosè superavit, cui objecit Crucifixi effigiem; *Fateor*, inquiebat, *non sum dignus ego, nec propriis possum meritis regnum obtinere cœlorum. Cæterum Dominus meus duplici jure illud possidens, hæreditate Patris ac merito passionis, altero ipse contentus, alte-*

Ex vita S. Bernard. 20. August.

rum

rum mihi donat. Ecce ingentem fiduciam, quam Divus ille erga crucifixum suum tenebat amorem.

Alia vice, & quidem die Dominicâ passionis se ostendit ei Christus crucem ad Calvarium montem operosè bajulans, & ad Bernardum dicens: *Juva me, qui tanta prote patior.* Accurrit Bernardus lacrymabundus, *Domine*, inquiens, *patere, ut patiar: ita pater, quia placidum est ante te*, ubi ad quæcunque aspera pro Christi amore sustinenda se offerebat, & ideò meruit, ut, dum aliquando coram Crucifixi effigie impensiùs oraret lacrymis irroratus, Dominus brachiis à transverso crucis ligno separatis eum suavissimè amplecteretur, & ad pectus suum constringeret. O felix Benjamin, & frater Domini! Ita quondam Josephus Ægyptiorum Pro-Rex dilectum fratrem suum Benjaminum amplexatus est, de quo Scriptura: *Cúmque amplexatus recidisset super collum Benjamin fratris sui, flevit, illo quoque similiter flente super collum ejus.*

Lyr. lib. 5. c. 8. de Chr. pat.

Gen. 45. 14

Thomas Cantipratanus in vita.

8. Similem gratiam ac benedictionem à Christo meruit B. Lutgardis Ordinis S. Benedicti sanctissima monialis, & vera Crucifixi sponsa & amatrix, cui die quodam per templi fores ingredienti apparuit crucifixus Dominus sacro sanguine perfusus, ac hiantibus vulneribus saucius, quod tristissimum spectaculum ubi conspicata est Lutgardis non sine amarissimis compassionis lacrymis, se illicò in terram abjecit, Christus verò avulsus è ligno crucis brachiis eam benignè complexus est, ac patuli lateris divino nectare & sanguine potavit. Beatæ Lutgardi adjicio denique sanctum Henricum Imperatorem: cùm piissimus Monarcha in celebri monasterio Tegernseensi in superiori Bavaria sito voti causa versaretur, & aliquando coram Crucifixi imagine, quæ hodiedum ibi piæ fidelium devotioni publicè exponitur, nocturnis contemplationibus vacaret, subitò sensibus abalienatus dignus habitus est, qui Christus crucifixus largam tam sui, quàm Monasterii benedictionem adpromitteret, prout S. Imperator beato Ellingero illius temporis Abbati fusè enarravit.

Anima Christiana, accede & tu simili cum fiducia ad crucifixum Redemptorem tuum, ac perpende, cùm illum tam laxè manus suas extendentem vides, quomodo pari amore te ad amplexus suos invitet. Optimus ille pater, ubi filium suum prodigum, sed nunc pœnitentem de longè conspexit, *misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* En plùs hìc in cruce, expectat te JEsus expansis brachiis, & tu renuis venire? Ah quoúsque tandem?

Luc. 15. 20.

CON-

CONSIDERATIO CLI.

Rigidam Dei Patris justitiam Filius DEI pro nobis Crucifixus in summam misericordiam mutavit.

Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium. Matth. 9. 13.

1.

RECTÈ Osee Propheta, ubi vidit, quòd Judæi jam suo ævo summam sanctitatem, pietatem, ac placationem Dei ponerent in externis sacrificiis, & quòd oves & boves immolati iram Dei placarent, crudo illi populo ex parte Dei intimavit: *Quia misericordiam volui & non sacrificium, & scientiam Dei plusquàm holocausta.* Osee 6. 6. Hoc & Christus in nova lege fecit, unde dixit ad discobulos Judæos: *Euntes autem discite quid est: Misericordiam volo & non sacrificium,* Matth. 9. 13. malo enim misericordiam, & misereri miserorum peccatorum, quàm cum Hebræis DEO hostias & cruenta offerre sacrificia. Ostendit autem infinitam hanc misericordiam suam comprimis in incarnatione & excellentissimo modo in passione, dum pro nostra, omniúmque salute in ara crucis cruenta victima occubuit. Et quid magis admirandum: Deus in cruce! ô cœli obstupescite! *Deus in ligno pro homine indigno!* Vide, & considera hìc rigidam Patris æterni justitiam, quam tamen filius Dei pendens in cruce in summam mutavit misericordiam, unde S. Chrysologus: *Deus Dominum mutavit in Patrem, & ab eo tempore amari maluit, quàm timeri.* S. Chrysolog. serm. 7. Videamus modò, quomodò crucifixus JEsus justitiam mutaverit in misericordiam.

2. Ab illo tempore, quo primus Parens noster; & nos pariter cum illo legem Dei prævaricati sumus, infideles vasalli supremi Numinis justam iram incurrimus: *Hinc illæ lacrymæ*, quòd Deus justus Judex tum in statu naturæ, tum in lege Mosaica tam terribilem erga mortales prævaricatores se exhibuerit. Protoparentes considera è paradiso

radiso cum omni posteritate sua in exilium ejectos. De hac rigida æterni Patris justitia loquitur etiam totius orbis naufragium; ignes de cœlo lapsi, quibus exusta, & in suis cineribus sepulta Pentapolis; loquuntur sanguinis in præliis effusi maria; repentini terræ hiatus, & igneus ac subterraneus carcer, ad quem plerique peccatorum sine discrimine detrudebantur. Ecce quàm terribilem se olim demonstraverit Deus: *Deus ultionum Dominus.*

Psal. 93. 1.

3. Abel innocens sanguinem suum effudit, sed quid? placare iram Patris non poterat, licet sanguis illa usque in cœlum clamaverit, nihil tamen exoravit, nisi vindictam contra parricidam.

Gen. 4. 10.

Illa inaudita Abrahæ obedientia, dum ad filium unigenitum immolandum gladium eduxit, quasi vim DEO inferre visa est, sed ad misericordiam pertrahere non potuit.

Gen. 22. 9.

Noëmi justitia & pietas etsi multùm Deo placuit, paucos tamen suos amicos ex illo cataclysmo eripuit: *Expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur arca: in qua pauci, id est octo animæ salvæ factæ sunt per aquam.*

1. Petr. 3. 20.

Moyses pro delictis populi se obtulit ad puniendum, & deleri potiùs optabat de libro vitæ, quàm videre interitum Hebræorum, permansit tamen Deus in sede majestatis suæ & in tribunali justitiæ immobilis.

Exod. 32. 32.

Jeremias virgam vigilantem, & ollam succensam vidit, impiorum supplicia, igitur adlaborabat omnibus modis, quomodò posset civibus suis succurrere, hinc threnis plenus & planctibus quadraginta annis vinctus catenis Hierosolymæ plateas obiit, divinam implorans misericordiam, ut impendentem justitiæ gladium averteret, sed frustrà, dum nihilosecius princeps illa civitas & Domina Gentium igne & gladio à justissimo illo Judice devastata, & subversa est.

Jer. 8. 11. 13.

4. Mitto plures alios Sanctos, Patriarchas & Prophetas, qui in ordine redemptionis ad placandum Deum nihil poterant efficere, neque omnes Angeli ejus; unde DEus ad Ezechielem dixit: *Non parcet oculus meus, neque miserebor.* Magna profectò iræ causa, quando ille, *cujus naturæ bonitas, opus misericordia*, amicorum suorum precibus locum nullum reliquit. Et quid tandem?

Ezech. 5. 11.

Venit Filius Dei in terram, fit Filius hominis, ascendit in arborem crucis, pendet medius cœlum inter & terram, *& reconciliat omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Ecce rigida Patris justitia per crucifixum JEsum in misericordiam mutata est, nunc auditur in Evangelio: *Sic DEus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam*

Coloss. 1. 20.

Jo. 3. 16.

æter-

æternam. Nota hìc magnam vim ac emphasin istorum Christi verborum, qui per crucem liberè acceptatam hanc summam gratiam à Patre nobis promeritus est.

5. Pergamus ulteriùs. Quanto justitiæ rigore Deus ante adventum Christi populum suum gubernaverit, patet ex pœna Moysi inflicta. Hic servus Dei fidelissimus & Deo summè familiaris, quia non habuit plenam fiduciam in Deo, & cum aliqua dubitatione petram percussit, à terra promissionis exclusus est; unde non sine gemitu ad populum dixit: *Mihi iratus est Dominus propter vos &c.* Deut. 1. 37.

Ezechias Rex Deo charissimus ostendit legatis Regis Babyloniæ ex aliqua vana elatione omnes thesauros regios, & mox à DEO per Isaiam Prophetam correptus est: *Audi sermonem Domini, ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua &c.* 4. Reg. 20. & 2. Paral. 30.

David virum aliàs secundùm cor DEI ob numeratum populum sibi subjectum Deus gravissimè punivit, cùm mox pestilentia ob illud leve elationis peccatum in populum immissa est, & septuaginta millia virorum subditorum suorum è vivis abstulit. 2. Reg. 24. 15

Siste hìc Lector prudens, & unà mecum considera quid Scriptura subjungat: *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de manè usque ad tempus constitutum.* Et quale huic immani pestilentiæ erat tempus à DEO constitutum? Septuaginta legunt: *De manè usque ad horam prandii*, ibi cessavit omnis pestilentia & furor Domini, horâ nimirum prandii, quæ erat hora sexta diei seu meridiana: Ubi sol incaluit, ait Mendoza, ira Angeli refrixit, nam misertus est Dominus; *Illa hora*, pergit idem Mendoza, *figurabat illam meridiem, in qua Christus crucifixus est, & divinæ justitiæ ardor refrixit.* Ecce crucifixus Dominus ardorem divinæ justitiæ in summam mutavit misericordiam; stabant enim tunc jam omnia elementa parata ad summendam de homine peccatore vindictam, & quid Christus in cruce? *Pater, dimitte illis.* Et in hunc finem pulsus meridianus horâ duodecimâ ab Ecclesia institutus est, ad quem Ludovicus undecimus Galliæ Rex ex equo descendere, & nudo capite ac genu utroque flexo crucifixum JEsum venerari non erubuit. Imitare exemplum. Mendoza hìc in lib. Reg. Canis. lib. 3. de B. V. c. 3.

6. *Dum esset Rex in accubitu suo*, dicebat quondam dilecta illa Sponsa *nardus mea dedit odorem suum.* Et qualis ille accubitus? R. Glossa interlinearis: *Accubitus crucis*, hìc Rex Regum & Dominus Dominantium inter latrones medius dedit odorem suum, & in omnes suam effudit misericordiam. Cant. 1. 11.

Jonas Propheta ubi de navi à nautis in mare iratum projectus est, sine mora cessarunt venti, maris æstus, tumores & fluctus: *Et stetit mare à fervo-*

Jonæ 115. ser. de Jona.

à fervore suo. Jonas in navi dormiens, ait sanctus Zeno Veronensis, imaginem Sacramenti Dominici præseferebat, navis materia significabat crucem; Somnus Christi passionem & mortem Conspirabant autem omnia Elementa contra peccatores in passione Filii Dei perdendos, sed contrà accidit, Christo enim in mare rubrum passionis projecto rediit tranquillitas, orbis pax, & justitia in misericordiam mutata est, ita ut Christi interitus summa & unica mundi salus fuerit.

Gen. 8. 11.

7. Columba ista, quæ virentem olivæ ramum post diluvium justo Noëmo tulit, juxta mentem SS. Patrum Christum præsignavit, cui Sponsa oculos columbæ assignat, & Spiritus sanctus in specie columbæ super ipsum descendit. Ecce divina hæc columba non tantùm Noëmo pacifico, sed etiam in diluvio pereuntibus peccatoribus similem gratiarum olivam offert, dum ait: *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam.* Vult igitur illis condonari non tantum septies, sed septuagesies septies, id est, semper; proinde nullo modo vult nos de venia desperare; hinc S. Catharinæ Senensi aliquando dixit, prout refert Blosius in Monili Spirit. c. 1. *Peccatores, qui in mortis extremitate desperant de misericordia mea, multò gravius me offendunt, & magis mihi displicent hoc uno peccato, quàm omnibus aliis iniquitatibus, quas unquam commiserunt; qui enim desperat, contemnit apertè ipsam misericordiam meam, & perversè existimat iniquitatem suam majorem esse, quàm sit eadem misericordia & bonitas mea.* Et addit Veritas Christus: *Quoniam in infinitum major est misericordia mea, quàm sint omnia peccata, quæ unquam fuerunt commissa, vel quæ committi possint ab aliqua creatura.* Hæc Christus crucifixus ad divam illam Virginem Senensem. Quis igitur non speret in infinita misericordia crucifixi JEsu?

Cant. 5. 12. Matth. 3. 16.

Luc. 5. 32.

Matth. 18. 22.

Blosius in Monili spirit. cap. 1.

CON-

CONSIDERATIO CLII.

Quomodo homo Christianus Ducem ac Dominum suum crucifixum imitari possit, ac debeat?

Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. 1. Petr. 2. 21.

1.

SUmmoperè commendandus est generosus ille Armiger, qui Jonatham Dominum suum per viam tam arduam, per rupes & colles intrepidè secutus est: *Ascendit autem Jonathas manibus & pedibus reptans, & Armiger ejus post eum.* 1.Reg.14.13. Ascendit Dominus noster, amantissimus JEsus cum crucis pondere per viam arduam ad Calvariæ montem, oportet ergò, ut & nos illius armigeri generosè hunc Ducem ac Dominum nostrum sequamur. Ad hanc sequelam omnes Christianos fideliter adhortatur Apostolorum Princeps Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* 1.Petr. 2. 21. Non mirentur ergo Christiani, si vocantur ad crucem, nam & Christus Dux & antesignanus noster ad eandem vocatus, propriis illam humeris portavit, & in ea suspensus & enecatus est. Audiunt hoc molles & inconstantes hæretici, qui quidem fidem Christi sequi volunt, non tamen passionis vestigia, plenis buccis concrepantes, solam fidem in Christum sufficere ad salutem, Christum enim pro nobis planè satisfeciisse, hinc nulla bonorum operum nostrorum esse merita, & satisfactiones nullas. Sed audiant hi quod intonat hìc S. Petrus: *Vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus*, servus enim non est major Domino suo.

2. Exempla Magnorum permagni sunt æstimanda, & occulta vi cogunt sequi subditos. Urias miles egregius negat licere sibi in lecto molliter cubare, cùm Dux Joab lapidi indormiret, unde ad Davidem Regem dixit: *Arca Dei & Israel & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & servi Domini super faciem terra manent; Et ego ingrediar domum* 2.Reg.11.13.

meam, ut comedam & bibam? per salutem tuam, & per salutem animatua, non faciem rem hanc. Hoc faciat quilibet egregius miles Christi, qui adhuc stadio currit ad bravium, ut comprehendat: Ecce Dominus meus & Redemptor meus pendet in crucis patibulo, & ego voluptate fruar? Quid magis indignum, quid magis detestandum, quid graviùs puniendum, quàm ut videns Deum cœli & terræ exinanitum, in cruce vulneratum, morientem, desolatum, & interim homo vermiculus infletur, & intumescat, & lautè vivat? Ita Mellifluus.

3. Ethai Gethæus vir fidelissimus, ubi David à facie Absolonis per montem Olivarum fugam apprehendit, mox in mœstissimo hoc itinere se fugæ & miseriarum comitem adjunxit, hinc ad Davidem di-
2.Reg. 15.21. xit: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus.* Hoc dicat etiam Christianus, si Christum Regem Judæorum patientem & Crucifixum aspicit, si illum inter flagra, spinas, ludibria, nudum, toto corpore saucium, ac doloribus exhaustum contemplatur; *Vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus,* si ita placuerit sanctissimæ voluntati tuæ.

4. Gedeon Hebræorum dux illos solummodò milites elegit,
Judic. 7.6.7. *qui linguâ lambuerunt aquas,* quibus dixit: *Quod me facere videritis, hoc facite, ingrediar partem castrorum, & quod fecero sectamini.* Dux & noster Gedeon Christus est, qui illos tantùm milites solet eligere, qui bonorum temporalium aquas manibus tantùm bibunt, non qui se in eas toto corpore demittunt, hi apti sunt ad sectandum Dominum suum. Præibat autem Gedeon noster Christus in montem Golgothæum, ubi in cruce ex alto pugnaret cum acerrimis hostibus suis, diabolo, mundo & peccato, & fecit victoriam, dum occubuit, & lagena ejus confracta est. Et sicut, ait quidam devotus Christi Servus, lagenam suam Christus confregit, cùm corpus suum sanctissimum vulnerari, & tot tormentis lacerari permisit, ita etiam vult, ut nos pro possibili sequamur: *Quod me facere videritis, hoc facite,* quod ad captum nostrum optimè declarat Apo-
Gal. 5. 24. stolus: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis;*
Petr. Cell. de pane mercenar. c. 23. unde Petrus Cellensis: *Imitemur Fratrem nostrum, & si non usque ad sanguinis effusionem, saltem usque ad vitiorum repressionem; si non ad lateris effossionem saltem ad desideriorum defossionem.*

5. Alexander Rex Antiochi filius, cùm Jonathæ Pontificatum confirmaret; in signum summæ amicitiæ purpuram & coronam auream per legatos misit, ut per hoc proprium vestimentum regium illum ma-
1.Mach. 10. 20. gis sibi devinciret: *Conserves amicitias ad nos.* Jonathas princeps regius
1.Reg. 18.4. propriam tunicam Davidi dedit in signum inviolabilis amicitiæ: *Expoliavit se Jonathas tunicâ.* Ani-

Anime mi! placet Regis & Christi crucifixi amicitia? En mittit tibi suam purpuram & coronam spineam, expoliavitque se vestibus omnibus, ac nudus pendet in crucis patibulo, ut te proprio suo indueret vestimento: *Tunica Jonatha*, ait Hugo Cardinalis, *conversatio Christi est, quam dat suis amicis.* Si in hoc indumento similitudinis Filii Dei ad Patrem cœlestem accedes, sicut Jacob plenam accipies benedictionem. Ecce quid ultrà tibi facere potuit crucifixus JEsus, & non fecit? Et tu nondum amas hunc crucifixum Amorem tuum? Dic cum Psalte: *Adhæreat lingua faucibus meis, si non meminero tui*, ô JEsu, Amor & Salvator meus. Audiamus Bellarminum Eminentissimum S. R. E. Cardinalem: *Quemadmodùm*, inquit, *nihil erit in futuro sæculo beatius, quàm esse Christo similem in gloria; sic in præsenti tempore nihil est utiliùs, quàm esse similem in Passione.* Psal. 136. 6. Bellar. ep. 107. ad Benjaminum Camerium.

6. *Ferculum sibi fecit Rex Salomon de lignis Libani. Columnas ejus argenteas; Reclinatorium aureum, ascensum purpureum: Media charitate constravit propter filias Jerusalem.* Attentum te esse cupio, singula enim verba denotant aliquid. Ferculum, id est lectica, & quasi currus triumphalis crux est, ita Aponius; Facta est crux Dominica ex lignis Libani imputribilibus, unde etiamnum in suis reliquiis, quæ passim in multis Ecclesiis conservantur, perdurat, & perdurabit usque ad extremum judicii diem. Columnæ argenteæ crucis sunt summa Christi humilitas & obedientia juxta illud: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Reclinatorium aureum, ait Cornelius, fuit invicta ejus patientia & magnanimitas, cui incumbens mitissimus Salvator omnes plagas, injurias, dolores placidè tulit, & superavit. *Ascensus purpureus* est totius sanguinis effusio, quæ totum Christi corpus cruentavit, & purpuravit, quem generoso animo secuti sunt tot milliones SS. Martyrum. *Media charitate constravit.* Quid est medium in corpore humano nisi cor, à quo omnia membra suum vigorem participant? Tolle cor, & homo abibit in nihilum; Tolle Cor JEsu, sedem amoris, fontem omnium gratiarum ac benedictionum, pignus futuræ gloriæ, & tabescet in nobis anima nostra. Proinde clamemus omnes cum dilecta illa Sponsa: *Trahe nos post te, curremus in odorem unguentorum tuorum*, & lubentissimo animo per tuam gratiam feremus crucem nostram: *Portate Deum in corpore vestro. O Domine JEsu!* exclamat Mellifluus, *quàm pauci post te ire volunt, cùm tamen ad te pervenire nemo sit, qui nolit.* Cant. 3. 9. Philipp. 2. 8. Cant. 1. 3. 1. Cor. 6. 20. S. Bern. ser. 21. in Cant.

7. Jeremias Propheta discobulos suos Judæos, & toties à mandatis Dei recalcitrantes severè corripuit: *Hæc dicit Dominus: state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.* Et quænam, dices, sunt istæ semitæ antiquæ, in quibus nos oportet ambulare? Jerem. 6. 16.

R. S.

℟. S. Hieronymus & alii apud Cornelium; Viæ antiquæ sunt exempla Majorum nostrorum, quæ nos oportet imitari, ut fidem Abrahæ, Isaaci obedientiam, Jacobi labores, Josephi castitatem, Moysis mansuetudinem, Jobi patientiam, Davidis sanctitatem, & quàm maximè vitam Christi JEsu crucifixi. Hæc verba sibi dicta putent omnes Christiani: Christianus es? speculare vias antiquas, vide quomodò vixerit, & quid fecerit Christus caput tuum, & omne bonum tuum; Audi quid ad te loquatur de cruce:

En homo, quæ pro te patior tormenta Redemptor,
Et potes Authoris non meminisse tui?

Refert Stengelius, quòd Boleslaus quartus Poloniæ Rex assiduè pretiosam Patris sui effigiem è collo pendulam secum portaverit, eámque sibi legem sanxerit, ut quoties dicendum aliquid, faciendúmque occurreret, impresso osculo Patrem tanquam viventem in imagine compellârit: *Absit ô mi Pater, ut à me unquam aliquid regio tuo nomine indignum statuam.* Hoc fac & tu, ô mi Lector, circumfer in pectore tuo Crucifixi imaginem, eámque sæpiùs alloquere: *Absitô mi JEsu, ut in aliqua te offendam &c.*

CONSIDERATIO CLIII.

Christus passus & crucifixus docet nos, quomodo debeamus servare salutare silentium.

Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Isa. 53. 7.

1.

TOtus quasi infernus conjuravit contra Job virum patientissimum, juxta ac sanctissimum, ut eum perderet, & è mundo eliminaret; in hunc finem percussit eum Sathanas ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem, & reliquit ei solam uxorem & labia illæsa: *Derelicta sunt tantummodò labia circa dentes meos.* Et quare hoc? ℟. Cum

Job. 17. 20.

R. Cum Mansio, ideò petulantem uxorem Jobo patientissimo esse relictam, ut maritum suum tot sustinentem calamitates ac dolores ad iram, indignationem & ad maledicendum Deo provocaret: *Benedic Deo, & morere*, os autem & labia Jobo parem ob causam, licet toto corpore sauciato, à Diabolo illæsa conservata sunt, ut ad blasphemandum & maledicendum Deo provocaretur; sed prudentior fuit Job, tacuit enim in omnibus, & divinæ voluntati se penitus commisit, & sic diaboli astutias illusit, unde S. Ambrosius: *Job plagam suam silentio vicit, & tolerantiam suam taciturnitate superavit.* Job. 2. 9. S. Ambros. in Psal. 38.

Job, prout alibi diximus, typus insignis fuit Christi patientis & crucifixi, contra quem totus infernus, ut eum perderet, cum Synagoga, quæ uxorem Jobi repræsentaverat, conjuravit, hinc in toto illius corpore non erat sanitas, sed *vulnus & livor & plaga tumens.* Conservata autem solùm sunt intacta Christi labia. Et quare? En astutiam diaboli & ministrorum ejus Judæorum, ut in tantis calamitatibus ac doloribus eum contra Deum impatientem redderent, & ad blasphemandum provocarent. Sed contrà accidit, dum sicut ovis ad occisionem ductus est, & quasi agnus coram tondente se obmutuit, nec aperuit os suum. Disce hic salutare silentium; & quàm bonum sit *præstolari cum silentio salutare Dei.* Isa. 1. 6. Thren. 3. 26.

2. Recordor hìc illius magnificentissimi Templi, quod Rex Salomon Hierosolymis quandam ædificavit, in quo formando maxima artificum & operariorum multitudo laborabat, & quod rerum intelligenti mirabile videri debet, illud est, quòd in eo ædificando nullus malleorum sonitus, nulla percussio, nullus strepitus auditus sit: *Domus autem cùm ædificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: Et Malleus & securis & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* Et quomodo, obsecro, hæc fieri poterant inter tot hominum laborantium millia: *Fuerúntque Salamoni septuaginta millia eorum, qui onera portabant, & octoginta millia latomorum in monte, absque præpositis, qui præerant singulis operibus numero trium millium & trecentorum præcipientium populo, & his qui faciebant opus*; Et interim, cùm ædificaretur Templum, nullus instrumentorum audiebatur tumultus? Et quare hoc? An quia lapides jam priùs erant bene dolati, quadrati, aptati? Et hoc quidem verum est; an quia apud Deum non est impossibile omne verbum? Ita quidem est, sed aliud quæro mysterium. 3. Reg. 6. 7.

3. Cùm idem Templum per Chaldæos hostes & victores tandem destructum fuit, vah qualis strepitus æramentorum, arietum fremitus, & ruinarum fragor obaudiebatur? *Omnia hæc contingebant illis in figura*: Hoc enim magnificentissimum Templum Christi pretiosissimi

Redemptoris noſtri præfigurabat corpus, ita Mallonius, imò & ipſe Chriſtus: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus readificabo illud: ille autem dicebat de Templo corporis ſui.* Ubi hoc diviniſſimum Templum in caſtiſſimo B. Virginis utero operâ Spiritûs ſancti formatum & exſtructum eſt, omnia in ſummo fiebant ſilentio: *Cùm ſilentium tenerent omnia, & nox in medio curſu eſſet, omnipotens ſermo tuus ad nos de regalibus ſedibus venit,* ſed ubi per Gentiles & Judæos in paſſione deſtructum eſt, vah qualis armorum ſtrepitus, malleorum, & flagellorum ictus, clamor Judæorum & Gentilium? *Dicunt omnes: Crucifigatur.* Et iterum: *At illi ſuccamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum*; Et rursùs: *At illi inſtabant vocibus magnis, ut crucifigeretur: Et invalescebant voces eorum.* En quantus clamor & tumultus, dum impii JEſum volebant perdere. Et quid mitiſſimus Salvator? *JEſus autem tacebat,* & in cruce pendens: *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Diſce hìc juxta exemplum Chriſti tacere, vel ſi oportet, ſine felle reſpondere. Unde rectè Dion Philoſophus dicere ſolebat, naturam probè egiſſe, quæ geminas aures & linguam unicam nobis fabricavit, ut ad audiendum eſſemus, quàm ad loquendum promptiores.

Jo. 2. 19.

Eccleſia de Chriſto nato.

Matth. 27. 23. Luc. 23 21. Luc. 23. 24.

Matth 26. 63. Luc. 23. 34.

4. Jeremias Propheta, qui & ipſe typus Chriſti fuit, ita de illius Paſſione vaticinatus eſt: *Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes: dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Et quomodò Chriſtus patiens ac crucifixus poſuit in pulvere os ſuum? R. Theodoretus: Tacebit, & generosè feret convitia & probra, perinde ac ſi os haberet plenum terrâ; Et S. Ambroſius hìc: *Oſtendit ſupra modum patientiæ taciturnitatem, cùm enim malediceretur, non maledixit*; Et ſicut ovis non obſtrepit, non balat, non clamat, ſi ducitur ad macellum, ita pientiſſimus Redemptor tanquam *Agnus manſuetus* ductus eſt ad victimam, non aperiens os ſuum; ô prodigium amoris! Quid tu hìc anime mi, ſi tibi inſultat inimicus? Audi meum conſilium: *Tace, ut maneas in pace.*

Thren. 3. 29.

Jerem. 11. 19.

Gen. 39. 20.

5. Ubi innocens Joſeph traditus fuit in carcerem, nec verbum oppoſuit, nec querelam movit, ſed cum ſilentio hanc injuriam ſupportavit, certus, Deum innocentiæ ſuæ fore defenſorem.

Jeremias, ubi pari modo, licet innocentiſſimus, miſſus eſt in carcerem, tacuit, & ſilentio omnium inimicorum ſuorum vicit injuriam; *Percuſſit Phaſſur Jeremiam Prophetam, & miſit eum in nervum.*

Jerem. 20. 2.

Suſanna matrona innocentiſſima ubi ad mortem condemnata eſt, *flens ſuſpexit ad cœlum,* nullo modo iniquis judicibus contradicens, & ſic plus egit tacendo, quàm loquendo, conſcientia enim illius, habens fiduciam in Deum, illi Domino univerſorum ſoli loquebatur, ubi quidem vox non audiebatur, nec quærebat pro ſe hominum judicium, quæ habebat Domini teſtimonium. Ita ferè S. Ambroſius.

Dan. 13. 35.

S. Ambroſ. Offic. l. c. 3.

Magda-

Magdalena peccatrix, nunc pœnitens ad pedes Domini in domo Simonis nihil, licet esset in summa animi amaritudine, dixisse perhibetur, sed lacrymis cœpit rigare pedes ejus. Similiter Sorori de ipsa conquerenti nihil respondit. Rursùs indignè ferentibus unguenti pretiosi effusionem, & in eam frementibus nihil dixit, nec ullam querelam movit. Quòd autem rectè & bene tacuerit, Dominus pro ea respondit, & eam ubique defendit: *Quid molesti estis huic mulieri? &c.* Econtrà Christus non laudavit illam charitatem, cùm enim quidam sub charitatis colore & prætextu infirmum visitare, & eo tempore, quo tacendum erat, colloquio recreare vellet, disertè vox è crucifixi Christi ore audita est, quæ dixit: *Non placet mihi ista charitas.*

Luc. 7. 38.
Luc. 10 40.
Matth. 26. 8.
P. Lohn to. 3. Tit. 137. §. 4.

6. Jam nolo ampliùs mirari, quare Christus Dominus in passione sua, ac præsertim in cruce tam pauca locutus sit. Tacuit coram Herode, qui ab eo sperabat aliquod signum videre, unde interrogabat eum multis sermonibus: *At ipse nihil ei respondit.* Siluit ad omnes injurias & accusationes in judicio coram Judice Romano, ad stuporem usque Judæorum & Gentilium: *Dicit ei Pilatus: Non audis quanta adversùm te dicunt testimonia*: Et quid sequitur? *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer.* Siluit in cruce, & non nisi septem, sed saluberrima verba locutus est; interim in tribus illis horis, quæ fluxerunt ab hora sexta usque ad nonam, in summis & extremis tormentis altissimum tenebat silentium, solùm ad Patrem orans, & tandem cum clamore valido, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

Luc. 23. 8.
Matth. 27. 11.

Et quid interim dolorosissima Virgo & Mater amoris ac doloris? Stabat in uno pelago dolorum ad pedem crucis, aspiciens in illo patibulo dilectissimum suum Natum toto corpore plagatum, ah quo affectu & commiseratione? Agnovit illius summam innocentiam, agnovit infinitam ejus dignitatem, agnovit dolores immensos, tum internos, tum externos; & quid illa? num clamavit incompositè? num aliquem indecentem gestum edidit? num accusavit apud Patrem impiissimos illos deicidas? Ah minimè, sed silebat ad omnia, & erant oculi ejus *sicut aqua in Siloë, quæ cum silentio currunt.* O anime mi! Disce à JEsu & Maria salutare silentium, disce congruenter tacere; sed si honor Dei agitur, & salus proximi requirit, loquere confidenter, sed & prudenter, quia juxta Sapientem *est tempus tacendi & tempus loquendi.* Felix, qui utrumque poterit semper divinare, ô quot mala cessarent!

Isa. 8. 6.
Eccli. 2. 2.

CONSIDERATIO CLIV.

Christus crucifixus, prodigium amoris, requirit & nostrum reciprocum amorem.

Christus dilexit nos, & tradidit seipsum pro nobis. Epsès. 5. 2.

1.

NOn immeritò Abraham Patriarcharum decus loco illi & monti, in quo filium suum DEO T. O. M. in holocaustum immolare voluit, nomen imposuit: *Dominus videt*: *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt.* S. Ambrosius, Eucherius, Vatablus & alii hanc rationem assignant, quòd hæc fuerit prophetia de Christo, qui suo tempore in eodem loco & monte in ara Crucis pro salute universorum immolandus erat; unde Moyses, qui hoc posteritati & mortalitati humanæ reliquit, & scripsit: *In monte Dominus videbit*, ad Christum venturum pariter allusit, id est, ajunt prædicti Patres: *Christus apparebit in monte hoc, cùm in eo crucifigetur.* En perelegantem figuram: Ara constructa crucem præsignavit, ait S. Fulgentius, & ovis oblata pro Isaac Agnum Dei pro salute mundi sacrificandum. S. Hieronymus scribit, se certissimè à Senioribus Judæorum cognovisse, quòd ubi immolatus sit Isaac, & Adam sepultus, ibi posteà Christus crucifixus est, quod idem habet venerabilis Beda de locis sanctis cap. 2.

Gen. 22. 14.

2. Propheta Regius statim in primo Psalmo sic de Christo post mille annos venturo in mundum, vaticinatus est: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Quæres hìc cui ligno Christus comparatus est? R. Cassiodorus & alii *ligno vitæ*: Bene, inquit, ligno fructifero comparatus est Dominus Christus, propter crucem, quam pro hominum salute suscepit; quæ meritò lignum vitæ dicitur, quando ibi & Dominus Christus, id est, vita nostra, suspensus est, & latroni in eâdem confitenti dictum est: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*

Psal. 1. 3.

Cassiod. hìc.

3. Hanc divini amoris magnitudinem agnovit dilecta illa Sponsa, dum exclamavit, postquam in cellam vinariam à divino Sponso introducta

ducta est: *Ordinavit in me charitatem.* Textus Hebraicus habet: *Vexillum ejus super me charitas.* Et quare vexillum? R. Cornelius hìc: Porrò vexillum charitatis Christi, est vexillum crucis. In cruce enim invictam & summam charitatem, tum erga Deum, tum erga homines Christus ostendit, unde per eam de peccato, morte, diabolo & inferno triumphavit. Idcircò Constantinus Magnus hoc crucis vexillum sibi in cœlo cum hoc lemmate ostensum: *In hoc signo vinces*, castris suis contra Maxentium aliósque tyrannos præsetulit, & per illud omnes hostes prostravit. Cant. 2. 4. Cornel. hic.

4. Rectè Osee Propheta de Christo vaticinatus est: *Ego quasi nutritius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* O quomodo in brachiis tuis ô mi JEsu portasti nos? R. Mendoza: In brachiis meis in cruce distentis, ibi enim extendit Dominus brachia sua ad amplectendum nos, & portandum. Alii sic explicant: Ego quasi nutrix; & sicut nutrix ad alliciendum parvulum plenè extendit brachia, & quantùm potest, cùm tamen parvulâ extensione possit eum colligere, & amplecti: Sic Christus fecit in cruce. En infinitum amorem Redemptoris tui in cruce affixi, & quid aliud requirit, nisi ut ex toto corde & omnium viscerum latitudine redames illum? *Deus habet*, ait S. Bernardinus, *manum semper apertam, imo etiam perforatam, quia ex utraque parte manus diffundit bonitatem suam super omnes creaturas.* Osee 11. 3. Mendoza cum Steph. hic. S. Bernard. t. 3. serm. in diebus Rogat.

5. David Rex ubi redemptionem generis humani suo tempore per Christum adimplendam perspicatiori mentis oculo prævidit, admirabundus exclamavit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Verè copiosa in cruce nostra fuit redemptio, suffeciisset enim, prout alibi diximus, ad redemptionem orbis vel una pretiosissimi Sanguinis gutta, sed omnem placuit profundere; & quod plus est, ideò *terra mota est*, ut patientis Christi, ait Didacus del Castillo Illat. 46. in homines ostenderetur liberalitas & amor. Emanârat largiter per Vulnera sanguis; & forsan aliqua ejus portio ob gravitatem nativam in ima parte pectoris remanebat, unde exire non poterat, nisi excuteretur artificiosè: ideò inusitato fragore terra concutitur, ut illo etiam crux moveatur, & sanguinis illud reliquum in pectore agitatum per vulnus lateris foras proflueret; quia si vel guttula remaneret, conquereretur amor, vel minimam sanguinis guttulam pro humana salute non oblatam & effusam. Hæc de Castillo. Psal. 129. 7. Matth. 27. 51.

Collige ex hoc divini amoris vehementiam & magnitudinem, unde meritò conqueritur per os Sapientis: *Extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret.* Observa: Extensio manûs, signum est summi amoris & desiderii, quo Deus & Sapientia homines omnes expansis charitatis Prov. 1. 24.

brachiis complecti, stringere, sibique unire satagunt. Hac de causa Christus in cruce brachia extendit, ut iis totum mundum amantissimè complecteretur; imò extendit manus, quasi rogans, & obsecrans, ut ad eum accedamus. Ita venerabilis Beda apud Cornelium hìc. Adhuc

S. Chrysost. hom. 2. in Joan. 15. meliùs S. Joannes Chrysostomus: *Immortalis pro mortalibus mortuus est, innocens pro reis occisus est; justus pro peccatoribus interemptus est. Unde cognoscitur, quantùm præstabit servientibus, qui tantum peccatoribus præstitit. Tantum in te Christi amorem quô amore Christiane pensabis? Quidquid in ejus obsequium erogaveris, parum est: Quidquid in ejus servitium impenderis, minus est. Nec si animam dederis, aut sanguinem fuderis, compensabis.* Hoc solum potes, reddere amorem pro amore, & quidem quantum potes. Erige te.

6. Paulus vinctus Christi JEsu (ita se ipsum vocat) impensè orabat pro suis dilectis Ephesiis neophytis, ut in fide Christi, & in charitate radicati permanerent, & ut benè comprehenderent, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas & profundum, ut sic supereminentem scientiæ charitatem Christi agnoscerent, unde ad ipsos inter vincula paternè &

Ephes. 3. 18. pro singulari solatio scripsit: *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas & profundum.* Et quale, obsecro, hoc ænigma est? non capio; interrogemus alios.

S. Gregor. Nyssen orat. 1. de Resur. R. D. Gregorius Nyssenus Apostolum hìc voluisse ad crucifixum JEsum & ad immensum ejus alludere amorem, ac præsertim ad quatuor cornua crucis, summúmque cornu dici altitudinem, imum dici profundum, & transversum unum dici longitudinem, alterum latitudinem, per quod voluit demonstrare, quia charitas JEsu crucifixi se in omnes gentes & homines diffundit, pro omnibus enim passus est Christus.

S. August. in Psal. 103. Oportet, ut & hìc audiamus S. Augustinum: *Erat*, inquit, *latitudo, in qua porrectæ sunt manus, longitudo à terra surgens in qua erat corpus infixum, altitudo ab illo devexo sursum quod eminet, profundum ubi fixa erat crux; & ibi spes omnis vitæ nostræ.* Cæterùm ponamus crucem in terra jacentem, quàm quæstionem idem S. Augustinus suo ævo Christianitati proposuit: *Jacens crux quatuor mundi partes appetit: Orientem videlicet & Occidentem, Aquilonem & Meridiem; quia & Christus per passionem suam omnes Gentes ad se trahit;* ac præsertim Europæos, ad quos in cruce moriens (prout plurimi SS. Patrum scribunt) faciem convertit, & Judæis dorsum ostendit. Igitur, subintrat hìc Mancinus, felices Europæi, vel ex eo nomine, quòd emorientis in cruce Christi faciem, oculos & ora ad nos conversa aspeximus: Quódque ad pendentis dexteram fuimus. O! ut hoc ipsum præsagium sit, & omen felix, Europæos olim quoque Christo supremo Judici à dextris futuros in numero salvandorum;

S. August. serm. 181. de Temp. c. 4.

Mancin. lib. 5. dissert. 2.

cùm

cùm pars hominum à dextris, pars à siniſtris conſtituta, decretoriam præſtolabimur ſententiam. Audi clementiſſime Deus, votum hoc, & ratum habe.

7. Conſulamus S. Petrum Apoſtolorum Principem. Cùm hic Romæ detineretur captivus in carcere Mamertino, ſuadebant & inſtabant primi Chriſtiani ut fugam capeſſeret; ſed cum non ſtatim id impetrarent, iteratis precibus actum eſt, quæ tantum apud amantiſſimum ſuum Patrem valuerunt, ut rogantibus ac penè cogentibus manus dederit, & fugam adornârit. Sed extra portam, quæ nunc S. Sebaſtiani dicitur: in via Appia occurrit fugienti Chriſtus, qui rogatus à Petro: *Domine quò vadis?* Reſpondit: *Venio Romam iterum crucifigi.* Intellexit autem Petrus Chriſtum non in ſuo, ſed in Petri Apoſtoli & Vicarii ſui corpore velle crucifigi. Protinus ergo ad carcerem rediit, & paulò poſt crucem ſubiit. Et ecce cùm nunc armatâ manu duceretur ad crucem, noluit crucifigi Petrus eo modo, quo Chriſtus, ex humilitatis affectu, ne Chriſto in gloria crucis æquaretur, ſed inverſo, ſcilicet capite deorſum, & pedibus in altum ſublatis. Ita ſuos Amatores remunerare ſolet crucifixus Dominus, quod patet in Petro, Andrea & Philippo, qui crucem tollentes Chriſtum ſunt ſecuti, & ideò illi chariſſimi.

Baron. to. 1. Annal Eccl. anno Chr. 69.

De S. Philippo Ap. refert Clemens Alexandrinus libro tertio Stromatum cap. 2. quòd fuerit ille juvenis, qui prætexens amorem parentum cùm à Domino invitaretur ad relinquendum ſæculum, inducias petierit, dicens: *Domine permitte me primùm ire, & ſepelire patrem meum*, ſed Dominus reſpondit: *Sequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*, quod fecit & Philippus, ac Chriſtum omnium primus ſecutus eſt, & usque ad crucem, in qua Chriſtum prædicans tandem lapidibus obrutus eſt, ô felix obitus! in cruce vivere, in cruce mori, & ſic aſſimilari crucifixo JESU.

Con-

CONSIDERATIO CLV.

In omni tentatione ac miseria nostra inveniemus tutum asylum in SS. Vulneribus Christi JEsu crucifixi.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Isa. 53. 5.

1.

Eccli. 44. 17. NOe vir justus, *qui in tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, dum arcam suam fabricatus est, ex mandato Dei grande ostium ex latere arcæ posuit, per quod si quis ingressus est, in communi illo orbis diluvio non periit, sed salutem invenit: *Ostium autem arcæ pones ex latere.* Audi Veritatem: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Et S. Augustinus: *Ostium*, ait, *quod accepit in latere Arcæ Noë, profectò illud Vulnus est, quando latus Crucifixi lanceâ vulneratum est.* Sed & præter ostium illud grande in præfata arca mansiunculæ aliquæ pro Noëmi familia facta sunt: *Mansiunculas in arca facies.* Hugo Cardinalis per illas mansiunculas SS. 5. Vulnera Christi pientissimi Redemptoris nostri intelligit, in quibus omnes fideles, qui pie volunt vivere, suum possunt in omni tentatione & discrimine reperire refugium & asylum: *Si quis fugiet*, ait citatus Aurelius Augustinus, *vivet. Tutum refugium contra hostes Vulnera Salvatoris. Ante te est turris, recordare Christum, & intra in turrim, recogitare cogitando, cùm aliquid pateris, quis prior, plus & purè propter te passus est; & quo fine? ut resurgeret; & tu talem finem spera, & non consenties inimico, & intrasti in turrim.*

Gen. 6. 16. Jo. 10. 9. S. August. de Civit. Dei cap. 26. Gen. 6. 14. Hugo Card. hic. S. Aug. serm. 74. ad Fratr.

2. David experientiâ doctus quantum malum sit peccatum, pœnitens exinde ubique Deum præsentem considerare cœpit, & peccata non tam fugit, quàm & virtutem cum ardore secutus est. Audiamus ipsum loquentem, quomodo sibi semper divinam præsentiam proposuerit, & utinam omnes sic facerent: *Quò ibo*, inquiebat, *à spiritu tuo & quò à facie tua fugiam?* Quod & ulteriùs amplificat, ac declarat: *Si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades: Si sumpsero pennas meas dilu-*

Psal. 138. 6.

diluculò: Et si habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me. Ecce David Rex potentissimus in miseriis suis locum securum non poterat invenire, in quo tutus ab ira Dei, omnia videntis, omnia judicantis, posset commorari: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Et ego quid? Recolligo me.

Anime mi, si peccasti cum Davide, non despera; Ecce tutissimum tibi monstro refugii locum: *Abscondere in fossa humo à facie timoris Domini,* suadet Propheta; fossa autem humus est humanitas Christi, toto corpore plagata & vulneribus plena: *Foderunt manus meas, & pedes meos.* Veni in animo contrito ac humiliato, & experieris quod jam pridem S. Bernardus aureâ suâ pennâ mortalitati humanæ scripto reliquit: *Quid enim,* ait, *tam efficax ad curanda conscientiæ Vulnera; nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi Vulnerum sedula meditatio?* Isa. 2. 10. Psal. 21. 15. S. Bern. serm. 62. in Cant.

3. Inter alia præcepta, quæ Christus Dominus Apostolis suis, ubi eos ad prædicandum Evangelium dimisit, priùs dederat, non postremum illud est: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes: & simplices sicut columbæ.* Supra quod S. Hieronymus: Serpentis, inquit, astutia ponitur in exemplum, quia toto corpore occultat caput, ut illud, in quo vita est, protegat. Ita nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus, id est, fidem integram & incorruptam servare studeamus. Hoc S. Hieronymus. Matth 10. 16. S. Hieron. hìc.

Serpens insuper, ait, Beda venerabilis, unam aurem petræ apponit, alteram caudâ claudit, ne audiat incantantes; unde Vates Regius: *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas.* Ita & nos simus constituti in multis occasionibus, præsertim contra dæmonis & impiorum suggestiones; Claudamus aures. Psal. 57. 5.

Serpens adhæc acutissimè videt, & prævidet illa pericula, quæ ab incantatoribus sibi parantur. Utinam & nos saperemus ac novissima provideremus, quia veniet tempus, & nox, *quando nemo potest operari.* Et quid tunc operaberis, aut quid boni facies, quando mors tibi claudet oculos? Jo. 9. 4.

Serpens, dum senescit, per angustum foramen gliscendo, vetustam pellem sibi detrahit, ac vestem deponit, ut novam induat: unde lemma: *Renovabitur juventus mea*; hoc faciat & homo Christianus, per angustam viam, quæ ducit ad vitam, transeat & veterem Adamum ac hominem deponat: *Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam: Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* O fulmen ab ore Veritatis! Sta, & considera. Matth. 7. 14.

Et quomodo, dices, per strictas illas petræ rimas possum transire, per quas transiens, veterem pellem & hominem antiquum possum deponere? En ostendo tibi modum. Audi venerabilem Vincentium

Caraff. lib. 2. Conf. 27. Caraffam Societatis JEsu Præpositum Generalem: *Ut pellem*, inquit, *vitiorum deponamus, per foramen stigmatum Christi transeamus.* O sanctissima vulnera, suprema animæ nostræ solatia! *Quod fit consideratione*, ait idem, *considerando infinitum amorem, quem Dominus in illis Vulneribus demonstravit. Est enim in amore vis transformandi, & convertendi in suam naturam. Ubi itaque consideraverit Vulnera tam amabilia, & amore infinito & divino plena, vestiet se anima veste nuptiali amoris, & exuet veste peccati.*

Matth. 10. 16. 4. Jubet insuper benignus Dominus, ut simus *simplices sicut columba.* Enucleare juvat hìc paulisper columbæ naturam. 1. Columba felle caret, nec ulli nocet: habemus hìc typum mansuetudinis; proinde rectè S. Chrysostomus: Ira, ait, per iram non extinguitur, sed per mansuetudinem: non sufficit pati mala, sed nec turbari conceditur, quod est columbæ. 2. Columba gemit, & non crocitat, sicut corvus: *Cras, cras*; En symbolum meditantis & pœnitentis animæ; hinc David co-

Psal. 54. 7. lumbæ & non corvi pennas petiit: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* 3. Columba cito obliviscitur injuriarum, si enim orbatur pullis, ad eundem tamen nidum & dominum redire solet: Sic vult mitissimus orbis Servator Christus, ut immemores injuriarum vivamus, hoc enim supra crucem affixus titulus docet: J. N. R. J. quem sic expono: JEsus Non Reminiscitur Injuriarum. 4. Columba pacis nuntiā, quod patet in columba Noëmica post diluvium, & Viennæ in Austria, ubi à Solimano Anno Christi 1683. crudelissimâ obsidione diu coangustata est; cùm tandem Christianorum & Confœderatorum Principum succursus advenit, priùs urbi obsessæ candida columba felix de pace nuntium tulit. 5. Columba amat petræ fora-

Cant. 2. 14. mina juxta illud Canticorum: *Columba mea in foraminibus petræ: in caverna maceriæ.* Per petram Christus intelligitur, hic enim est petra 1. Cor. 10. Per foramina petræ communiter SS. Patres quinque Christi Vulnera accipiunt: *Per foramina petræ*, ait S. Gregorius hìc, *Vulnera manuum & pedum Christi in cruce pendentis libenter intellexerim, cavernam verò maceriæ Vulnus lateris, quod lanceâ factum est, eodem sensu dixerim. Et benè columba in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ esse dicitur, quia cùm in crucis recordatione patientiam Christi imitatur, dum ipsa Vulnera propter exemplum ad memoriam reducit, quasi columba in foraminibus &c.*

6. Ad glorioſam Christi Domini in cœlum ascensionem veniamus. Et quid audio? Ecce cùm Dominus universorum, nunc victor de morte, mundo, diabolo, peccato & inferno se sublimem per aëra, cœlestésque globos cum splendidissimo justorum comitatu efferret, & nunc ad portas cæli appropinquaret, occurrebant ei obvii cœlestis

Psal. 23. 7. aulæ Principes, succlamantes: *Attolite portas Principes vestras: Et elevamini*

mini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Ex altera parte succlamabant alii cœli Principes: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*; ipse enim Rex est cœli & terræ, qui cum pietate in terras descendit, mundum redemit, & omnes hostes contrivit in prælio. Auditur novus cœlestium Spirituum clamor præ summo gaudio jubilantium & advolantium, ut regem suum omni gloria ac honore dignissimum condignâ pompâ excipiant: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*; quibus alter Angelorum chorus: Etiamnum dubitatis, quis sit Rex iste tantâ affulgens gloriâ? Ille, ille est vestrorum agminum cœlestium & omnium hominum Rex, universorum Judex ac Dominus; verbo: *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.*

Adverte hìc prudens Lector, & numera in hoc Psalmo, quoties Angeli Christum Regem appellârint? R. S. Augustinus: *Christus quinquies dicitur Rex gloriæ, pro numero Vulnerum acclamant regiam dignitatem.* Viderunt nimirùm, subintrat hìc Sylveira, Cœlites cuncti speciosum Vulneribus Christum, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla talibus concrepant hymnis: *Quis est iste Rex gloriæ.*

S. Aug. serm. 178. de Tem.

Sylveira in Jo. 19. q. 13.

O sanctissima Christi JEsu Vulnera, quæ etiamnùm omnibus patent! vos estis quinque facundissimæ linguæ, quæ ad Patrem semper pro nobis loquuntur bonum, ut in consideratione eorum non disperdat omnem terram: *Oravit*, ait S. Laurentius Justinianus, *in cruce Patrem: Pater dimitte illis: rogat eundem indesinenter in cœlo, exhibendo Vulnerum cicatrices, quæ pro redemptione fidelium in suo perpessus est corpore.* Loquuntur insuper hæc sacratissima Vulnera ad Patrem, quia sunt Christi victoriæ triumphus, salutis humanæ pretium, civitas refugii, fundamentum meritorum, incentivum charitatis, holocaustum pro hominibus, & gloria SS. Trinitatis ac totius universi. Quis ergo non capiat ex his SS. Vulneribus Christi ingens solatium!

S. Laur. Just. in fasciculo amoris. c. 15.

Confidite, ego vici mundum. Jo. 16. 33.

CONSIDERATIO CLVI.

Sacrificium aræ crucis idem est cum Sacrificio altaris, non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo.

In hoc divino Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Concil. Trident. Sess. 22. c. 2.

1.

DIversa quondam DEO T. O. M. offerebantur sacrificia, quæ ad septem species possunt reduci. 1. Offerebatur *holocaustum*, quod erat summum, ac maximè magnificum, prout fecerunt David Rex, & Salomon Filius in festo Dedicationis templi. 2. Erat Sacrificium *pacificum*, quod offerebatur tempore belli pro victoria obtinenda, aut pace stabilienda. 3. Erat *propitiatorium* tempore pestis, aut famis, aut pro aliis communitatis calamitatibus, ut DEum placaret, oblatum. 4. Erat *Pontificale* pro peccatis Sacerdotum. 5. *Regale* pro delictis Regum ac principum. 6. *Commune* pro peccatis totius populi in Israel immolatum. 7. *Particulare*, quod quilibet pro se in particulari poterat offerre.

2. Reg. 24. 25.
3. Reg. 8. 63.

Observa, per omnia ista Sacrificia legalia præfiguratus fuit Christus JEsus & hic Crucifixus, ac Eucharisticus: illa Sacrificia debebant peragi in animali mundo, cujus sanguis necessariò debebat effundi, *quia sine sanguine non fiebat remissio*, ac placatio: *O felices nos*, ait Antonius de Guevarra, *olim offerebant sanguinem animalium, nos modò ipsum sanguinem Filii Dei vivi, ipse enim est holocaustum, sacrificium pacificum, & propitiatorium nostrum &c.* Per quem omnia sacrificia legalia consummata sunt. Quod ad Sacrificium crucis attinet in monte uno celebratum, & trium horarum spatio perfectum fuit; de hoc autem nostro incruento juxta prophetiam Malachiæ in omnibus mundi partibus & oris DEO offertur! *Ab ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in*

Hebr. 9. 22.

Malach. 1. 11.

omni

omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Ecce quid ſit JEſus & hic Crucifixus!

2. Olim Pontifex Aaronicus ingreſſurus in Sancta Sanctorum hircum pro peccatis populi, & vitulum pro ſuis delictis immolabat, eorúmque ſanguinem inferens in Sancta Sanctorum illo Sancta aſpergebat, & expiabat, Levit. 16. Chriſtus verò non hircorum, ſed proprio Sanguine Eccleſiam expians, ingreſſus eſt in Sancta, quia in cruce quaſi Pontifex totius mundi obtulit ſe pro toto mundo in Sacrificium, omniúmque peccata luit, & expiavit: *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemptione inventa.* O quàm pretioſa erat iſta redemptio, quia non erat temporaria, vel annua, ſed æterna, dum nullo tempore deficiet, aut minuetur, ſed durabit in æternum, vímque ſuam exeret in omnia ſæcula, ut peccata omnium ſæculorum expiet & expurget. O JEſu! ô Amor crucifixe! quantùm tibi obligatus eſt mundus univerſus, & omnis creatura ſimul; & tu ſingulariter in individuo, qui iſta legis; recogitans cum S Paulo: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me;* Supra quod S. Bernardus: *Tradidit*, inquit, *ſemetipſum pro me, quia eâdem charitate, quâ mortuus eſt pro omnibus, mortuus eſt pro ſingulis* Ergo etiam pro te, & pro me? Ah nos felices, ſi iſta dignè conſideramus! Et crucifixum JEſum ex tota cordis latitudine amamus!

Hebr. 9. 12.

Gal. 2. 20.

S. Bernar. ſer. 42. in Cant.

3. Hanc veritatem in ſpiritu prægnovit Vates Jeſſæus, ideò ſæpiùs meminit, Deo offerendum eſſe juſtitiæ Sacrificium: *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Dices, & quod hoc eſt ſacrificium juſtitiæ? R. Le Blanc: Sacrificium juſtitiæ eſt, quod Chriſtus obtulit in cruce; eſt enim ipſe juſtitia noſtra, & obtulit illud ſacrificium, quod ſatisfecit ad æqualitatem, imò ſuperabundantiam; eſt enim infiniti valoris, & ſi mundus & homines per totam æternitatem durarent, ut nunc, pro omnibus ſufficiens pretium obtulit. *Idem autem ſacrificium*, pergit idem, *ſacrificamus in Euchariſtia, quæ eſt idem cum ſacrificio crucis, ab eo ſolo differens, quòd unum eſt incruentum, alterum cruentum*; Hinc optimè S. Thomas Angelicus: *Sacrificium*, inquit, *quod quotidie in Eccleſia offertur, non eſt aliud, quàm quod ipſe Chriſtus obtulit*; Et S. Auguſtinus: *Sacerdos ipſe Chriſtus offerens, ipſe & oblatio: cujus rei Sacramentum quotidianum eſſe voluit Eccleſia ſacrificium.*

Pſal. 4. 6.

Le Blanc hìc

S. Th. 3 p. q. 22. art 3 ad 2.

S. Aug. l. 10. de Civit. c. 20.

Dixi SS. Euchariſtiam eſſe juſtitiæ Sacrificium, quia continet Chriſtum omnis juſtitiæ fontem, quia non debet percipi niſi à juſtis, eſt enim Sacramentum vivorum; & quia auget juſtitiam bene diſpoſitorum, unde Deus Pater illud ſuſcipit in odorem ſuavitatis à Noë juſto, id eſt Chriſto oblatum, quod prævidit rursùs Vates Regius: *Tunc acceptabis*

Psal. 50. 21. *tabis sacrificium justitiæ, oblationes & holocausta.* Tunc in cruce oblatum, & quotidie in SS. Missæ Sacrificio, quia in utroque, si nos verè applicamus, est nobis Hostia justificans.

4. Oportet autem, ut ad hoc sacratissimum mysterium & convivium, *in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens repletur gratiâ & futuræ gloriæ nobis pignus datur*, non sine singulari Passionis Christi memoria accedamus: *Surge*, dicebat quondam Angelus ad Eliam Prophetam longo itinere fatigatum, & sub umbra juniperi quiescentem: *Surge, comede, grandis tibi restat via.*

Eccles. in Offic.

3. Reg. 19. 5.

Adverte hìc singulare mysterium: Elias sub umbra juniperi dormiebat, quæ erat figura Crucis, unde S. Bernardinus: *Sub umbra juniperi dormit, qui in fide Dominicæ Passionis requiescit.* Elias lassus & fessus pane subcinericio refectus, & mirum in modum confortatus est; Panis hic Angelicis manibus præparatus erat pulcherrimus typus SS. Eucharistiæ. Elias in fortitudine cibi illius sine alio alimento ambulavit quadraginta diebus ac noctibus, donec pervenerit ad montem Dei Horeb; Disce hìc SS. Eucharistiam sumere cum memoria mortis & desiderio cœli, in cujus fortitudine ambulabis usque ad montem Dei Horeb, *ubi videbimus Deum deorum in Sion.*

S. Bernard. t. 2. serm. 54.

5. Abraham tres Angelos in ipso fervore diei hospitio & juxta quercum Mambre convivio excepit: *Requiescite sub arbore: ponámque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Et observat ulteriùs Scriptura, quòd, ubi erant parata omnia ad convivium, Abraham tanquam ministrans, & incitans hospites suos ad bene prandendum sub arbore steterit: *Ipse verò stabat juxta eos sub arbore.*

Gen. 18. 4

Adverte Lector prudens, etiam sub hac umbra non leve latere mysterium. Subter illam quercum, quæ in loco Mambre erat sata, Deus fœdus cum Abraham pepigit universo generi humano salutare, circumcisio indicta, promissiones divinæ Sobolis factæ; Isaac ipsi & Saræ conjugi annuntiatus; Dominus peregrini habitu visus; Angeli hospitio excepti: Ut omnium fermè arcanorum glandifera hæc quercus conscia, testis, & veluti à secretis extiterit; proinde existimat Alphonsus Ciaconius, & plures cum illo, crucem Dominicam ex quercu esse fabricatâ, quod etiamnùm patet ex sacris ejus particulis ac segmentis, ex quibus deprehendes non esse aquam aquæ, aut ovum ovo similiora, quàm ea inter sese sint. Habemus nos hìc Biberbachii similem Dominicæ crucis particulam Majorum testimonio approbatam, ubi, si lubet, benevolus Lector experientiam poterit capessere.

Gen. 17. 18. 35.

Alph. Ciacon. de sig. S. X. c. 30.

6. Verùm adhuc aliud sub illis Abrahami verbis, & convivio sub umbra quercûs instituto, latet mysterium: *Requiescite sub umbra, ponám-*

Gen. 18. 4.

ponámque buccellam panis, & confortate cor veſtrum. Novarinus pulcherrimè de Sacrificio Crucis & altaris hoc applicat, unde ait: *Sub arbore Crucis requieſce Euchariſtiæ panem comeſturus; & erit hic fructus dulcis gutturi tuo.* Ecce quomodo devotè SS. Euchariſtia ſumenda ſit, vel Miſſa audienda, nimirum cum memoria crucis & Paſſionis Dominicæ.

Et adhuc dubitas? Accedat Doctor Gentium Paulus, hic, ut ſuos Corinthios neophytos ad peculiarem animaret devotionem, quomodo ad ſacram Euchariſticam menſam deberent accedere, illis hunc præſcripſit modum: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibatis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et qualis, obſecro, ille modus, ſubintrat hìc Cluniacenſis: *Quare mortem Domini?* Cur non Incarnationem, nativitatem, reſurrectionem, vel aſcenſionem Domini? *Ut oſtenderet*, inquit, *iſtud opus ejus præponderare omnibus operibus ejus*, unde ipſe Dominus dixit, quando hoc diviniſſimum Sacramentum inſtituit, in quo divitias divini ſui erga homines amoris velut effudit: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, quia nullum tanti beneficii certius mnemoſynon, quàm quòd ipſe reliquit, dum ſacroſanctum Sacrificium inſtituit, ut ſuæ pro ſalute noſtra ſuſceptæ Paſſionis perpetuum haberemus Memoriale. Olim *cum lactuis agreſtibus* debebant manducare Agnum Paſchalem; lactucæ agreſtres ſunt valde amaræ; & quis eſt, rogat Kempenſis, qui Agnum aſſum cum lactucis manducat? R. Qui Chriſtum in cruce paſſum dolenter conſiderat, dum ad ſacram accedit Synaxin: *Intinge buccellam tuam in aceto*; hoc eſt, in commemoratione Paſſionis Chriſti. Ita Hugo Carenſis hìc.

1. Cor. 11. 26.

Matth. 26. & Luc. 22.

Exod. 12. 8.

Tho. Kemp. conc. 32.

Ruth. 2. 14.

Hugo Carenſ. hìc.

CON-

CONSIDERATIO CLVII.

Optimus animarum, imò & corporum Medicus est Christus Dominus, & hic Crucifixus.

Qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam. Psal. 102. 3.

1.

EGregium Medicum se demonstravit Isaias Prophetarum Princeps, dum Ezechiam Regem in lethalem morbum incidentem ubi jamjam illi mortem vicinam prædixerat, per emplastrum ex ficubus compositum & contusum, mirabilem in modum curavit: *Jussit Isaias, ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent*
Isa. 38. 21. *super vulnus, & sanaretur &c.*

Talem Medicum & ego quæro, imò meliorem ac potentiorem, qui solo verbo restaurat universa: Jacebat ægrotum universum genus humanum; venit magnus Medicus de cœlo, prout S. Augustinus Christum appellat, hic venit curare vulnera nostra, & quid fecit? Audi S. Matthæum, cùm narrâsset varios morbos & morbidos, ac energu-
Matth. 8. 17. menos à Christo sanatos, subdit: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit.* O insignem Medicum! Quis unquam Medicorum infirmitates ægrorum in se suscepit? Hoc fecit Christus.

2. David Rex non obscurè prævidit, qualis Medicus suo tempore
Psal. 102. 3. sit futurus Christus Filius David, unde de illo vaticinatus est: *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam.* Ex quibus collige, quòd JEsus sit Medicus generalis & universalis omnium, tùm corporis, tum animæ infirmitatum, unde
S. Bernard. serm. 1. in Vigil. Nat. de illo Mellifluus: *Ecce*, inquit, *Dominus venit cum salute, venit cum unguentis, venit cum gloria. Neque enim sine salute JEsus, neque sine unctione Christus, nec sine gloria Dei Filius; siquidem ipse salus, ipse unctio, ipse gloria. Respirate perditi, venit JEsus quærere & salvum facere quod perierat. Morbidi convalescite,*

venit

venit Christus, qui contritos corde sanat unctione misericordiæ suæ. Samaritanum illum optimum Medicum, Christi typum, consule, qui appropinquans ad vulneratum à latronibus *alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum.* Luc. 10. 34. O nobilis Medicus: qui non ob lucrum, sed ob amorem de ægroto est sollicitus: *Dominus Sator tuus*; unde Jeremias: *Sana me Domine: salvum me fac, & salvus ero: quoniam laus mea tu es.* Exod. 15. 26. Jerem. 17. 14. O quàm benè in prædictum Psalmum Magnus ille Aurelius Augustinus: Magni, inquit, sunt languores tui, sed major est Medicus. Omnipotenti Medico nullus languor insanabilis occurrit, tantùm tu curari te sine. Manus ejus ne repellas, novit quid agat. Non tantùm delecteris, cùm fovet: Sed etiam toleres, cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futuram cogitans sanitatem. Hæc S. Augustinus. S. August. in Psal. 102.

3. Et quis, obsecro, infirmorum ad Christum JEsum venit, & spe sua frustratus est? Venit cæcus natus & quidem in die Sabbathi, & tamen ab illo illuminatus est; Criminabantur quidem Pharisæi Christum Sabbathi violatorem, verùm cæcus jam videns eum defendit, deditque gloriam Deo & suo Medico: O mirabilis Medicus, qui ex luto & sputo cæcum illuminavit: *Vade, & lava in Natatoria Siloë*; illa autem Natatoria erat typus Passionis Christi. Jo. 9. 7.

Venit aliâ vice ad hunc cœlestem Medicum mulier quædam, quæ habebat spiritum infirmitatis decem & octo annis, & erat inclinata, nec omninò poterat sursum respicere, ad quam mitissimus Salvator: *Mulier dimissa es ab infirmitate, & imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat Deum.* Luc. 13. 12.

4. Vis plura talia argumenta conglomerata? Capharnai sanat filium Reguli, qui jam incipiebat mori. Ibidem in Synagoga Dæmoniacum à pessimo dæmone sanat ac liberat; Socrum Petri febrientem, multósque ægros tempore vespertino sanat: *Omnes malè habentes curavit,* ubi non dedignatus est manibus suis purissimis & divinis tangere ulcerosos, sanioſos, scabiosos, leprosos &c. ut contactûs sui divini vim & efficaciam ostenderet. Ad piscinam probaticam in Sabbatho sanat ægrum per 38. annos in infirmitate sua jacentem. In regione Gerasenorum duos dæmoniacos sanat, ac dæmonibus permittit ingredi in porcos, qui eos in mare præcipitant. In Bethsaida cæcum illuminat dicentem: *Video homines sicut arbores ambulantes.* In Naim filium viduæ à morte suscitat: *Adolescens tibi dico surge.* In civitate sua, hoc est Capharnai, in quo loco frequentiùs habitabat, paralyticum in anima & corpore sanat: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Archisynagogi filiam à morte revocat, & Homorhoissæ fluxum sanguinis sistit. Cùm de monte Thaboræo descenderet, ejecit dæmonem lunaticum, quem Jo. 5. 2. Matth. 8. 28. Marc. 8. 24. Luc. 7. 11. Matth. 9. 2. Matth. 9. 18.

Matth. 17. 14. Discipuli ejicere non poterant; *quia hoc genus non ejicitur nisi per orationem & jejunium.* Lazarum quatriduanum è sepulchro evocavit, & suscitavit. Jo. 11. 1. Vide, & considera, anime mi! magna opera Domini & divini illius Jo. 21. 25. Medici, de quo S. Joannes Ap. *Sunt autem & alia multa, quæ fecit JEsus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

5. Et quid dico? Christus Dominus in passione & cruce fuit miraculum miraculorum, fuit enim portentum, imò abyssus humilitatis, patientiæ, obedientiæ, charitatis, fortitudinis, martyrii, omniúmque Jerem. 2. 12. virtutum: O Deus T. O. M. inter duos latrones! quid hoc? *O cœli obstupescite super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer: O bone JEsu, quid* S. Bern. tr. de Pass. c. 44. *tibi est?* Subintrat hìc S. Bernardus, *mori nos debuimus, & tu solvis? nos peccavimus, & tu luis? Opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.* O væ illi Christiano, qui non unat Dominum nostrum JEsum Christum & hunc Crucifixum!

Audi Ecclesiasticum, quid dicat de honorandis Medicis & de utili- Eccli. 38. 1. tate medicinæ: *Honora Medicum,* inquit, *propter necessitatem*: Et subdit rationem: *Etenim illum creavit Altissimus à Deo enim est omnis medela,* Et ita est: Reverentiam primò debes tuo Medico, secundò obedientiam, tertiò sustentationem personæ condignam. Subintrat hìc, & subinfert Cornelius; Cornel. hìc. *Maximè autem omnem honorem debemus Christo Domino, qui Medicorum est Medicus, tam animæ quàm corporis: Quique theriacam præstantissimam contra omnes morbos non aliunde, quàm ex Sanguine suo confectam nobis exhibet.* 1. Petr. 2. 24. Unde S. Petrus: *Ipsius livore sanati sumus,* & ex eo S. Matthæus: *Ve-* Matth. 8. 17. *rè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit.* O salutarem Medicum.

Luc. 7. 37. 6. Languebat Magdalena in corpore & anima, & à Christo Medico in utroque adjuvatur, dum ab ea septem dæmonia ejecit, & à peccatis absolvit; hinc ut se tanto benefactori gratam exhiberet, venit op- Matth. 26. 6. portuno tempore in domum Simonis Leprosi, *habens alabastrum unguenti* Marc. 14. 3. *pretiosi, & effudit super caput ipsius recumbentis.* S. Marcus habet: *Et fracto alabastro, effudit super caput ejus.* Cur fracto alabastro? An quia prævenit ungere corpus JEsu in sepulturam? Et ita quidem est, quod & ipsa Veritas affirmavit. Sed aliud hìc latet mysterium.

Hugo Card. super Epist. ad Hebr. c. 2. R. Eminentissimus Hugo Cardinalis, per dictum vas alabastrites confractum, humanitatem Christi, summi Medici nostri non incongruè posse subaudiri: *Per viscera,* inquit, *misericordia Dei nostri visitavit nos Oriens ex alto: Viscera misericordia fuerunt vulnerum nostrorum unguenta & medicina, quas super nos fundit fracto alabastro in cruce, unde tota Ecclesia repleta est ex odore unguenti, & sanata.* O quantus ille Medicus, qui etiam moriendo ægros

suos

suos sanitati restituit! Audi S. Bernardum: *Filius Dei altissimi jubetur occidi, ut vulneribus meis pretioso sanguinis illius balsamo medeatur.* S. Bernard. serm. 4. de Nat. Dom.

7. Ezechias Rex, ubi impensissimè DEum in ægritudine sua pro salute & restitutione virium oravit; & nunc intellexisset adhuc quindecim annos ad vitam suam adjiciendos, lætus de lecto surrexit, & in signum grati animi Deo sospitatori suo carnem Eucharisticum cecinit, ubi inter alia habet: *Projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.* Et quomodo hoc? quomodo Deus peccata nostra post tergum suum solet proiicere? Isa. 38. 17.

℟. Pereleganter prædictus Hugo Cardinalis: *In cruce*, inquit, *propriè projecit Dominus omnia peccata nostra post tergum suum, tanquam trosellum Latronum, id est omnium nostrum portans. Et ideò in cruce suspensus est, tanquam invento trosello latronis super eum.* Hugo Card. hic. Ecce infinitum erga nos amorem hujus divini Medici, dum peccata nostra in cruce post tergum suum projicere voluit, ne scilicet ea videret ante faciem suam ad puniendum. Hinc Psalmista rogavit: *Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele.* Psal. 50. 12. Hoc & ego humiliter rogo, & non obstantibus sceleribus meis adrepo fidenter ad Deum meum, non jam fulmine armatum, sed undique vulneratum in cruce, exclamans contritus: *Parce mihi Domine &c.*

CONSIDERATIO CLVIII.

Christus crucifixus est Bibliotheca nostra,

& liber scriptus intùs & foris ab omnibus legendus.

Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor. 2. 2.

1.

MIrabilis erat illa conversio Eunuchi Reginæ Candacis thesaurarii & viri potentis, qui, cùm ab Hierosolyma, in cujus templo Deum adoraverat, in patriam & Æthiopiam reditum pararet, in curru Scripturam legit, & inter alia Isaiam Prophetam. Interim Spiritus sanctus S. Philippum Diaconum

num excitabat, ut se currui illius adjungeret, & dictum Eunuchum tunc adhuc Gentilem in fide Orthodoxa instrueret; Legit autem ex Isaia
Actor. 8. 32. istum textum: *Tanquam ovis ad occisionẽ ductus est, & sicut agnus coram tondente se sine voce, sic non aperuit os suum.* Hæsitabat hìc Eunuchus, nec se poterat juvare, aut resolvere, unde ad D. Philippum conversus: *Obsecro te,* inquiebat, *de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo?* Hìc Philippus, occasionem nactus evangelizandi JEsum & hunc crucifixum, prædictum Isaiæ capitulum quinquagesimum tertium, quod totum de Christi passione agit, disertè & cum fervore explicavit, ex quo sermone Christum agnovit Eunuchus, in eúmque credidit, *Credo Filium Dei esse JEsum Christum*; hinc & ab illo baptismum petiit, & impetravit. Si hoc potuit efficere unicus S. Scripturæ textus de passione Christi, quid non faciet
Ezech. 2 9. seria meditatio de crucifixo JEsu, qui est *liber scriptus intùs & foris*, imò universa Bibliotheca nostra?

Tirin. & alii. Interpret. 2. Ptolomæus Philadelphus Rex Ægypti, qui ante Christum annis 279. regnare cœpit, optimis libris Bibliothecam suam instruxit, in quem finem viros eruditos ac sapientes numerô septuginta duos ex Judæa petiit, qui totum Testamentum ex Hebræo in Græcum transtulerunt, uno quasi animo, uno ore, uno calamo, licet fuerint ab invicem separati, ita ut nullus eorum ab aliis in ullo puncto dissentiret. Et hæc translatio summæ semper auctoritatis in Ecclesia tum Judaica, tum Christiana fuit; Numerus autem librorum illius Regiæ Bibliothecæ ad septuaginta millia excrevit. Mitto hìc Bibliothecam Romanam in Vaticano, quam Sixtus V. Pont. Max. pulcherrimo ordine instruxit, adauxit, adornavit.

Verùm aliam ego quæro Bibliothecam, in qua thesauri omnium scientiarum sunt repositi, in Christo enim JEsu crucifixo, tanquam in libro vitæ, continetur omnium librorum breve compendium, & verbo unico comprehenduntur omnia, quæ fieri, quæque amari possunt ab
1. Cor. 2. 2. Amatore Crucifixi, ideò Apostolus profitetur: *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi JEsum Christum, & hunc crucifixum.* O si omnes essemus tales!

Hadrian. Lyr. l. 6. c. 10. 3. Testes omni exceptione majores tibi fisto. Erant quondam Parisiis in celeberrima illa Universitate S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus & S. Bonaventura Doctor Seraphicus, viri sancti, & in omni sacra doctrina excellentissimi, ac singulari Religiosæ amicitiæ vinculo sibi conjunctissimi. Visitaverat aliquando Angelicus Seraphicum interrogans eum, ex quibus libris suam tam eminentem doctrinam hausisset? Qui ostendit ei, an Augustinum? an Chrysostomum? an Ambrosium? vel codicem Justinianæum? vel Decretorum & Canonum pandectas? Nihil horum; quid ergo; Itur ad Musæum, aperitur pulpitum, producitur

citur quid? Ecce devota quædam Christi in cruce pendentis imago, osculis attrita, & lacrymis signata: *Hic*, inquiebat Bonaventura, *liber meus, & tota Bibliotheca est.* Gavisus Thomas amico optimo suo gratias agit, & ipse deinceps eundem librum, uti jam ante fecerat, impensè ac summo cum fructu legit, unde à Christo crucifixo trinâ vice audire meruit: *Bene de me scripsisti Thoma.* Vide anime mi, quantùm sanctissimi ac sapientissimi Viri æstimârint Christum JEsum & hunc crucifixum, liber enim vitæ est, in quem prædestinati ad gloriam inscripti sunt: Quisquis in hoc libro repertus non fuerit, non introibit in regnum Beatorum: *Non intrabit in eam* (Jerusalem cœlestem) *aliquod coinquinatum, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni*; Et hic *liber est scriptus intùs & foris*, intus per immensam charitatem, quâ dilexit nos, & tradidit se ipsum pro nobis, foris per SS. Vulnera, dum à planta pedis usque ad verticẽ non erat in eo sanitas. Apoc. 21. 27.

4. Præcepit quondam Deus Habacuc Prophetæ, ut librum caracteribus majoribus scriberet, atque in tabulis explanaret, ut eum quilibet sic in lignea tabula expansum legere posset: *Scribe visum, & explana eum super tabulas, ut percurrat, qui legerit eum.* Hadrianus Lyræus & multi alii per illum librum super tabulas explicatum, Christum in cruce distentum intelligunt; hunc librum quilibet, etiam indoctus poterit legere, quia in eo sunt omnes scientiarum thesauri repositi: *Hæc mea*, solebat dicere S. Doctor Mellifluus, *sublimior Philosophia est, scire JEsum & hunc crucifixum.* O felices nos, si diligenter hunc librum legerimus: *Si JEsus crucifixus*, ait devotissimus Kempensis, *in cor nostrum veniret, quàm citò & sufficienter docti essemus.* Habac. 2. 2. Tho. Kemp. l. 1. c. 25.

Est autem hic liber impressus propè Hierusalem in Officina montis Calvariæ, ad signum Tau; Typis iniquorum Judæorum; Sumptibus JEsu Nazareni Regis Judæorum; Anno ætatis ipsius tertio supra trigesimum; Cum licentia Patris æterni; Operâ Pilati Præsidis Romani, *qui tradidit eis illum, ut crucifigeretur.* Pretium hujus libri est sine pretio, ita ipse Venditor: *Venite, emite absque argento & absque ulla commutatione.* Constitutum igitur tibi sit, ô mi Lector, hunc librum legere, exosculari, & cordi altè imprimere iis caracteribus, quos nulla expugnat ætas; Profectò ànima Christiana hìc tua res, & salus ipsa agitur: *Non enim est in alio quo alio salus.* Aut ama Christum JEsum crucifixũ, aut vade in infernum. Isa. 55. 1. Jo. 19. 16. Act. 4. 12.

5. Cæterum observatu dignum est, quare pientissimus orbis Reparator Christus, ubi paulatim tempus passionis appropinquabat, Discipulis suis secretò & in abscondito intimaverit, quæ & quanta sibi essent sustinenda: *Et ascendens JEsus Jerosolymam, assumpsit duodecim Discipulos secretò, & ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius Hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illuden-* Matth. 20. 17.

illudendum, & flagellandum, & crucifigendum. Observa, hæc in secreto facta sunt, & in ultimo ascensu Christi in Jerusalem; sed paulò post ubi pro salute nostra in cruce mori voluit, non secretum locum elegit, sed publicum, montem eminentem, civitatem regiam, diem celeberrimum, ubi millia millium ad festivitatem Paschalem confluxerant. Quid ergò indicat hæc diversitas? Cum discipulis loquitur de Passione in occulto, & illam subire vult in publico?

Sandæus in Asceterio. n. 8

R. Sandæus: *Nimirum significare voluit, quæ patiebatur in publico, multa habere in abdito, quæ non nisi Discipulis, crucis amatoribus manifesta sint*; qui enim verè amat crucifixum JEsum, & in hoc libro studet, rubeis scripto caracteribus, inveniet ab initio *lamentationes & carmen & va*, lamentationes quidem ob contritionem suorum peccatorum; *Carmen & va* ob spem præmii & pœnæ timorem, sed tandem si attentè hunc librum pervolveris: *Erit in ore tuo tanquam mel dulce*, quia viam Dei in veritate docet.

Exech. 2. 9.

Fr. Cherubinus in vita l. 2. c. 16. Obiit anno Chr. 1275. ætatis 52.

6. Testem adduco S. Philippum Benitium, Patritium Florentinum, qui stans in bivio, ad quam sacram Religionem se converteret, ad pedes cujusdam crucifixi orans hanc à Salvatore claram vocem audivit: *Vade Philippe ad montem Senarium, ibi te docebo*, in quo monte velut novus Isaac in summa inedia, oratione, vigiliis ac cæteris corporis afflictionibus aliquot menses & quadragesimam transegit, ac crucifixo JEsu in obedientiæ victimam se præsentavit; unde meruit etiam à B. Virgine visitari, quæ in aureo & triumphali curru, à leone & ove tracto, Angelis stipata illi apparuit, ad quem cœli Domina: *Philippe accede, & adjungete ad currum istum.* Intellexit divinam voluntatem Benitius, & ingressus Ordinem Servitarum, seu Servorum Mariæ & Matris dolorosæ, in eo Quintus Generalis electus est, à puero pietati semper deditus, & addictus singulariter devotioni, quæ habetur erga Christum in cruce suffixum, & dolorosissimam ejus Matrem sub cruce stantem.

Cùm extremo morbo laboraret, & nunc suprema instaret hora, petiit instanter à fratribus strato circumfusis librum suum: *Librum meum date, quis eum eripuit. O librum, qui omnia bona mea continet: quærite eum Fratres, non enim sine eo diutiùs vitam trahere possum*: Perplexis omnibus atque ignaris, quem tandem librum intelligeret, advertit Frater Ubaldus Adimarius Philippo optimũ ac quotidianum librum fuisse crucifixũ Dominum, quem semper aut in manibus, aut in pectore gerebat, qui ubi illi porrectus, suavissimè deosculans SS. 5. Vulnera JEsu, & submissa ac fracta voce Psalmum trigesimum recitans: *In te Domine speravi*, ad illa verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, animam cœlo placidè reddidit. O mi Lector, & amator crucifixi JEsu & SS. Matris ejus dolorosæ, ecce finem illorum, qui Christum amaverunt in vita sua, & neque in morte ab illo fuerunt separati. Fac similiter. Con-

CONSIDERATIO CLIX.

De ſumma & ultima fiducia, quam poſſumus collocare in meritis & paſſione Chriſti JEſu crucifixi.

Scio quòd Redemptor meus vivit -- Repoſita eſt hæc ſpes in ſinu meo. Job. 19. 25.

1.

CUm patientiſſimus Job omni deſtitutus humano ſolatio, ulceribus toto corpore plenus, & injuriis ac contumeliis à notis & propinquis laceſſitus, ſederet in ſterquilinio, ſpem in Deum non amiſit, ſed ſe ipſum erigens, confortans, ac conſolans dixit: *Scio quòd Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt. Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Ita dicat Chriſtianus in omni tribulatione & anguſtia, elevans mentem ad crucifixum JEſum, & ad futuram æternam gloriam, quam expectat; proinde ſæpius dicat cum Jeremia Propheta: *Spes mea tu Deus in die afflictionis.* Job. 19. 25. Jerem. 17. 17.

2. Moyſes cùm ſe olim matrimonio jungere vellet, Æthiopiſſam duxit: *Locutáque eſt Maria & Aaron contra Moyſen propter uxorem ejus Æthiopiſſam &c.* Cur hic Patriarcha, vir Deo plenus, divinorum conſiliorum particeps, Iſraelitici populi dux nullam aliam melioris fortunæ, formæ & gratiæ virginem duxit in conjugem? Cur adjecit animum ſuum atque amorem ad nigellam de Maurorum gente ſponſam, & velut carbonariam? En typum. Num. 12. 1.

Moyſen pulcherrimè imitatus eſt Chriſtus, nam, cùm humanæ ſe naturæ ſociavit per incarnationis beneficium, cùm unicuique animarum noſtrarum in ſacro baptiſmate dixit: *Sponſabo te mihi in fide*, nunquid Æthiopiſſam duxit, non tantùm ſpecie, ſed & fœdiſſimis coloribus denigratam! Et quidem Moyſes Mauræ ſuæ nullum nitorem potuit inducere; fruſtra enim ab homine Æthiops lavatur, ſed Chriſtus Dei Filius deſponſatam ſibi animam non tantùm emundavit ab omni Oſee. 2. 20.

labe

labe & nigrore, quem ex vitiatis majoribus, velut hæreditarium malum traxit, sed etiam in splendorem regiæ dignitatis exornavit: *Sponsus sanguinum tu mihi &c,*

Exod. 4. 25.

3. Neque hìc divinus amor substitit, plùs ultrà progressus est; atque, ut solent amantes, per vulnera quoque & sanguinem, si alia via non conceditur, ruere in mutuos amplexus: ita Dei Filius, potiundæ animæ, penetravit per spinas, flagella, virgas, clavos, hastas, crucem denique & mortem, factúsque est carbonariæ Virgini purpureus Sponsus, *quam lavit in sanguine suo.* Collige ex hoc infinitum amorem, quo dilexit te Dei Filius: *In misericordia sempiterna misertus sum tui: dixit Redemptor tuus Dominus*; Collige insuper quàm magnam fiduciam in illius meritis ac vulneribus collocare debeas: *Si Publicanus es*, ait S. Chrysostomus, *potes fieri Evangelista, si blasphemus es, potes fieri Apostolus; si latro es, poteris paradisi colonus effici, si magus es, poteris Dominum adorare. Nec est ulla malitia, quæ pœnitentia non solvatur*, & per Sanguinem JEsu crucifixi non eluatur, & emundetur.

Apoc. 1. 5. Isa. 54. 8.

S. Chrysost. hom. 14. in Matth. 9.

4. Hanc ob causam mitissimus orbis melioris Reparator Christus non recusavit Jacobum Patriarcham æmulari, qui quatuordecim annis exul patriâ Labano gravissimam servivit servitutem, & tamen Scripturâ testante quatuordecim adeò anni *videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Una Rachel, cujus gratiâ Jacob se tam longo difficilique servitio obstrinxit, temperavit omnes molestias, & velut saccaro ac melle condivit falsissimos labores. Quid verò Christus Dominus? Nunquid paria fecit? Nunquid centuplò, millecuplò majora? Conspexit ille animulam nostram, pulchrum opus Patris sui, cæterùm jam denigratam Virginem, atque in Æthiopissam turpiter deformatam, vagari toto orbe per scelerum devia, in suum interitum; itaque ut hanc Mauram vitio suo monstrosam in cœlos eveheret, sacro sibi, æternoque connubio jungendam; ipse sidera cum terris, patriam cum exilio, libertatem cum servitute mutavit, atque ùt Apostolus ait: *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens*, famulaturus Deo Patri suo pro animula, non tantùm quatuordecim, sed supra triginta ipsos annos, qui toti *vibantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Quis, obsecro, hìc non admirandus exclamet cum obstupescente Bernardo, dicátque: *Unde tibi, ô humana anima, unde tibi hoc? unde tibi tam inæstimabilis gloria, ut ejus sponsa mearis esse, in quem desiderant Angeli prospicere? unde tibi hoc, ut ipse sit sponsus tuus, cujus pulchritudinem sol & luna mirantur? quid retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi, ut sis socia mensæ, socia regni, socia denique thalami, ut introducat te Rex in cubiculum suum? Vide jam, quæ de Deo tuo sentias? Vide quibus brachiis vicaria charitatis, redamandus, & amplectendus sit, qui tanti te æstima-*

Gen. 29. 20.

Philipp. 2. 7.

S. Bernard. serm. 2. in Dom. 1. post octav. Epiph.

æstimavit, quando propter te obdormivit in cruce? O Amor! ô Amor, ô infinitus amor! quis satis æstimet te? Quis non omnem salutis suæ spem ac fiduciam collocet in te?

5. Jehu Rex Hebræorum recens electus, in currum suum triumphalem Jonadab filium Rechab elevavit: *Da manum tuam, & ille levavit eum ad se in currum.* En Rex tuus pendet in crucis patibulo, tanquam in curru triumphali, prout crucem vocat D. Ambrosius? En expandit hic manus suas perforatas ad te, anime mi, vult te levare in currum, & per hunc in cœlum; ergò da manum, hoc est, opera & labores, ut pro his tibi impertiat regnum cœlorum. 4. Reg. 10. 15. Audi S. Macarium: *Quemadmodum infans non novit seipsum curare, vel ornare, sed solùm oculos convertit ad matrem, flens, donec misericordiâ commota illum suscipiat: sic fideles animæ in solo Domino spem habent perpetuò.* S. Macar. hom. 31.

6. Hebræi illi peregrini, qui ex Ægypto ad terram desiderabilem volebant proficisci: *tenentes baculos in manibus* celeriter manducabant pascha. Exod. 12. 11. S. Gregorius Nyssenus hanc rationem assignat: *Per baculum*, inquit, *spes indicatur, & fortitudo tendentium in terram promissionis.* S. Greg in vita Moysis. Anime mi, si vis eò tendere, provide tibi de bono baculo, qui est Crux Dominica, & spes in crucifixum JEsum, non enim frustrà pro te tam indigna passus est: *Respicite filii nationes hominum, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.* Eccl. 2. 11. Proinde dic sæpiùs cum Psalte regio: *Deus meus in te confido, non erubescam.* Psal. 24. 2.

7. Ezechielem Prophetam duxit aliquando Spiritus Domini in amplissimum campum; plenum mortuorum ossibus; & ut propiùs ea ossa intueretur, circumduxit eum per gyrum, ut lustraret ossa illa super faciem campi, siccáque vehementer; Tum Dominus ad illum: *Fili hominis putásne, vivent ossa ista*? Et ille: *Domine Deus tu nosti.* Tum rursus Dominus ad Prophetam: Vaticinare ad Spiritum. Vaticinare: Hæc dicit Dominus Deus: *à quatuor ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant.* Et prophetavi, sicut præceperat mihi, & ingressus est ad ea Spiritus, & vixerunt, steterúntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde. Ezech. 37. 3.

En pulcherrimum typum novæ regenerationis peccatorum, mundus autem est amplissimus campus plenus ossibus mortuorum & peccatorum, qui coram Deo mortui sunt: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur*; sed benignissimus Deus non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat. Quisquis igitur es, qui Deum deliquisti, licet multo tempore in peccatis hæsisti Dei inimicus, audi consilium S. Joannis Chrysostomi: Cessa Deum offendere, & lacrymas funde, & ita accede, & statim invenies propitium, non adeò cupis Ezech. 18. 4.

dimitti peccata tua, sicut ille cupit peccata tua tibi dimittere. Ipse enim, ut peccata à nobis tolleret, unigenito Filio suo non pepercit, sed
Psal. 135. pro nobis omnibus tradidit illum. O verba consolatione plena, *quoniam in æternum misericordia ejus*, quæ dulcia verba Propheta Regius à Spiritu sancto inspiratus in uno Psalmo vigesies septies repetiit. Igitur non simus segnes, nec moras nectamus, sed quàm primùm ex toto & sincero corde ad crucifixum JEsum nos convertamus, ipse enim poterit nos liberare à servitute peccati, & asserere in libertatem filiorum Dei; ideò de cœlo descendit, carnem nostram assumpsit, de Virgine natus, conversatus in Mundo, miracula patravit, mira egit, durissima passus est. Et cur hæc omnia? ut peccatores salvos faceret, inter quos ego primus sum &c.

CONSIDERATIO CLX.

De pretioso Sanguine D. N. J. Christi crucifixi, optimo pro liberandis animabus purgantibus remedio.

In sanguine testamenti tui emisisti vinctos de lacu. Zach. 9. 11.

I.

ZAcharias Propheta, ubi in spiritu prævidit Christum Dominum Salvatorem nostrum in carne venturum, & ut Regem mitem ac humilem sedentem super asinam, tanquam Messiam & orbis triumphatorem Jerusalem ingressurum, mox ad illius passionem & crucis mortem descendit, ubi advertit, quod ex lacu vinctos diversos proprio suo sanguine in optatam libertatem esset
Zach. 9. 11. educturus: *Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.*

Quæres hìc, qualis hic lacus, & vincti illi fuerint, quos pientissimus Dominus per pretiosum Sanguinem suum liberavit, & in liberta-
Cornel. hìc. tem asseruit? R. Cornelius cum pluribus SS. Patribus, quòd Zacharias

rias Propheta hìc alluserit ad pretiosissimum orbis Redemptorem in cruce mortuum, qui mox à morte ad limbum Patrum, & ad animas in purgatorio igne detentas descendit, eásque per fusum in cruce Sanguinem suum de illo inferni lacu liberavit, quibus generale indulsit jubilæum: *Multi*, inquit hìc Cornelius, *probabiliter censent, Christum omnibus animabus in purgatorio existentibus suo ad eos descensu dedisse primum, plenúmque jubilæum, omnésque à pœnis liberasse & secum in triumphum duxisse.* Cornel. in Eccli. 24. 25

2. Rahab in excidio Jeruchuntino cum omni familia sua per funiculum coccineum è fenestra suspensum salutem invenit: *At illa appendit finiculum coccineum in fenestra.* Per hunc funiculum coccineum divus Hieronymus pretiosum Christi JEsu crucifixi Sanguinem subaudit, per quem ab interitu liberati, & salvati sumus; hunc quoque summo desiderio sitiunt purgantes animæ diviniſſimum Sanguinem, clamantes ad nos quotidie (sed sub alio sensu quàm olim Judæi) *Sanguis ejus super nos*, de quo canit Ecclesia in hymno: *Divina cujus charitas sacrum propinat sanguinem, Almíque membra corporis, Amor Sacerdos immolat.* Hic animarum purgantium & cibus & potus est. Jos. 2. 21. Matth. 27. 25. Sabb. in Albis.

3. Mandavit quondam Moyses, ut, si quis peccasset, victimam Deo immolaret pro peccato, quòd si fecerit, propitium Deum sit inventurus: *Propitius erit ei Deus.* Sed quomodo propitius? Respondeo per victimam innocentem in animo contrito & humiliato Deo oblatam, & per ejus profusum, ac dispersum in eum sanguinem. Ubi observandum, quòd omnia hæc illis facta sint in figura, quia omnes ejusmodi victimæ legales Christum repræsentabant suo tempore in ara crucis pro peccatis mundi immolandum, sine cujus sanguine non fit remissio; in quem finem leprosi illius ævi mundandi sanguine oblatæ Deo victimæ aspergebantur, & sic ab immunditia sua legali mundabantur: Omnis enim leprosus typicè figurabat peccatorem, qui à lepra peccati per aspersionem & applicationem Sanguinis Christi debet mundari: *Sanguis JEsu Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Levit. 4. 20. 1. Jo. 1. 7.

Leprosæ sunt & animæ in igne purgante sua adhuc delicta, in vita nondum satìs expiata, luentes, quæ, antequam ad cœlestem gloriam & æternam admittantur felicitatem, priùs mundandæ sunt per applicationem Sanguinis Christi JEsu crucifixi, quòd potissimùm fit in sacrosancto Missæ Sacrificio, ad hoc pro vivis atque defunctis institutо; hinc toties David post admissum delictum ad Deum ingeminavit: *Asperges me Domine hyssopo, & mundabor.* Orabat hìc pœnitens Rex, ut mundaretur in hac, & non in altera vita, & quidem prout observat Cornelius, *per aspersionem Sanguinis Christi*, quem prævidit, *qui verè est hyssopus sanguineus Agni immaculati, mundans peccata.* Ita etiam S. Ambrosius de Apolog. David cap. 12. Cornel. in 1. Ep. S. Petr. c. 1. v. 2.

S. Vinc. Fer. serm. de S. Tho. Cantuar

4. S. Vincentius Ferrerius Ord. Prædicatorum illustre Sidus, pulcherrimum movet discursum, quòd videlicet Deus Pater in primo Conceptionis & Incarnationis Filii sui Unigeniti instanti librum prædestinationis aperuerit, & hunc dilectissimum Filium suum, Redemptorem nostrum ita fuerit allocutus: *Ecce Fili, quot Sancti in limbo, & quot animæ in purgatorio; & nunquam poterunt cœlum intrare, nisi per tuam passionem & mortem dolorosam: vis eam sustinere? Respondet: Placet mihi.* Hæc sanctus ille Vincentius. Vide hìc, & perpende Lector prudens! ingentem amorem pientissimi Redemptoris nostri vix incarnati, & nondum in lucem nati erga pauperculas animas in purgatorio existentes, pro quibus non dubitavit toties exinde in passione divinum suum profundere sanguinem.

Petr. Comest. in Evan. Hist. cap. 162.

5. Ideò triginta argenteis vendi voluit, ut hac pecuniâ & sanguinis pretio ager figuli emeretur ad sepulturam peregrinorum & solatium defunctorum, ac præsertim animarum purgantium. Ita Petrus Comestor.

Ludoph. Carthus. in vita Chr.

Ideo funibus ac catenis in captivitate sua ligari voluit, ut funes peccatorum nostrorum, & singulariter Patrum in limbo ac animarum in purgatorio existentium disrumperet. Ita Ludolphus Carthusianus.

Quaresm. de sacris Vulneribus.

Ideò in monte Olivario ter ad Patrem oravit in terra prostratus: Primò pro Justis, secundò pro peccatoribus convertendis, tertiò pro animabus in limbo & purgatorio morantibus, ubi observandum, quòd in hac tertia oratione copiosum sanguinem sudaverit. Ita Franciscus Quaresmius citans S. Augustinum.

S. Vinc. Fer. in Sabb. S.

Ideò crudeliter flagellari, & cruentis spinis coronari voluit, quarum septuaginta duæ divinum penetrarunt caput, ut Rex tribulatorum tribulatis prodesset animabus in igne purgante luentibus. Ita prædictus S. Vincentius Ferrerius.

S. Athanas. serm. de pass. & cruce.

Ideò in monte Calvario crucifigi voluit, ubi erant plura occisorum & mortuorum corpora sepulta, & ipse Adam protoparens noster (prout testatur S. Athanasius) cujus calvariam referunt sacrosancto Christi sanguine fuisse tinctam de cruce in terram stillante; Et ideò, ait Maldonatus, Lyræus & alii, sub pede crucis ordinariè calvaria quædam demortui hominis appingi solet, ut primum hominem, per quem mors intravit in mundum, divino Redemptoris sui sanguine redemptum demonstraret.

6. Olim Deus sanguinem victimarum super altare profusum in peccatorum expiationem adhiberi voluit, unde in Levitico dixit: *Ego dedi illum vobis, ut super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* Si hoc quondam de sanguine victimarum legalium,

Levit. 17. 11.

quid

quid igitur de divinissimo ac pretiosissimo Sanguine Christi JEsu crucifixi sentiendum? Proinde rectè S. Doctor Angelicus: *In hoc figuratum est, quòd sacrificium carnis & sanguinis Christi valet animabus in pœna purgatorii.* S. Thom. opus. 58.

Agnus ille Paschalis ab Israelitis immolatus non dumtaxat typum exhibuit Sacrificii Eucharistici, quod in Missa offertur, sed & Sacrificii cruenti in cruce peracti, cujus innocentis agni sanguine per modum crucis postibus domorum illito, Hebræi, ne ab Angelo vastatore percuterentur, ùt Ægyptiis factum est, servabantur immunes & illæsi: *Et sumunt de sanguine ejus, & ponent super utrumque postem &c.* Plus & infinities plus valet Sanguis divini illius Agni, qui semel cruento modo in ara crucis pro nostris delictis oblatus est, & nunc incruento modo quotidie in Ecclesia Dei pro vivis & defunctis offerri solet; unde Sacerdos in Missa trina vice repetit pro defunctis: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.* Exod. 12. 7.

7. Nunquam observasti, anime mi! quoties Sacerdos DEO T. O. M. sacrificium in altari offert, quòd sacra Hostia in tres ab illo partes dividatur, quarum ultima in sacrum calicem immittitur, & sic cum Christi Sanguine miscetur? Sed quare hoc? Grande hìc latet mysterium. Respondet S. Doctor Seraphicus: *Prima pars pro vivis Christianis, qui affliguntur; altera reservata intra calicem, offertur ad laudem & gloriam Sanctorum; Tertia pro his, qui in purgatorio sunt, ut à pœnis citiùs liberentur, & absolvantur.* S. Bonavent. in exposit. Missæ.

De reliquo quærunt sacri Doctores, quare ille latro bonus cum Christo crucifixus, tam citò, & sine ullo purgatorio ad paradisum venerit: *Hodie mecum eris in paradiso?* Observa *hodie*, non *cras.* Respondet Hugo: *Sacratissimo sanguine Christi latro ille aspersus est, ideóque in ictu oculi cum ipso Salvatore paradisum intravit.* Formo argumentum à fortiori: Si Sanguis Redemptoris nostri animæ hujus latronis applicatus, tam citò illi paradisum impertiit, quantò magìs animæ purgatorii in gratia Dei constitutæ, si pro illis in SS. Sacrificio Missæ à Sacerdote applicatur Sanguis Christi, vel in indulgentiis plenariis, transibunt ad cœlum. Luc. 23. 42. Hugo Hætetianus lib. de regress. ani. c. 12.

CONSIDERATIO CLXI.

De cultu & veneratione SS. Crucis, aut imaginum SS. Crucifixi.

Cui honorem, honorem. Rom. 13. 7.

1.

NIhil ſanctius olim in lege habebant Judæi, quàm arcam Domini, quæ ex lignis incorruptibilibus adinſtar ciſtæ quadratæ facta, & coronâ aureâ per circuitum ornata fuit: *Arcam de lignis Setim compingite &c.* Exod. 25. 10 Hæc arca quaſi ſedes & thronus ipſius Dei, in his terris fuit, per quam exoratus propitium atque placabilem ſe populo exhibere, & oracula ac reſponſa, quando in rebus dubiis per Pontificem interrogabatur, dare ſolebat; ſupra hanc arcam & Propitiatorium ex auro puriſſimo à duobus Cherubinis ſuſtentatum, collocatum eſt, ob quam cauſam ſemper dicta arca ab Hebræis profundo & humili obſequio adorabatur, profanisque capitale fuit eam vel 2. Reg. 6. 7. manibus tangere, ut Oza expertus eſt: *Iratúsque eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate*, vel curioſiùs ſolùm oculis intueri, uti Bethſamitibus accidit: Reg. 6. 19. *Percuſſit autem de viris Bethſamitibus, eò quòd vidiſſent arcam Domini: Et percuſſit de populo ſeptuginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Tanta nimirum hujus arcæ religio, cultus & æſtimatio fuit, unde rectè pro lemmate illi inſcribes: *Sancta ſanctè.*

Per hanc arcam fœderis Crux Dominica præfigurata eſt, quæ eſt vera Chriſtianorum arca, vel potiùs ipſe crucifixus Dominus, ita S. Gregorius: *Arca eſt Redemptor noſter*, qui in cruce exaltatus verum & 1. Jo. 2. 2. unicum Propitiatorium pro peccatis noſtris factus eſt: *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*; Quapropter digniſſimus eſt, ut ab omnibus profundiſſimâ animi Pſal. 98. 5. demiſſione adoretur. Audi Pſaltem Regium: *Exaltate Dominum Deum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt*, per quod Quareſm. to 2. c. 12. ſect. 1. ſcabellum ab omnibus colendum & adorandum S. Hieronymus crucem Dominicam intelligit. Ita Quareſmius.

2. His

2. His præmissis, inter Catholicos & Sectarios non levis est controversia, quo tandem cultu ac veneratione SS. Crux, aut imago crucifixi Salvatoris nostri honorari & coli possit, cùm Deus expressè quondam mandaverit: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum.* Exod. 20. 4.

Respondetur cum unanimi Ecclesiæ, Conciliorum & SS. Patrum sensu & consensu, SS. Crucem, aut imaginem crucifixi JEsu cum certo respectu ad ipsum prototypon, seu exemplar quod proponit, esse colendam cultu latriæ, NB. non absoluto, sed respectivo, eò quòd talis cultus & adoratio crucis non in lignum aut materiam, sed in ipsum suum prototypum, videlicet crucifixum JEsum tendat ac referatur. Ita Concilium Nicænum, quod fuit œcumenicum: *Honor imaginis resultat in prototypum*, ex quo pariter hi duo versiculi in latinum translati sunt:

Effigiem Christi, cùm transis, semper honora,
Non tamen effigiem, sed quem designat, adora.

3. Ita olim Jacob Patriarcha, è vita mortali nunc brevi discessurus, fastigium virgæ Josephi Ægyptiorum Pro-Regis adoravit: *Fide Jacob, moriens, singulos filiorum Joseph benedixit: Et adoravit fastigium virgæ ejus*; ubi observandum, quòd non immediatè virgæ attribuerit honorem, sed Josepho præsenti, imò ipsi Christo, olim in virga crucis orbi universo dominaturo, quem tunc Jacob ex virga Jesse nasciturum non obscurè prævidit: & ideò, ait Cornelius, *quasi in imagine sua repræsentatum adoravit.* Hebr. 11. 21.

Ita Regis imago, purpura, sceptrum, corona, thronus demisso osculo, imò & genu flexo ab ipsis Sectariis adorantur, quem honorem non utique lapidi, ligno, picturæ, auro aut vestimento, sed ipsi Regi deferre cupiunt, quem tantoperè in sua imagine honorant; Certè Angli etiam vacuo throno regio regios exhibent honores, quem nunquam prætereunt, quin illum poplite flexo & humili corporis inclinatione venerentur.

Audi S. Ambrosium dilucidè de hac materia scribentem: *Qui inquit, imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus imaginem coronavit; & qui statuam contempsit Imperatoris, Imperatori utique videtur feciisse injuriam.* Sic qui veneratur imaginem Christi, Christum utique videtur honorare, qui verò ejusdem imaginem contemnit, Christum spernit & contemnit, quia honor, qui defertur imagini, in eum redundat, cujus imago est, & è contrario contumelia, quæ statuæ infertur, in eum redundat, cujus est statua. S. Ambros. serm. 10. in Psal. 118.

4. Et

4. Et quid dico? An non illud vexillum in pretio habetur, per quod hostes patriæ debellati, civésque in libertate à graviſſimo jugo fuerunt asſerti? Sic videmus ejusmodi victricia ſigna, ac glorioſa trophæa Romæ in Vaticano ac paſſim in aliis templis ante ara ſuſpenſa, ut civibus & populo Chriſtiano in memoriam hanc vel illam à barbaris obtentam renovent victoriam. Ita ille gladius, quo David Goliathum ſuperavit, ab Hebræis, tanquam res Deo ſacra, in tabernaculo poſt Ephod, pallio pretioſo involutus, pro memoria & ſigno erga Deum gratitudinis, ob obtentam victoriam & reparatam populo ſalutem rectè aſſervatus fuit: *Ecce hìc gladius Goliath Philiſtæi, quem percuſſiſti in valle terebinthi, eſt involutus pallio poſt ephod &c.* Et cur, obſecro, nos Catholici, qui in cruce à Chriſto redempti, & à ſervitute diabolica in libertatem filiorum Dei aſſerti ſumus, non pariter hoc ſalutis ſignum ac trophæum debitâ veneratione colamus, & publicè devotioni fidelium ad renovandam redemptionis noſtræ memoriam in Eccleſia proponamus? Non quòd lignum aliquo religioſo ſit dignum honore, ſed ille, qui pependit in ligno omni dignus eſt honore.

1. Reg. 21. 9.

5. Accedit, quòd uſus SS. Crucis, aut imaginum crucifixi Salvatoris noſtri omnibus fidelibus ſit valde utilis, quia inſtruunt ſimplices & rudiores in fide, quibus Crucifixus pro libro eſt; admonent inſuper ſcientes ac doctiores, ne Dominicæ obliviſcantur paſſionis, quia objecta movent ſenſus. Afficiunt & excitant omnes veros Chriſtianos ad amandum, colendum & imitandum crucifixum JEſum: *Sapè uſuvenit*, ait S. Damaſcenus, *ut Domini paſſionem animo minimè verſantes, conſpectâ Chriſti crucifixi imagine, in ſalutiferæ paſſionis memoriam redeamus &c.*

S. Damaſc. de fide Orthodoxa.

Neque hìc periculum aliquod idololatriæ timendum eſt, cùm SS. Crucem, aut imaginem crucifixi Domini non ut idolum veneremur, ſed omnem honorem in ipſum prototypum cultu relativo & religioſo referamus; ſicut enim imaginem Cæſaris propter Cæſarem, ita etiam veneramur imaginem Chriſti propter Chriſtum. Audi S. Auguſtinum rem explicantem:

S. Aug. l. 2. de viſit. infirmor. c. 2.

Nec Deus eſt, nec homo, præſens, quam cerno, figura,
Sed Deus eſt & homo, quem ſignat ſacra ſigura,
Hanc & ego veneror; JEſum quoque ſemper adoro.

6. Cæterùm obijciunt Sectarii & crucis inimici: Crux Chriſti & effigies Crucifixi cum cæteris paſſionis inſtrumentis potiùs ſunt execranda, quàm honoranda; rationem addunt, quia pientiſſimo orbis Redemptori attulerunt dolorem & ignominiam: & quis Filius illud honoret patibulũ, in quo dilectus ejus pater fuit ſuſpenſus? Sed reſpondetur?

Crux

Crux & cætera passionis Dominicæ instrumenta esse, & fuisse signa Christi in nos amoris vehementissimi, quia se illis ob salutem nostram voluntariè subjecit, insuper sunt pignora tam nobilis triumphi de peccato, morte & diabolo, & ideò talia à nobis cultu respectivo adorari. Ad confirmationem dicendum: Si pater voluntario rempublicam, imò & orbem liberasset supplicio ab interitu, & hac ratione suam nobilitasset familiam, posset sine dubio illius filius instrumenta mortis ejus honorare, quemadmodùm nos honoramus crucem, & Crucifixi imaginem.

7. Sed pergunt Sectarii urgendo, prout opinantur, prædictum argumentum: Quare, inquiunt, nos Catholici non quoque asinum veneremur, supra quem Christus Dominus in Jerusalem quondam vectus est? Cùm sit eadem ratio crucis & asini? Respondeo ad hanc impiam & stolidam objectionem, quòd nos Catholici, quorum fides in toto terrarum orbe rutilat, libenter ejusmodi asinum, utpote omnis religiosi honoris incapacem istis Sectariis relinquamus, tanquam proprium illorum reliquiarium, hunc ipsi venerentur, colant & exosculentur, per nos licet. Nos verò Orthodoxi cum Apostolo non in alio signo gloriamur, quàm in cruce Domini nostri JEsu Christi, in qua mundum ab interitu vindicavit, in qua Christus triumphavit, & morte sua mortem superavit in æternum. Gal. 6. 14.

8. Finio: Hanc igitur SS. Crucem divino cruore purpuratam & sanctificatam non propter se, sed propter illum, qui in ea pependit, humiliter veneremur, non obstante, quidquid in contrarium blaterent & obganniant impuri Sectarii. O bone Deus! colunt hi miseri & obcæcati, planéque adorant suarum venerum effigies ac reliquias, quas in brachio, vel in collo ad pectus suspensas, aut in hypocausto (loco Crucifixi) expositas tenent, ex quarum aspectu lætantur, & in effrenes, velut equus & mulus, dissolvuntur cupiditates; Et Christus JEsus & hic Crucifixus ante illorum oculos sit proscriptus & eliminatus? *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati, ante quorum oculos JEsus Christus proscriptus est in vobis crucifixus?* Gal. 3. 1.

Audiant pro coronide hujus Considerationis omnes hæretici & crucis inimici, quorum Deus venter est, & finis interitus, quam tremendam sententiam S. Paulus in ejusmodi crucis Christi osores pronuntiaverit: *Verbum crucis*, ait, *pereuntibus quidem stultitia est, bis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est.* 1. Cor. 18.

CONSIDERATIO CLXII.

De encomiis, quibus SS. Patres crucem Dominicam exornant, quæ servire possunt pro pluribus conceptibus.

O crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam cœlitem nobis præparâsti. Ecclesia.

1.

Psal. 98. 5. RECTÈ David: *Exaltate Dominum Deum nostrum: Et adorate scabellum pedum ejus: quoniam sanctum est.* Scabellum pedum Dei olim erat arca Dei, supra quam erat propitiatorium, quia misericordia supereminet in Christi operibus. Si tanto honore David & Hebræi arcam prosequebantur: quantò magis nunc à Christianis honoranda erit SS. Crux Dominica, per quam salvati & liberati sumus? Audi Hugonem Cardinalem: Et adorate scabellum pedum ejus, id est, crucem sanctam, cui pedes Domini confixi steterunt; hoc autem scabellum adorat, qui pœnitentiam reverenter agit: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.*

Hugo Card. hìc.

Psal. 131. 7.

2. Idem David Turrim fortissimam ac munitissimam in Sion ædificavit cum propugnaculis: *Mille clypei pendent in ea omnis armatura fortium.* Quid aliud dixeris, ait Sandæus, esse passionem & crucem, quàm Turrim Davidicam in Sion erectam, tum in refugium civibus & amicis in tutelam admittendis; tum in conversatione armorum bellicorum, è qua subministrentur ad omnem usum. Et nunquid, anime mi, tempore belli summoperè necessarium est armorum repositorium, unde sumantur ad propulsandum hostem, & defensionem sui arma convenientia. Tempus belli est tempus vitæ nostræ, quamdiu enim vivimus, bellandum nobis est cum mundo, carne, cacodæmone, aliisque hostibus. Nec desunt arma omnis generis, quibus possumus resistere,

Cant. 4. 4. Sandæus in Ascet. Dec. 4.

sistere. Sta hìc Lector prudens & Staurophile, & pio mentis & corporis oculo crucifixum JEsum intuere; hic invenies turrim fortissimam in Sion erectam; Aspice SS. Vulnera ejus, tanquam tutissima receptacula: Contemplare clavos, lanceam & cætera passionis instrumenta, & experieris, quòd mille clypei pendeant in ea, & omnis armatura fortium; Quare ergo timidus es, & hostem invadentem times? Ecce ipse Dominus, & hic Crucifixus est: *Turris fortitudinis à facie inimici.* Psal. 60. 4.

3. Tremenda est illa æternæ Veritatis sententia: *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Ecce quàm difficile sit divitem salvari? Quid ergo illis faciendum? Deponant opum suarum gibbos in manus pauperum, se humilient, de peccatis conterantur, & per gratiam Dei ingredientur per foramen acûs in cœlum, hoc est, per Christum crucifixum, qui secundùm S. Paschasium & Hugonem Cardinalem est illa acus, per cujus foramen & SS. Vulnera introire possunt in regnum cœlorum; unde Hugo: *Per foramen acûs, id est, fidem Vulnerum Christi, qui in adventu primo perforatus est, & in secundo perforabit ad modum acûs.* Matth. 19. 23. Hugo Card. hic.

4. Job vir patientissimus inter tot persecutiones, rerúmque adversitates ac corporis dolores per annum ferè integrum constitutus, à Deo flagitavit, ut in statera justa appenderetur: *Appendat me in statera justa, & sciat Deus simplicitatem meam*, id est, innocentiam meam. Job. 31. 6.

Job Christi, viri dolorum typus fuit, hic in statera appensus est: cùm crucifixus est, ut in ea peccata omnium libraret, & exsolveret; cum quo & duo latrones crucifixi sunt, unus à dextris, & alter à sinistris: *Erat autem*, ut præclarè commentatur D. Chrysostomus, *medius Salvator, tanquam statera veritatis unum elevans confitentem, & alterum blasphemantem condemnans.* Ecce duo erant ad latus Christi, unus convertitur, quis non speret? unus damnatur, quis non timeat? Etiamsi sit apud JEsum Crucifixum?

4. Adam, ubi post peccatum admissum vocem Domini in paradiso deambulantis audivit, sine mora *abscondit se & uxor ejus à facie Domini Dei in medio ligni paradisi.* O Adam! quid hoc? quare asylum tuum ponis, & quæris sub caducis & inanibus foliis, & quidem contra faciem irati & omnipotentis Dei, quomodo ista te folia protegent? Gen. 3. 8.

2. Diez: Ex eo tempore videtur Dominus peccatoribus cognitionem quandam dedisse, quâ perciperent, asylum ab ira Dei optimum fore sub arbore vitæ, id est, cruce. Proinde rectè S. Joannes Damascenus: Lignum, inquit, illud vitæ, quod à Deo in paradiso consitum est, præclaræ crucis figuram gessit; quoniam enim morti aditus per Diez hìc. S. Jo. Damas. l. 4. c. 12.

lignum patuerat, consentaneum erat, ut per lignum quoque vita & resurrectio donaretur.

Cant. 8. 5. 6. Vox Sponsi ad Sponsam: *Sub arbore malo suscitavi te*; per quam arborem malum omnes Patres arborem crucis accipiunt; voluit enim Deus congruo suæ justitiæ & Sapientiæ decreto Christum non gladio, non igne, non lapidibus, non alio tormento, quàm ligno crucis occidi, ut commissum in ligno à protoparentibus peccatum per lignum crucis expiaretur, *ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.* Unde non incongruè Philo Carpathius: Hæc malus salutifera, ait, si ad arborem respicias, Crux est humanæ salutis authrix, in qua salus mundi, Authórque pependit. Si verò ad pomum ejus, ad fructum suavissimum, atque sanctissimum, cœleste totum, & salutare malum corpus est JEsu Christi.

Philo Carpat. hìc.

Levit. 14. 1. 7. Levitici decimo quarto describitur ritus lustrationis, quo olim homo leprosus legaliter erat purgandus; ubi Sacerdos expiandum aspergebat Sanguine passeris occisi, & quidem per alium passerem vivum, alligatum baculo cedrino, cum cocco & hyssopo, quem passerem vivum in aëra avolare sinebat; & sic leprosus mundabatur. Cornelius à Lapide allegoricè per lepram peccatum intelligit, per cedrum crucem, per coccum Sanguinem Christi, per hyssopum gratiam Spiritûs sancti. Passer vivus adumbrabat Deitatem in Christo, passer moriens humanitatem ejus, hæc enim pro lepra peccati nostri in ara crucis immolata.

Exod. 32. 15. 8. De Moyse refert Scriptura: *Et reversus est Moyses de monte portans duas Tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte.* Neque hoc caret mysterio, quia omnia illis facta sunt in figura. ℟. B. Petrus Damiani per duas illas Tabulas crucem Dominicam subaudiri: *Ipsæ Tabulæ*, inquit, *quæ Dei digito scriptæ sunt, crucis Dominicæ prætulerunt Sacramentum: Denarius enim numerus per X. literam, quæ crucis exprimit speciem, designatur.*

B. Petr. Dam de Invent. S. Crucis.

9. Adam & Eva, protoparentes nostri ubi contra expressum Dei mandatum in paradiso peccarunt decerpendo vetitum fructum de arbore scientiæ boni & mali: *Tunc facta est arbor illa*, ait Simon Cassianus, *scala descendens in barathrum.* Et quid in hac re desperata remedii? ℟. idem: *Crux facta est scala ascensionis in cœlum.* Unde S. Hieronymus: Ille pependit in ligno, ut peccatum, quod commiseramus in ligno scientiæ boni & mali, ligno deleret appensus, & nobis de scala barathri pararet scalam usque ad cœlum.

Sim. Cass. l. 13

S. Hier. l. 12 c. 3. in ep. ad Galat.

10. Jacob Patriarcha ubi mirabilem illam scalam vidit à terra usque ad cœlum pertingentem, & in ea Angelos DEI ascendentes & descen-

descendentes, atque in supremitate illius ipsum Dominum innixum scalæ, evigilans de somno exclamavit: *Terribilis est locus iste: Verè hìc non est aliud nisi domus Dei & porta cœli.* Gen. 28. 17.

Tertullianus libro de fuga existimat Jacobum vidisse in hac visione Christum, qui est domus Dei, & simul porta, per quam intramus in cœlum. Hugo Cardinalis per domum Dei & portam cœli sanctam crucem Dominicam intelligit: Non est hìc aliud, inquit, nisi domus Dei, & porta cœli: Crux dicitur domus Dei, quia in ea habitant filii Dei. Et pergit: Porta cœli dicitur, quia nonnisi per eam intratur in regnum, unde Act. 14. Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum cœlorum; & Psal. 117. Hæc porta Domini, justi intrabunt per eam, & nonnisi per crucem, per quam solùm venitur ad lucem. Hugo Card. hìc.

11. Rectè Salvator orbis: *Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio: Sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant.* Christus lux est; *Ego sum lux mundi*, Candelabrum Crux, in qua exaltatus est; ita Hugo Cardinalis: Candelabrum Crux est, super quod fuit posita lucerna ad illuminationem totius Ecclesiæ, dum in crucem actus est: Et idcircò, ait Alvarez, tempore Passionis obscuratus fuit sol, quia soli crucis radii digni erant, qui & orbem & oculos hominum illustrarent. Ideò & ad finem mundi sol obscurabitur, *quia tunc apparebit signum Filii hominis.* Luc. 11. 33. Jo. 8. 12. Hugo Card. hìc. Alvarez. III. 322. Matth. 24. 30.

12. Vidit quondam Joannes quatuor Angelos, quibus datum est nocere terræ & mari; & dum quatuor orbis ventos tenerent, ne flarent ampliùs super terram, supervenit alius: *Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis: Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* S. Ambrosius censet hunc Angelum ab ortu Solis ascendentem, & signum Dei vivi habentem, fuisse Christum; magni consilii Angelum, hic Electos & servos suos, imò omnes Beatos in cœlo in frontibus signare solet signo crucis, hoc enim est signum Dei vivi, per quod redempti, & salvati sumus, *ut significetur*, ait Cornelius? *eos meritò crucis, tam Christi quàm suæ cœlum possidere.* O beati, qui habitant in domo tua Domine! Apoc. 7. 3.

CONSIDERATIO CLXIII.
ET FINALIS.

Invocatur SS. Crux pro gratia Finali & totum opus concluditur.

Ne projicias me à facie tua. Psal. 50.

1.

Luc. 16. 24. DIves Epulo rogavit Patrem Abrahamum, ut mitteret Lazarum, qui extremum digiti aquæ intingeret, & linguam suam aridam & siccam refrigeraret. Qualis hæc est petitio? quid prodest unica guttula ignitis faucibus? Cur non totum digitum aquæ intinctum, aut volam manûs aquâ plenam postulat? mysterium latet! Audiamus doctissimum Raulinum: per extremum digiti intelligitur gratia finalis, ait: hábet digitus tres articulos, primus significat gratiam prævenientem, secundus continuantem, tertius finalem. Felicem se fore scivit Epulo, si hanc impetraret. Verùm ô imprudens! invocasses extremum crucis, ibi suffixum sanctissimum nomen JEsu, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Quod miserrimus iste, & æternùm infelix homo non impetravit, hoc submissè à te postulo, ô mi JEsu, extremum digiti, extremum crucis mihi confer, id est; gratiam tuam salvificam in ultimo mortis articulo. Ah! *ne projicias me à facie tua!*

Raulin. serm. 54. quadr.

Psal. 50.

2. Philistæus ille gigas viribus suis innixus provocavit virum unum ex Israelitis ad singulare certamen: *Eligite ex vobis virum & descendat ad singulare certamen.* Variæ sunt hujus loci expositiones à SS. Patribus allatæ, sed sumo unicam Titelmanni. Goliath dæmon est, inquit, hic ad singulare certamen nos solos provocat, quasi dicat: Venite sine Deo, sine Dei gratia, & ego indubitanter mihi victoriam promitto. Audiamus verba Titelmanni: *Nullus ex vobis animosi tate proterva ineat hoc certamen: non est enim qui ad hoc sufficiat, non enim timet nos solos adversarius noster, idcircò fidenter provocat ad singulare certamen.* Ita est! Ego protestor contra hanc provocationem! solus tibi non compareo infernalis adversarie, nam *va soli quoniam si ceciderit, non habebit sublevantem se.* JEsum meum adjutorem invoco, hic me non derelinquet in ultima illa & periculosa

1. Reg. 17. 8.

Titelmann. apud Mich. de Calvo conc. 38. §. 1. n. 12.

Eccl. 4. 10.

periculoſa lucta. Quisquis autem non deſeritur à gratia JEſu, ille *non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in porta* æternitatis. Pſal. 126.

3. Elias minas impiæ Jezabelis fugit, timens ac tremens ita deſpondit animum, ut ſub arbore, ſub cujus umbram ſe projecit, mori peteret: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam.* Quid? An hic Vir eſt prodigioſus Propheta potens opere & ſermone, qui cataractas cœli clauſit, & recluſit? *Ubi eſt illa conſtantia?* Quærit admirabundus Eucherius: *ubi libertas?* Nempe ſubintrat hìc S. Gregorius, Dominus Deus voluit luculenter eì oſtendere, quid Elias eſſet ſecundùm ſe, & quid eſſet cum adjutorio divinæ gratiæ: *In illis virtutibus Elias, quid de Deo acceperat; in iſtis infirmitatibus, quid de ſe ipſo poterat, agnoſcebat.* Homo ex ſe nihil valet, & ſolùm cum adjutorio gratiæ fortis eſt. O infelicem illum, quem juratus noſter hoſtis, qui *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*, in ultima hora ſine gratiæ auxilio deprehendit! 3 Reg. 19. S. Euchere apud Barz. ſerm. 32. S. Gregor. l. 19. Mor. cap. 5. 1. Petr. 5.

4. Verùm conſultò egit Elias, quòd æger & infirmus ac diuturno itinere fatigatus ſub umbram arboris ſe projecerit: Nam ibi laſſus, ac viribus deſtitutus refrigerium, ſolamen, ac confortamentum recepit. Per hanc arborem Rupertus Abbas intelligit figuram SS. Crucis. Èn! Crucifixe Salvator, ſub umbra ſalutifera crucis tuæ proſternor! Septuaginta annorum iter confeci, jam totus laſſus ſum, ac languidus: hebetantur oculi, orexis decreſcit, cor palpitat, manus tremunt, pedes labaſcunt, vires franguntur, & prodromi mortis fores pulſant. Quid aliud exſpecto niſi cibum fortium, cibum confortantem, ut *in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei.* Rupert. l. 5. cap. 10.

5. Sunamitis illa ad Eliſæi pedes provoluta, eosdémque tenens, ac conſtringens magna fiducia ac ſpiritûs efficacia dicebat: *Vivit Dominus, & vivit anima tua, non dimittam te!* Sicque in oratione perſeverans filium redivivum recepit. Admiror fiduciam pauperculæ animulæ, ſed dum admiror, doctiſſimus Speranza mei me officii admonet, inquiens: *Ita fidelis anima ad Crucifixi pedes cum Sunamitide oret: Non dimittam te, niſi hanc mihi gratiam conceſſeris.* Obſequor monenti. En Crucifixe JEſu adgeniculor ſanctiſſimis pedibus tuis, hos ſtringo, & amplector, *non dimittam te, niſi benedixeris mihi.* Non rogo vitam corporis, ſed animæ: Salva me non propter me, ſed propter te: Memento guttulæ illius ſanguineæ, quam in Paſſione tua ſuper hanc miſeram & peccatricem animam effudiſti: Ne intres in judicium cum ſervo tuo, *ne quando* in tui, ac mei confuſionem, *dicat inimicus meus, pravalui adversùs eum.* 4. Reg. 4. 30. Speranz. ſcript. ſel. punct. 6. Gen. 32. Pſal. 12. v. 5.

6. Jam grates tibi rependo infinitas, infinite Deus, pro infinitis beneficiis per ſeptuaginta annos mihi collatis: tu tot mihi præſtitiſti bene-

beneficia, quot momenta, utinam centuplicata, & millies augmentata in te poſſem refundere. Laudent te pro me fideles creaturæ tuæ, & omnium creaturarum, etiam irrationabilium corda in te rapiantur! Laudet te tota cœleſtis curia, cum qua per ſanctiſſima merita tua ſpero, & *credo videre bona Domini in terra viventium.*

Pſal. 26. 13.

7. Doleo ſummè de omnibus malis, quæ per me patrata ſunt, ea revoco, retracto, & abominor ex amore tui puriſſimo, & hos dolentis animi gemitus unio cum doloribus omnium verè pœnitentium. O utinam meo ſanguine extergere poſſem, quæ mala commiſi! gaudeo ſummè, ſiquid boni per me factum eſt, idque omne in te refundo, ô bone Deus, qui auctor es, fons, & origo omnis boni: *Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Pſal. 113.

8. Denique hoc opus meum ultimum ad SS. Pedes tuos ſubmiſſiſſima veneratione depono. Si benè de te ſcripſi, ô Crucifixe Amor mi, non aliam mercedem à te peto, niſi te; Si malè, ignoſce miſero, & memento infirmitatis meæ! cogitavi quidem ad ducentas conſiderationes aſcendere, ſed tu Domine arbiter vitæ, & mortis mihi præcipis: Manum de tabula? acquieſco igitur divinis tuis conſiliis, & te vocantem in æternitatem ſequor, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*, qui mihi meus ſit vivendi, moriendi, & ſcribendi

FINIS.

AP-

APPENDIX

Seu

EPITOME VITÆ

Venerabilis Domini Antonii Ginther Decani, & Parochi ad SS. Crucem in Biberbach.

§. I.

Parænesis ad Lectorem.

NE quæso, amice Lector fastidioso contemptu has pagellas aversare, quibus ad calcem hujus ultimi, & posthumi operis tibi auctorem describere libuit. Si scribentis institutum, scopúmque penitiùs consideres, carpere, ut opinor non poteris, quod plurium deliberato consilio, collatísque rationum momentis susceptum est. Quæris? quæ rationes impulerint, ut hanc vivendi methodum, quem venerabilis hujus operis Author tenuit, succincta descriptione enarrare aggrediar? paucis responsum cape.

Primò quidem, & ante omnia me commovit debitus, ac supremus divinæ Majestatis honor, quæ, cùm sit principium, & finis, fons & origo omnium bonorum, certè præcipuam gloriæ partem sibi vendicat, quotiescunque per creaturas suas bonum aliquid, ac laudabile operatur. Creaturæ omnes non nisi instrumenta sunt, utique ex se infirma nimis & debilia, quia ad divinæ gloriæ exaltationem nihil valent, nisi Dei, qui principalis agens est, adjutorio excitentur. Id expressum voluit divina Veritas Christus disertis verbis inquiens: *Sine me nihil potestis facere*, supra quæ verba commentans divus Augustinus: *Non ait, sine me parùm potestis facere, sed nihil potestis facere; sive ergò parum sive* Joann. 15. S. Aug. hic.

sive multùm sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. Illi laus, honor, & gloria.

Altera ratio & finis, qui ad hanc scriptionem impellere poterat, est pia æmulatio eorum, quos idem vitæ institutum ad eosdem labores Apostolicos & animarum lucra adstringit: ideò enim sanctorum, justorúmque hominum gesta, & vitæ decursus nobis ante oculos ponuntur, ait sanctus Thomas de Villanova, ut ad similes virtutum actus legentes excitentur. Quod si magnam habeat trahendi animos afficaciam exemplum eorum, quos nunquam vidimus, nunquam audivimus; quantò vehementiori stimulô trahent exempla eorum, quorum insignes res gestas, laborésque pro Deo susceptos propinquiore obtutu licuit contemplari?

S. Tho. Vill. de S. Nicol.

Tertia, eáque meô judicio non absurda ratio est qualis honor, & existimatio Ordinis Ecclesiastici, cujus ille, quem describo, gemma, decúsque fuit. Et ut argumento utar à contrario audi, qua ratione Gentium Apostolus Discipulum suum Titum commonuerit: *In omnibus*, inquit, *præbe teipsum exemplum bonorum operum, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ubi signanter notare oportet verba ultima: *de nobis*: Quid enim? Si Titus perperam agat, an non in se solum linguas maledicorum acuet? An etiam aliis sequiorem famam conscisset? omninò conscisset: dicere vult Apostolus teste Ayllonio: Mi Tite, si pravum vitæ exemplum præbeas, *non de te solùm, sed de omnibus doctrinæ Evangelicæ ministris* siniſtra, & minùs honorifica opinio concipietur. Quæ cùm ita sint, & unius delictum singulis nigrum theta inurat, profectò è contrario non tam illiberalis est virtus, non radios suos omnes in se resorbeat, & non etiam in alios, quos idem vitæ institutum decorat, quodammodò effundat.

Tit. 2.

Ayllon. hic. num. 9.

Hæc rationum momenta mihi calamum in manus tradiderunt, quibus perspectis absit à te, prudens Lector, ut his paginis indigneris, quin potiùs mecum deplora, quòd non frequentiores sint calami, qui res ejusmodi memorabiles, ac insignia facta colligant, sed æternæ oblivionis tenebris obrui permittant.

Et quoniam historiæ anima Veritas est, paucis percipe, quibus fontibus hæc, quæ scribo, hauserim: Hausi videlicet tum ex manuscriptis eorum, qui operæ pretium duxerunt ultimo præsertim tempore ea annotare, quæ singulariter notatu digna de illo audire, videre & comperiri licuit: tum ex vivis testimoniis eorum, qui eadem domo, mensa, ac diuturna familiaritate cum illo usi sunt. Lege, fave, & Deum lauda.

§. II.

§. II.

De ejus Natalibus, & pia educatione.

ETiamsi non magni referat, prout asserit devotissimus Ludovicus Granatensis, scire, quibus parentibus orti sint Dei servi, cùm cœlesti Patre glorientur, & nobilitatem suam non tam in progenitorum sanguine, quàm virtute constituant, asserente divo Hieronymo: *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus*: Nihilominùs, quia vel patria à suis civibus, vel parentes à sua sobole laudem, commendationémque contrahunt, utrosque manifestare scriptoribus usitatum est. Venerabilis Antonius non nobilibus quidem, sed honestis parentibus ortum traxit Fridbergæ, oppido in limitibus Bavariæ, quà Sueviam respicit, consito. Annus post genitam mundo salutem supra millesimum sexcentesimus quinquagesimus quintus illi vitam dedit, & ferè unà eripuit: quippe pia Mater gravissimis partûs doloribus ægra diu inter vitæ, mortisque confinia luctabatur: una fuit medicorum, una Chirurgorum vox, miseram parentem non parituram, sed perituram. Quid agit illa in periculoso rerum articulo? Anna illa, de qua Regum fasti, ut infœcunditatis maculam abstergeret, & prole gauderet, *Votum vovit*, se filium, si ei daretur, per omnem vitam obsequio divino mancipaturum: Et profuit vovisse: quippe magnum Prophetam Samuelem Virum potentem verbo, & opere in lucem edidit. Eadem ratione pia illa parens, desperatâ humanâ ope ad cœlestem confugit; Sancto Antonio Thaumaturgo prolem devovet, spondétque, si mascula sit, suo tempore sacerdotem fore. Voti confestim domnata est: partum feliciter enixa in sacro regenerationis latice nomen Antonii illi imposuit.

Lud. Granat. in Vit. Avil.

S. Hier. Epist. 14.

1. Reg. 1.

Cùm Dominus Deus parentibus sobolem largitur, ait sanctus Basilius, quid aliud est, nisi mollem ceram illis in manus tradit, quam bonæ doctrinæ, & laudabilium morum figura excolere debent? Id singulariter sibi dictum putans pia Antonii Mater, prolem à teneris ita instituit, ut unà cum ætate adolesceret in illo devotionis, & rerum sacrarum amor. Hac de causa per omnem vitam sæpe sæpiùs auditus est dicere, se primas virtutis radices implantationi, & solicitæ educationi suæ matris in acceptis referre.

S. Basil. reg. disp. 5.

§. III.

De illius adoleſcentia & Vocatione.

POſtquàm provehentibûs annîs ad litterarum ſtudia incumbere cœpit, inter illa ætatis diſcrimina ſedula ſolicitudine cavit, ne ab eo fine & ſcopo unquam abluderet, ad quem votô nuncupatô eum pia Mater ab infantia deſtinarat. Litterarum eruditione plurimos, morum candore, & innocentia fere omnes coætaneos ſuperavit.

Verùm adverte vafritiem ſtygii Cavernionis, qui quantò candidiores reperit animas, tantò avidiùs exerit vim ſuam nocendi, affir-
Habac. 1. 16. mante Propheta: *Cibus ejus electus.* Contigit aliquando, ut conſodalium hortatu ad theatrum publicum circumforanei agyrtæ accederet, ubi hiſtrionicus joculator, neſcio quos ructus honeſtati minùs conſentaneos populo applaudente effutiebat: Riſit ad hæc juvenili levitate Antonius, ſed riſu, qui poſtliminiò prolixis lacrymis ſtetit. Quippe ibi confeſtim in ipſa conferta hominum multitudine gravi hernia percuſſus cum Saulo recenter converſo luculenter advertit, ſe ad altiora, quàm has mundi immundi fabulas à Deo deſtinari.

Mirare hìc mecum, amice Lector, Providentiam Dei diſponen-
Sap. 8. 1. tis omnia ſuaviter, & perducentis ad finem fortiter: Victoriam ſperabat dæmon, ſi juvenilem animum hac, quam diximus, perverſione labefactaret, & hos ipſos nocendi conatus providiſſima Dei bonitas in ſuam gloriam, & animarum ſalutem convertit, ita ut hanc in rem
Card. Dam. quàm optimè uſurpari poſſint verba ſancti Cardinalis Damiani: *Inde*
ſerm. 2. de S. *adverſarius noſter obtemperat nutibus ſuperna gratiæ, unde exercet iram nequiſſima*
Vital. Mart. *voluntatis ſuæ.* Hæc divinæ dexteræ percuſſio cautum fecit Antonium,
Act. 9. v. 6. & clamare docuit cum Apoſtolo: *Domine, quid me vis facere?* Hæc animum illius ab omni immunditiæ fuco ita abalienavit, ut per omnem vitam perennaret conſtans caſtimoniæ exemplar. Quod mirabiliùs eſt, hæc ipſa afflicti corporis calamitas fax illi, & lucerna fuit ad agnoſcendas vitæ ſemitas, ad quas Dei vocantis deſtinatione fuit electus, Sæpe ſæpiùs anhelabat ſacros Aſceteriorum receſſus, & impetrare admiſſionem præ mille aliis poterat, quem pietas, & ſtudiorum eruditio præ mille aliis commendabat; ſed aditum illi præclauſit hæc corporis afflictio. Suſcepto autem Sacerdotio, poſtquàm periculoſam hanc ſarcinam undenis omninò annis circumtulit, ecce! à Thaumaturgica cruce Biberbacenſi prodigiosè liberatus, plenam valetudinem conſecutus eſt, ideò multoties dicere auditus, ſe habere ſignum propemodùm evidens, quòd Dominus DEus ex immenſo ſuæ bonitatis abyſſo ſe ad hanc, cui inſudabat, vineam delegerit. §. IV.

§. IV.

De ædificatione Ecclesiæ Parochialis in Biberbach: & itinere Romano.

BIberbachium celebris Dynastia ad Illustrissimos Dominos Fuggeros pertinens duobus milliaribus Augustâ Vindelicorum abjacet: Huc circa annum post reparatam salutem millesimũ quingentesimum vigesimum quintum sæviente per vicinam Wirtenbergiam leonoclastrum furore per Catholicum aurigam delata, & in veteri Ecclesia Parochiali collocata est perelegans Christi crucifixi imago, quæ primitùs hìc à fidelibus religiosè culta, postliminiò pro calamitosa temporum varietate, bellô præsertim Suecicô extra templum ejecta, illusa, & conculcata, denique sub tectum templi reposita est, ubi per triginta novem annos inter pulveres, & aranearum texturas ignota delituit.

Elegit itaque Deus hunc suum famulum, ut lucernam istam sub modio absconditam in lucem protraheret: protraxit felici auspicio, & publico cultui denuò exposuit. Et ecce: crescebat indies multitudo fidelium huc piè confluentium, & à crucifixo gratiarum largitore insignia beneficia reportantium. Quare cùm successu temporis capiendo populi confluxui vetus Ecclesia par haud esset, ille novam meditari cœpit, id sibi dictum ratus, quod olim Salomoni: *Elegit te Dominus, ut ædificares domum Sanctuarii, confortare, & perfice.* Paralip. 28. 10.

Verùm ubi sumptus? ubi subsidia pecuniaria? *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare non priùs sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum?* Respondeo: Non in humanis auxiliis, non in auro, argentóque, sed in Dei adjutorio spem omnem collocabat, quod & tam luculento eventu sibi adesse expertus est, ut, quamvis initio ultrà sexcentos florenos in ærario inventi non sint, nihilominùs grandem illam fabricam ultrà viginti millium florenorum impensis constantem, à fundamentis magnificè excitatam intra triennium feliciter ad finem perduxerit. Insolita prorsùs eluxit Dei providentia in construendo hoc opere, quod pro ærario non aliud habuit, nisi fidelium liberalitatem. Sæpe cùm ad ultimum ferè obolum exhaustâ crumenâ metuebatur totum opus sufflaminatum iri, inopinatò adfuêre, qui ope & operâ, consilio & labore machinam promovebant, donec omnibus numeris absoluta unà cum prælta turri sursùm consurrexerit. Quapropter meritò supra portam templi aureis, ac trabalibûs litteris inscriptum est illud Psalmi: *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Luc. 14. 28. Psal. 117.

Inter omnes tamen benefactores, qui ad extruendam domum Domini liberali manu concurrerant, liberalitatis palmam ferè omnibus eripuit venerabilis Antonius: vix vitæ neceſſariis ſibi relictis tum è patrimonialibus, tum è parſimonialibus bonis ſucceſſivè ultra quatuor florenorum millia impendit. Taceo immodicos labores, hortationes, preces, ac diurnam nocturnámque ſolicitudinem, qua laborantium operas excitabat, conſilio, ope, & præſidio adjuvabat.

Ad finem perducto externo opere de interiori ornatu ſolicitudo erat: Et ecce! generoſum illius conſilium! operoſo itinere Romam pergit, ubi aliquandiu inter cultum ſacrorum locorum piè verſatus, & paulò pòſt ab Eminentiſſimo Cardinale Mareſchoto in ſacellanum domeſticum cooptatus, tandem hujus ſui Mœcenatis operâ ad conſpectum, affatúmque Romani Pontificis tum temporis Innocentii XI. admiſſus eſt. Illi ſacroſanctæ Crucis Biberbacenſis iconem tradit, ejúsque ortum, ac progreſſum nec non prodigioſam beneficentiam compendioſa enarratione deſcribit, tam auſpicato ſucceſſu, ut quinque ſanctorum Martyrum corpora, illuſtre illud Eccleſiæ Biberbacenſis ornamentum dono acceperit. Acres erant Antonio ſpiritus, & amœna converſandi ratio, ita ut facilè eorum corda, affectúsque ſuffurari calleret, quibuscum familiariter agebat. Quare prædictus Eminentiſſimus Cardinalis eum in Italia detinere viribûs omnibus allaborabat, additîs magni nominis promiſsîs. Sed in Germaniam unà cum ſacro ſuo theſauro feſtinabat ille redire, qui non ſuum, ſed crucifixi honorem, non ſe, ſed animas quæritabat. Hìc quadraginta ſex annos inter labores Apoſtolicos ita exegit, ut revera frequenter repetere poſ-
Pſal. 114. ſet illud Davidicum: *Tribulationem & dolorem inveni*, laborem, & ſudorem, tædia & anguſtias expertus ſum.

§. V.

De ejus ſtudio, & ſcientia ſacræ Scripturæ.

REgius Pſaltes, dum virum beatum, felicémque deſcribit, qui in conſilio impiorum non abiit, inter cæteras felicitates primariò ei
Pſal. 1. appromittit, quòd *erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum.* Ut ſimilitudinem ritè capias, intuere arborem decurrentibus rivulis conſitam. En! ùt ſalubri humore referta, à terra humectatâ virtutem ac vividum vigorem inſugit: Floribus dives eſt, fructibus opulenta, frondibûs gravida, & ſupra cæteras arbores procera. Talis erit homo beatus, ait Pſalmographus teſte Damaſceno, qui ſacræ ſcripturæ ſuccô irrigatus ſedulò divinos illos ſenſus imbibit: Au-

diamus

diamus ſancti Damaſceni verba: *Quemadmodùm arbor plantata ſecùs decurſus aquarum, ſic anima Scripturâ divinâ irrigata impinguatur, & maturum fructum affert - - & ſemper virentibus foliis, id eſt placentibûs Deo virtutibus decoratur.* S. Jo. Damaſc. l. 4. de fide cap. 18.

Hinc nulla ratione mirum eſt, quòd homines ſancti ſacra Bibliorum volumina ferè nunquam è manibus poſuerint; perdius, & pernox erat eorum labor in his divini Spiritus rivulis deliciari.

Talis erat ſanctus Dominicus, qui crebrò tam vetus, quàm novum Teſtamentum verſabat, Fratribus ſuis ſine intermiſſione inculcans, ut ſemper ſtuderent Scripturis. Talis erat ſanctus Vincentius Ferrerius, qui totam ferè Europam peragrans, & centies millenîs hominum converſionibûs illuſtris nihil præter Breviarium, & ſacra Biblia circumferebat ad concionandum. Talis erat divus Bernardus in ſacræ Scripturæ lectionibus adeò aſſiduus, ut quidquid demum loqueretur, penè verbis Scripturæ loqueretur. Tales denique erant ſanctus Jordanes, ſanctus Edmundus, ſanctus Carolus Borromæus, ſanctus Thomas Aquinas, aliique, qui ſacros Codices non aliter, quàm Philoſophus Ariſtotelem, Medicus Galenum, Orator Ciceronem, Juriſperitus Juſtinianum aſſiduò manibûs terebant, & ex his prodigioſos ſuos virtutum actus hauriebant.

Non ſegnior fuit in Scripturarum lectione pius iſte Dei Famulus; de quo nobis ſermo eſt; à primis ſacerdotii initiis inceſſabili labore ad ſacros Codices incubuit, eo fructu, & ſucceſſu, ut ferè omnes ſacras Litteras memoriâ teneret. Ejus quatuor libri, quos ad magnam animarum utilitatem in lucem edidit, pleni ſunt Scripturis, ita ut vix linea ſit, ſine Scripturæ elucidatione: quin imò ſtylum Scripturiſticum ita imbibit, ut, ubi etiam ex ſuo loquitur, verbis, & ſtylo ſcripturæ loquatur. Ea ſedulitate in ſacro volumine erat verſatus, ut, ſiquem textum indagaret, confeſtim digitô tangeret, & ſine foliorum volutione prima ferè vice aperiret. In quotidiana converſandi ratione auditu planè jucundum, & mirabile erat, quòd nulla propemodùm diſcurrendi materia, nulla caſuum varietas in medium proferri potuerit, ubi non argumentum quoddam, aut figuram noverat interſerere ex Scripturis. Quo facto veriſſimum eſſe illud divi Chryſoſtomi comprobavit: *Sive de Rege loqui voles; ſive de militibus, ſive de re familiari, ſive de publicis, civilibúsque negotiis, videbis in Scripturis horum omnium magnam copiam. Hujusmodi commemorationes maximam afferunt utilitatem.* S. Chryſoſt. hom. 1. de David & Saule.

§. VI.

§. VI.

De Verbi divini Prædicatione, & hausto exinde fructu.

SAcrarum Litterarum notitia erat armamentarium, ex quo sua tela contra vitia, & scutum pro virtutibus deprompsit. Monet autem Spiritus sanctus per os Ecclesiastici: *Homo sanctus in sapientia permanet sicut sol.* Si quæras, quæ convenientia sit hominis sancti cum sole, percipe responsionem Melliflui Bernardi: Sicut sol, inquit, non solùm lucem, sed & fervorem diffundit, ita sacrum verbi divini Præconem non solùm scientiâ lucere, sed & spiritûs ardore efferveſcere oportet. Cætera sidera lucent tantùm absque ardore, sed quisquis populos erudit, solem imitetur, & scientiarum splendorem cum ardenti zelo conjungat, necesse est.

Eccl. 27.

S. Bern. hic.

Ita planè utrâque dote exquisitè pollebat noster sacer Orator: de sacro suggestu dicens non verborum facundo ornatu aures demulcebat: sed seria, acri, & ad majestatem composita oratione ita suavitatem dicendi cum austeritate attemperavit, ut ex verbis & sententiis singularis fervor eluceret, & audientium animos in eos plerumque affectus flecteret, quos sibi vel in odium scelerum, vel in virtutis amorem pro scopo præfixit. Ita factum est sæpissimè, ut ad finem concionis oculi maderent fletibûs, & audita suspiria testarentur, audientium animos plenè in sententiam dicentis iviſſe.

Regius Propheta David de voce Domini, per quam verbum Dei intelligere juvat, miram enuntiat sententiam: *Vox Domini præparantis cervos.* Quid dicere vult coronatus Psaltes? Respondet Vatablus, eum alludere ad fulmina & tonitrua, quæ suo fragore, & horribili luce cervam ad partum disponunt: habet hoc ex natura sua meticulosum animal, ut fœtum jamjam maturum vi reprimat, & partum differat; quod si fulgura crebescant, & tonitrua aërem pervadant, cedit naturæ, & sobolem effundit. Peccata sæpenumerò infelix ejusmodi soboles sunt, cohibentur, celantur, teguntur. Quid factu opus est? tonandum est; non rarò unicum Verbi divini tonitru partum promovit, ait Lorinus: *Potentes & præfractos, qui leniori doctrinæ non acquiescunt, territos ad pœnitentiam converti.*

Psal. 23.

Lorin. hic.

Factum est aliquandò, ut ad concionem venerabilis Antonii Officialis bellicus, qui sub Lotharingo Duce stipendia fecit, accederet magis curiositate, quàm pietate illectus: Audiit, & obstupuit fervorem detonantis, mox tangi se intimè, & saxeum cor, quod diuturno tempo-

tempore inter turpissima scelera obduruit, emolliri sensit. Finito sermone sacrum Ecclesiastem è vestigio sequitur, in genua provolvitur, sauciam conscientiam aperit, & turpi prostibulô, quod integro secum sexenniô circumduxerat, abire jussô Sacrosanctæ Cruci in suæ liberationis gratum mnemosynon pretiosum unionem dono reliquit.

Sed quid hanc peccatricis animæ conversionem præ cæteris commemoro, quæ inter sexcentas una est? Nihil propemodùm illi frequentiùs evenire solebat, quàm, postquàm è sacro pulpito singulari prorsùs ardore dixerat, ingens pœnitentium multitudo ad sacrum ejus tribunal confluëret, & ingentem fructum ex Verbi Divini declamatione hausturn jugi pœnitentis animi dolore testaretur.

§. VII.

De zelo animarum in excipiendis confessionibus.

SAcer Verbi Divini Orator in sacro pulpito leonis, in sacro tribunali agni instar se gerat necesse est: Ibi contra vitia efferveścere, hîc mansuescere oportet: ibi locum habet illud Apostoli *Increpa*, hîc *obsecra*, ibi *importunè*, hîc *opportunè*. Secùs si faciat, id ipsum evenire solet, quod olim obstetrici Zaræ contigisse sacræ narrant historiæ. Illa Zaræ eductum ex utero materno brachium vinculô occineô strinxit, unde infantulus manum retrahens primogenituram perdidit. Peccator ille (ita alloquitur Doctissimus Speranza confessarium) mali operis manum educit, tu rigidè stringis: Ille retrahit manum, obmutescit, dimidiat confessionem, perdidit primogenituram. 2. Tim. 4. Gen. 38. Speranz. punct. 2.

Verùm absit indiscretus rigor à Venerabili nostro Antonio: noverat sauciæ mentis vulnera blanda mansuetudine oblinire: noverat suavi alloquio arcana animorum expiscari: audiebat omnes patienter, & tum primùm, cùm virus omne evomitum est, malo medicinam ferebat. Paucos dimisit absque seria cordis contritione, alios leni affatu, alios emphatica hortatione ad meliora commovit. Hinc tantum confidentium affluxum ad sese attraxit, ut qui ad Sacrosanctam Crucem peregrinatum venerant, jam non alteri sacerdotum, sed illi soli conscientiæ noxas cuperent aperire. Primis præsertim temporibus, ubi alios sacerdotes, quos capellanos vocant, ad manus nondum habuit, sæpe integros dies, & dimidias noctes auditione pœnitentium consumpsit, & quod mirum est, hos Apostolicos labores per sex annos supra quadraginta eo fervore continuavit, ut, si superficialiter tantùm computus fiat, intra horum annorum spatium facilè ultrà

quater, aut quinquies centena confitentium millia eum constet audiisse: hunc decumanum laborem illi præ cæteris æstimare noverint, qui sacri tribunalis molestias ab experientia didicerunt.

Illud etiam frequenter observatum est, quòd nunquam fuerit hilarior, quàm quò fatigatior: Cùm caput casuum varietate lassatum, & stomachus diuturnis locutionibus exhaustus vix sibi consisterent, tum ille præ lætitia cordis gestire visus, & sæpe ad suos sacerdotes coadjutores dicere auditus est: Laboremus Domini mei, & miserias has animas è suis sordibus eruamus!

Et verò singularem prorsùs virtutem, ac efficaciam ad commovendos peccatorum animos Dominus Deus illi contulit: uno oculorum obtutu, una voce à vitiis absterruit, ad virtutem traxit. Meminisse hîc juvat illius fœminæ, quæ sicut omnem ætatem inter scelera exegit, ita ad mortis confinia adducta nihil minùs, quàm sacram animi expiationem cogitabat. Aderant sacerdotes, hortabantur, rogabant, minas, ac preces ingeminabant; sed frustraneo labore: quippe in silicem obduruit ægra, & obversa ad parietem facie illorum pios conatus frustrabat. Nuntiatum id est Domino Decano, qui è vestigio adest, blandè alloquitur decumbentem, suæ animæ, & imminentis æternitatis commonet: Verùm ægra iterum averso ad parietem vultu nec responsum referre. Hæsit ad hæc, & obstupuit Dei famulus: Mox capillitio apprehensam objurgare, vultúmque ad se retorquere cœpit, austera voce inquiens: *Ingrata creatura, non vis audire ultima Dei miserentis monita?* Mirum dictu! illa tremere, fixis oculis intueri, quid facto opus esset interrogare, demum ad omnia se paratam offerre. Persoluta exomologesi modico pòst tempore animam feliciter, uti sperandum est, Deo reddidit, ante mortem fassa, se unica voce & aspectu Domini Decani vehementiùs, quàm prolixis aliorum monitis, & hortationibus fuisse commotam.

§. VIII.

De Studio Orationis.

HÆ dotes, quas enumeravimus, non natura auspice, sed cœlo largitore proveniunt, non de terra, sed de sursùm sunt. Imbecilles nimiùm sunt hominum vires, nisi superna virtute roborentur. Sanctus Rex David quidquid negotiorum arduum aggressus est, non nisi præmissis in cœlum suspiriis, precibúsque aggressus est. Quid mirum, si difficultates omnes superavit, hostes prostravit, res maximi mo-

momenti feliciter compoſuit? Audiamus Sanctum Ambroſium: *Nunquam David, niſi conſulto Deo bellum adorſus eſt, ideò in omnibus victor usque ad ſummam ſenectam evaſit.* S. Ambr. 1. off. 55.

De Venerabili noſtro Antonio dicere fas eſt, quòd omnem vitam inter orationis frequentiam peregerit: Summo manè, cùm nondum ſol cœlum conſcenderat, jam animum ille ad cœlites elevabat, & pium aliquod meditando myſterium mentem ad quosvis diei eventus præmuniebat. Habebat in interiori cubiculo Chriſti Crucifixi Imaginem ad formam Thaumaturgicæ Crucis Biberbacenſis exſculptam, coram qua humi obſervatæ ſunt duæ ſcrobes in aſſere ad formam juſti pedis excavatæ, quæ nobis indicio ſunt, quòd hic plerumque ſtando, ut ſomni importunitatem vinceret, ſua ſuſpiria, ſuas vigilias, ſuas meditationes frequentarit.

Ait Sanctus Auguſtinus: *Crux, ubi fixa ſunt membra patientis, facta eſt cathedra Magiſtri docentis.* S. Aug. apud Speranz. de Paſſ. Dom. punct. 27. Non igitur mirum, ſi hoc Magiſtro, hoc inſtructore ille tam inſignem rerum cœleſtium notitiam, & præſertim tenerrimos Dominicæ Paſſionis affectus adeptus ſit, quibus pleni ſunt illius libri, pleni olim erant diſcurſus.

Reliquam diem omnem orationibus, quas jaculatorias vocamus, frequentiſſime interpolabat, & quemadmodùm Martha inter culinæ negotia, mulier Evangelica in medio turbæ, Anna Samuelis Mater coram Altari, Paulus in carcere, Ezechias in lecto, Jonas in ventre ceti, Moyſes in mari orárunt; ita ille inter quævis negotia collecta mente cum Deo colloquebatur, ad amuſſim obſervans illud Sancti Chryſoſtomi monitum: *Non ſinamus horam elabi, in qua mentem non extollamus.* S. Chryſ. apud eundem p. 58.

Hoc orationis donum, & hauſta exinde chariſmata ſicut latere alios, quibuscum verſabatur, non poterant; ita magnam illi exiſtimationem apud omnes conciliabant. Frequens erat eorum numerus, qui ejus ad Deum interceſſiones enixè implorabant, & reipſa efficaciam earum experti ſunt, quorum quatuor præcipuè hîc teſtes adducere expedit.

Primus eſt Illuſtriſſimus quidam S. R. I. Comes, qui integro ſeptennio infœcundô conjugiô victitans ad Sacroſanctam Crucem in Biberbach peregrinatum veniens rogabat Dei famulum, ut ſuis ipſe precum ſuffragiis ſibi prolem impetraret, non defuturum ſe, quin ſacroſanctæ Cruci munificam gratitudinem eſſet exhibiturus: quid ille? *Ne diffidat*, inquit, *Excellentia Veſtra, intra unius anni ſpatium maſcula prole latabitur.* Et reſpondit vaticinio eventus: in cujus rei teſtimonium extat Biberbachii pretioſa caſula auro largiter intertexta, quam memoratus Illuſtriſſimus Comes in grati animi teſſeram huc dono conſignavit.

Alter est Parochorum quidam, qui propter insolentiam faucium raucedinem articulatam vocem, ac omnem loquendi facultatem diuturno tempore amisit. Biberbachium veniens opem & auxilium ex Venerabili Antonio quærit: *Eat*, inquit ille, *& Sacrum peragat coram benefica Crucifixi effigie, quod si confidenter fecerit, mali remedium manifestè experietur.* Dictum, factum: recuperavit ille sonoram vocem ad sacrum prædicationis munus, aliásque Parochorum functiones denuò factus idoneus.

Tertius testis est persona quædam maleficiis gravata, quæ malorum spirituum, quos volatiles vocant, incursibus mirum in modum infestata, vice quadam ex vehementia dolorum vix non ad insaniam redigebatur: Auxilio quidem venerunt juvenes quidam sacerdotes, qui precum, & sacrorum verborum adminiculô compescere paroxismum nitebantur, sed frustraneo conatu: illa spuere, oculos circum circa volvere, ac ejulare pergebat, quia *hoc genus* dæmoniorum *non ejicitur, nisi per orationem & jejunium.* Cùm ecce! adventans Dominus Decanus afflictæ mulieri manum super caput imponens his verbis: *Sacerdos Dei tibi manum imponit*, & parùm submissa voce orans confestim miseram ad animi serenitatem non sine magna adstantium admiratione reduxit.

Matth. 17. 20.

Quartus denique hujus rei testis non ex hac vitæ mortalitate, sed ex animarum immortalium numero adducendus est, qui Venerabilis Antonii preces ac suffragia efflictim rogitabat: Cùm ille quondam, nescio cujus negotii causa, sub diluculante vespere domum rediret, ecce! sub ipso postium limine spectandum se præbuit vivum, non nisi ossibus constans scheledon. Cohorruit totis artubûs Vir Dei, & unum aut alterum suspirium sibi audire visus, spiritui in pace abire jusso sacram benedictionem impertiit, additis promissis, se sequenti die pro hac anima incruentum altaris sacrificium litaturum. Disparuit visum, nec deinceps apparuit, uti sperare est, ope & precibus promissis è piacularibus flammis ad beatam æternitatem translatum.

§. IX.

De ejus Humilitate.

Quantò in alienis oculis honoratior, tantò sibi erat despectior, ut meritò usurpari hîc valeat Melliflui Bernardi effatum: *Magna & rara virtus profectò est, ut magna licèt operantem magnum te nescias, & manifestam omnibus te solum latere sanctitatem, mirabilem aperere, & contemptibilem te reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.* Verba hæc Divi Bernardi vivi colores sunt, quibus Venerabilem nostrum Antonium depin-

S. Bern. serm. 23. in Cant.

depinxisse videtur. *Magna*, quis inficias eat, *operatus est*, uti ex præcedentibus abundè constat, & tamen magnum se nesciit.

Si quando interdum contigit, ut inter familiares discursus inexspectatus quidam encomiastes assurgeret, qui ei de præclare gestis, de suscitata à fundamentis magnifica Ecclesia, de insatiabili animarum zelo laudem diceret, auditu planè visúque jucundum erat, quanta promptitudine proruperit in illud Davidicum: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, quem ille Versiculum ita venerabatur, ut psallendo, aut recitando horas Canonicas aperto semper capite enuntiarit: quasi fateri vellet: Magne Deus! Tu supremus artifex es, ego imbecille instrumentum: Quidquid à me boni fit, te auctore fit: Et vel ex eo tibi gloriæ incrementum accrescit, quòd ad tuum honorem infirmam creaturam exhibere, & usurpare velis! Psal. 114.

Ex hac animi demissione oriebatur ingens rerum externarum despectus, ut ne tangi quidem iis rebus videretur, quas alii laboriosè depereunt: Miratus est orbis superioribus sæculis Gregorium Magnum, qui in solitudines & eremos sese abstrusit, ne ad Pontificatus apicem eveheretur: Miratus est Ambrosium, qui Mediolano profugus abiit, ne Episcopali thiarâ coronaretur: Miratus est Chrysostomum, qui peregrinus & exul in alienas terras profugit, ne ad clavum Ecclesiastici regiminis extolleretur? Miratus est alios, qui sublimes dignitatum honores cum infima sorte, mundi applausus cum contemptu, divitiarum affluxus cum voluntaria egestate permutârunt: Sed & miretur Venerabilem Antonium, qui oblata Romæ honorum fastigia, & in patria nostra opulentas parœcias, insignes Ecclesiarum collegiatarum Canonicatus tanta animi constantia, & firmitate rejecit, quanta alii solent affectare. In aulam Magni cujusdam Principis vocatus, & grandi honore, ac pinguibus præbendis cumulandus illud Divi Apostoli frequenter repetiit: *Christo confixus sum Cruci*, quasi dicere vellet, se charitatis vinculis amantissimæ Cruci suæ indissolubiliter affixum esse, & huic ad extremum usque halitum constanter deserviturum. Gal. 2. 19.

Alteram veræ humilitatis dotem Mellifluus Bernardus his verbis dilaudat: *Manifestam omnibus te solum latere sanctitatem.* Hæc enim verò sanctorum hominum assuetudo est, & prærogativa, quantò aliis majores apparent, tantò magis sibimet ipsis vilescunt. Si causam hujus rei quæras audi Doctissimum Abbatem Rupertum: *Magnum*, inquit, *ac præclarum speculum humilitas*: En! speculum vocat humilitatem: quemadmodùm enim hæc speculi proprietas est, ut quidquid extrà ex parte dextra consistit, intùs ex parte sinistra præsentet; ita demissæ ejusmodi mentes generosos virtutum suarum actus ut sinistros, & defectuo- S. Bern. ubi suprà. Rupert. Abb. in Joan. l. 1.

fectuosos intuentur: O quoties hic Dei servus, dum de seipso loquebatur, indignum se sacerdotem, servum Dei inutilem nuncupare est solitus, quin imò publico typo non una tantummodò vice sese subscripsit: *Peccatorum miserrimus.* Tu, quisquis ista legis, cogita, quid de te sentire debeas, Deúmque audacter precare, ut ejusmodi peccatoribus orbis repleatur universus.

§. X.

De austera illius Pœnitentia.

PRiusquàm vitæ austeritatem, quam tenuit, commemorem, interrogare libet, quid ergo Vir Dei in se repererit adeò culpabile, quod prolixa, severâque castigatione expiatum ibat? Si nunquam aliàs, certè ad hanc interrogationem ignorantem me profiteor: illi omnes, qui per viginti, aut triginta annorum familiaritatem accurata observatione dicta & facta illius notaverant, testimonium perhibere possunt, quòd nullo non tempore hostili aversione prosecutus sit peccata omnia, eáque præ cæteris maximè, quæ animi integritati, castimoniæque reluctantur. Vis aliqua hujus rei exempla?

Cùm anno salutis millesimo, sexcentesimo, octogesimo quinto cum geminis sacerdotibus, viæ comitibus Romam peregrinatus Florentiam nobilissimam Italiæ urbem pertransiret, inter alia urbis memorabilia in aula magni Hetruriæ Ducis vidit caveas, ac clathros, quibus ferocissima omnis generis animalia asservabantur: conspexit pardos, leones, ursos & quidquid ferox inter sylvestres Lybiæ recessus natura enutriit. At ecce! dum redeunt, in ipso atrii porticu impudens quædam Megæra hærebat, quæ non solùm habitu & gestu, sed & procaci alloquio lasciviam spirabat. Quid ad hæc Antonius? ad viæ comites conversus verecundum inter ruborem ajebat: Fugite socii! hæc bellua belluîs omnibus, quas vidimus, atrocior est.

Domi, quantùm fieri poterat, fugit blandas has belluas, earúmque cohabitationem: Nunquam eas aut suæ mensæ adhibuit, aut eodem hypocaustô usus est. Quin etiam in ultima lethali ægritudine earum obsequia, quantùm poterat, devitabat, & cùm virium imbecillitas exigeret, à viris, ac præcipuè à suis sacerdotibus petiit adjuvari. Verbo: in suis actionibus modestissimus, in conversatione innocentissimus fuit, ut non minùs hac morum honestate, quam efficaci prædicatione animos traheret ad virtutis amorem. Olim in veteri testamento inter alias cæremonias requirebat Divinus Legislator, ut in fimbria

fimbria veſtis ſacerdotalis unà cum tintinnabulis mala punica annecterentur: per tintinnabula intelligi vocem prædicationis frequens ſanctorum Patrum expoſitio declarat: ſed quid per mala punica ſignificari vult? Reſpondet Doctiſſimus Rupertus, eſſe verecundiæ ſymbolum: *Nam verecundia* (addo ego morum modeſtia, & vitæ innocentia) *ſuô ſilentiô non minùs ædificat, quàm ſermo prædicationis.* Rupert. l. 3. in Cant.

Tametſi autem omnis converſandi, vivendique ratio in Venerabili Antonio innocens eſſet, & ſine nævo, nihilominùs auſteram ſemper, talémque tenuit vitæ methodum, quæ credi poterat ad expiationem neſcio quantorum criminum fuiſſe ſuſcepta. Taceo moderatam in cibo & potu frugalitatem, taceo repetita jejunia, taceo protractas in ſeram noctem vigilias, taceo frequentatas ſtando, aut flectendo contemplationes: Illam verò piam ſævitiem tacere minimè poſſum, quam nobis prodiderunt reperta poſt obitum inſtrumenta, videlicet cingulum aculeis horridum, flagellum, ac catena ferrea uſu benè attrita, quæ teſtes erant luculenti, ac recentes, quòd innocens corpuſculum Apoſtolicis animarum laboribus, & diuturnis ægritudinibus exhauſtum, etiam tempore jam canæ, infirmæque ſenectutis horrendis verberationibus dilaniârit: Erat inter domeſticos nonnemo, qui aliquando ſtrepitum catenæ ferreæ audierat, dum ille ante nocturnam quietem in dorſum inclementer ſæviebat: Altera die facta deſuper mentione ſubridens diſſimulabat omnia, inquiens: Sileret hac de re, non niſi aurium fuiſſe deceptionem. Alia vice, cùm in Eccleſiæ ſacriſtia quædam illi litteræ è manibus exciderant, confeſtim quidem inclinavit ſe delapſum papyrum humi ſublaturus, ſed ecce! præterquam, quòd ad terram usque pertingere non poterat, toto vultu inſolito rubore ardere cœpit, luculento adſtantibus argumento, quòd ab acuminoſo lumborum cingulo impediretur, dum ex inclinatione corporis non ſine enormi dolorum augmento altiùs ſeſe aculei in carnem immergebant.

Reminiſcor hîc Patriarchæ Moyſis, qui à Domino Deo ad viſionem Rubi vocatus juſſus eſt calceamenta de pedibus ſolvere. Supra quem locum commentans Theodoretus, terram illam ait fuiſſe maximè ſenticoſam, plenam vepribus & ſpinis: Accedens igitur Moyſes ad Deum in rubo deliteſcentem ſentire debebat veprium punctiones, præcipiente Domino, uti loquitur Theodoretus: *Gradere nudis pedibus ad me per ſpinas.* Per rubum ardentem Sanctus Gregorius Magnus Chriſtum Dominum, & hunc Crucifixum præſignari docet: Cui conſonat Cornelius à Lapide: *Verbum Dei in rubo, Verbum Dei in cruce.* Quemadmodùm igitur Moyſes ad rubum accedere non poterat, niſi ſpinarum aculeos perſentiret, ita Venerabilis noſter Antonius ad ſuam Crucifixi imaginem Exod. 33. v. 5. Theodoret. q. 7. in Exod. S. Gregor. M. l. 28 Mor. c. 2. Cornel. à Lap. hic.

ginem incruentam Hostiam oblaturus accedere nolebat, nisi aculeorum doloribus carnem affligeret, & hoc ipso austeritatis genere se redderet Divinô alloquiô digniorem.

§. XI.

De ejus Mansuetudine in injuriis

PArùm facit, quisquis externa solùm afflictatione carnem coërcet, nisi etiam internas animi passiones frænare, iræ vehementiam reprimere, ac rationis dominio subjicere satagat. Hæc victoria tantò difficilior est, quò hostis domesticus, & nobis congenitus pertinacior. Dic quo tempore glorioſior erat David, an dum Goliathum debellavit, aut dum Sauli infensissimo hosti pepercit? Vicit quidem, stravit, expugnavit gigantem: Laudo, sed nonne fortior est, qui ipsum Davidem vincere noverit? Non dubito: igitur fortior erat David, dum à cæde Saulis abstinuit, ait Sanctus Chrysostomus, quàm gigantem prostravit, quia tunc se ipsum victorem gigantis devicit

S. Chrysost. apud Speranz. p. 110.

Perspiciamus modò, quàm sublimi perfectionis gradu Venerabilis noster Antonius plenum passionum suarum dominium semper tenuerit. Etenim quod de Olympi vertice dicitur, qui super omnem nubium turbinem excelsior continuò serena cœli facie fruitur; idipsum affirmare de illo licet, qui nullo aut calamitoso eventu, aut malevolorum nequitia, aut injuriarum improbitate ex æquanimi mentis statu dejici, vel in transversum agi poterat. Ad particularia descendamus.

Cùm anno salutis supra millesimum septingentesimô quartô Gallorum exercitus totam, qua latè patet, Sueviam, grassationibus & deprædationibus vastaret, hostilibus copiis ad Lyci confinia delatis periculum erat, ne annona frumentaria in Episcopali horreo Biberbachii copiosè asservata in hostium prædam cederet: quare extrema necessitate, & rerum indigentia compulsus suas sibi scaphas frumenti pro annua sustentatione assignatas providè, ac maturè selegit. Id indignè ferens officialis quidam laicus in optimum Virum palmaribus injuriis invectus non solùm raptorem, impostorem, spoliatorem & quidquid iræ impetus suggesserat, vocitabat, sed & bilem omnem exquisita inurbanitate in eum effudit. Et verò consultè ac prudenter egisse Dominum Antonium effectus comprobavit; quippe vix elapso biduô ingruentibus hostium turmis res frumentaria omnis direpta, evacuata est. Indignari igitur poterat importuno improperatori, nisi dudum didicisset injurias benefactis compensare: Quid exspectas? Audi, & mirare: paucis post diebus huic ipsi suo convitiatori litteras officioſa humanitate plenas, & insuper gallum Indicum, qui in tumultuosa bellorum tempe-

tempestate unicus ei supererat, dono misit, rogans, ne sibi porrò indignari, & quod deliquerit, in bona pace remittere dignetur. O nobilem sanè, & sui ipsius victricem animum! nonne hìc locum habet illud divi Paulini: *In Christo triumphat, qui tunicam auferenti remittit & pallium?* S. Paulin. ep. 2. de perfect. Christian.

Nolim hìc producta narratione recensere quantas contradictiones, sannásque decoxerit, dum præter mentem, suasionémque aliorum Ecclesiam funditùs extruere cœperat? in ærario, ut suprà insinuatum est, vix vigesima, aut trigesima pars sumptuum erat recondita; igitur non deerant aliqui, qui ædificanti illudebant: *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. 14. 30. Quas ille oppositiones invicta animi constantia elusit, identidem repetens illud: *Dominus providebit.*

Quæris fortasse, qua arte & remedio animum in æquali tranquillitate contra quoscunque sinistros casus noverit obfirmare? Respondeo, inter alia remedia hoc illi solenne fuit: habebat elegantissimas omnis generis gnomes sive ex sacris codicibus, sive ex Veterum oraculis depromptas, quas mirum in modum cuivis eventui callebat proportionare. Erudita id genus proverbia tabulato sui cubiculi majoribus litteris inscribere, & cùm sinistram animi affectionem exoriri adverteret, sæpe sæpiùs intueri solebat, ut ejusmodi intuitu quasi frœno exorbitantes animi motus compesceret. Ita pro varietate temporum legere erat: *Nemo nocet nisi sibi ipsi. Si me persecuti sunt, & vos persequentur*, aut aliæ hujuscemodi sententiæ casuum, temporisque vicissitudini accommodatæ.

§. XII.

De amore in SS. Eucharistiam.

SAcrosancta Passionis, & Eucharistiæ Mysteria, uti nemini dubium est, maximam inter se tenent affinitatem: Cùm enim in cruento crucis Sacrificio idem ipse Dei Filius oblatus sit, qui per incruentum altaris Sacrificium quotidie in ara immolatur, rectè Ecclesia consuetâ illa oratione testatur, quòd Christus Dominus nobis sub Sacramento mirabili Passionis suæ memoriam reliquerit. Sicut itaque hic Dei Famulus singulari prorsus lumine illustratus fuit ad perscrutanda Dominicæ Passionis mysteria, prout ejus scripta luculenter comprobant: ita non minori agnitione, affectúque ferebatur in prodigium prodigiorum maximum, idque tantò magis, quòd prioris illius mysterii tantùm habuerit vivam fidem, posterioris verò etiam gustum, & experientiam. Sensit cibi hujus supernaturalis dulcedinem ea affectuum teneritudine, ut animi exuberantis delitiæ indiciis etiam externis se proderent, & Eccl. in orat. Fest. corp. Christi.

sæpenumerò inter sacrosancta altaris sacrificia uberes lacrymæ non sine adstantium admiratione, teneróque pietatis sensu defluerent.

Vulgare fert adagium, quòd anima amans plùs ibi sit ubi amat, quàm ubi animat, id est, memoria & intellectus, voluntas & animi motus omnes sine intermissione illuc collimant, ubi objectum amatum detinetur: id quod sacrum eloquium illis verbis insinuatum voluit: *Ubi*
Luc. 12. 34. *thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* Idcircò Sponsa illa in canticis incessabili labore diu ac noctu, manè & vesperè erat occupata, quærens, quem diligebat anima ejus.

Ejusmodi diligens, & dilecta sponsa planè fuit anima venerabilis Antonii: Christum Eucharisticum iteratis vicibus per diem colebat, frequentatis genuflexionibus venerabatur, amorosô alloquiô salutabat. In cubiculo suo mensulam, ubi studiis vacabat, ita disposuit, ut quamvis solares radii scribenti legentíque perquam essent molesti, nihilominùs faciem semper ad Ecclesiam obvertere, & illuc directè ad dilectum suum in sacrario latitantem sua suspiria emittere posset.

Verùm pauca hæc sunt, majora percipe: obsequia externa comproportionantur intensioni amoris interni, & tantò aliquis ad extra erit obsequiosior, quò vehementior intrà urget stimulus dilectionis. Hinc usque adeò demum excrescere potest amoris vis, ut amans neglecto seipso jam solum consideret amatum, in ejus honorem, utilitatémque se totum, insuper habito etiam suo commodo, aut detrimento, impen-
Gal. 2. 20. dat: Ita Apostolus Paulus de se ipso fatetur: *Vivo ego non jam ego, vivit verò in me Christus.* Id est, prout verba hæc declarat mellifluus Bernar-
S. Bern. serm. 7. in quadr. dus: *Ad alia quidem omnia mortuus sum*, mea pericula, vitæ incommoda, aut ipsa mortis discrimina, *non sentio, non attendo, non curo: Siquæ verò sunt Christi, hæc vivum me inveniunt, & paratum.* Vis hujus rei argumentum? Audi heroicum Christianæ fortitudinis exemplum, & rem prodigio simillimam, ex qua facili conjectura desumi potest maximus in Christum Eucharisticum amor, quem venerabilis noster Antonius suæ etiam vitæ discrimini antehabuit.

Contigit, ut ille moriturienti cuidam cœlestem æternitatis alimoniam præberet, sed infortunato eventu: quippe æger ex ventriculi imbecillitate Eucharisticum Pabulum unà cum fœtenti ructu, saniéque evomuit. Quis absque nauseabundo stomacho audiet ista? Sed ecce! admirandam generositatem dignam Angelorum, totiúsque cœlestis curiæ spectaculo. Condoluit intimo corde Vir zelosissimus Filio Dei in obscœno vomitu jacenti, à quo in opem vocari sibi visus est illis Psalmo-
Psal. 68. 15. graphi verbis: *Eripe me de luto, ut non infigar.* Nec mora: Sacrosanctas panis Eucharistici species è sordibus colligit, & non obstante purulento

lento fœtore, qui circa circum adhæserat, non remorante manifesto vitæ periculo magna reverentia, & animi devotione sumptas deglutit. Quid ab hæc, amice Lector? Tuo equidem judicio relictum volo, an facinus istud haud mereatur vocari *heroicum Christiana fortitudinis exemplum, & res prodigio simillima*, tum quia admiratu, quàm imitatu facilius est, tum quia id genus alia heroicæ virtutis exempla invitis Sanctorum aut nulla, aut rata reperiuntur. Celeberrimus Raderus simile quid enarrat de sancto Salisburgensium Archi-Antistite Eberhardo, & sanctus Hugo Abbas Cluniacensis simile quid de suo Spiritûs Magistro Goderanno, verùm hic ultimus expressis verbis adjicit: *Laurentii craticula tolerabilior fuisset.* Tu Judex esto, ego ad alia pergo.

Raderus Bav. Sanct. Tom. 2.

Buccell. Menolog. Ben.

§. XIII.

De amore erga B. V. Mariam.

FRustrà quis Filium quærit sine Matre, frustrà JESUM sine Maria. Tres illi orientis Reges Christum Dominum inquirebant, & ecce *stella antecedebat eos, donec veniens staret suprà, ubi erat puer*: Ad quæ sacri Grammathæi verba commentans sanctus Eusebius advertit: *Non supra puerum, sed suprà, ubi puer erat, stellam stetisse.* Ubinam ergo erat divinus Pusio? Respondeo, erat in sinu Matris: *Stat stella supra stellam, Maria enim stella maris interpretatur*, ut suis illa radiis indicaret, neminem ad Dei Filium perventurum, nisi inventa Matre. Hac de causa sanctæ, ac innocentes animæ maximo semper amoris affectu prosecuti sunt intemeratam Dei Genitricem, benè gnaræ, frustra se cœlestium donorum charismata quærere, nisi per Mariam. Si Christus Dominus mare est, Maria fluvius est, per quem Marinæ undæ supra terram effunduntur: Si Christus Dominus fons est & origo gratiarum, Maria aquæductus seu canalis est, per quem gratiarum ubertas ad nos derivat. Si Christus Dominus infinitum est Gazophylacium, Maria thesauraria est, quæ cœlestium donorum prærogativas liberali manu dispensat.

Matth. 2. 9.

S. Euseb. Emiss. apud Mich. de calvo conc. 18.

Quid memorem ardentissimos hujus Mariani Sodalis affectus, quibus Virginem Dei Matrem tenerrimè dilexit: Loquantur Sabbathini & profesti Virginis dies, quos austero jejuniô coluit. Loquantur sacræ Congregationes, ac confraternitates, quas in honorem Mariæ aut noviter erexit, aut erectas indefessa sedulitate propagavit: Loquantur sacræ panegyres, quibus mellifluè eloquens velut alter Bernardus Virginis dotes dilaudavit. Et quid multis? Loquatur vice omnium devotissimus ipsius liber, plenus Marianis affectibus, quem sub titulo *Mater amoris & doloris* Thaumaturgicæ Virginis statuæ in Ecclesia Ducalis Hospitalis Monachii dedicavit. Quemadmodum ex ungue leonum,

ex pollice gigantem dignoscere datur, ita ex unico erga divinam Matrem affectu cæteros mensurare potes; hinc adjicere paucis libet illius verba ex submississima dicti libri dedicatione exscripta: *In quem finem tibi ô pretiosissima Virgo! humiliter supplex fio: accipe ab indignissimo servo tuo quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones, & ne spernas obsecrò hoc levidense opusculum, quod horis subsecivis de tuis laudibus, ac SS. cordis tui doloribus composui: Erubesco solummodò, ô Mater amoris, & doloris, quod non omnes isti apices, & characteres meo sanguine rubeant, quem pro tuo honore, & amore omni momento paratus sum effundere. Et quia pro tot à te receptis beneficiis plùs dare non possum nec valeo, quàm meipsum: En habes ô Domina! hèc vilissimum mancipium, & peccatorum coriphaum ad tuos sacratissimos pedes humiliter prostratum. Audi me ò Benigna! & fave, ac tunc præsertim, quando suprema illa mortis imminet hora.* Hæc ille: ex quibus paucis, prudens Lector sat multa de Mariano illius amore poterit conjicere.

§. XIV.

De charitate proximi.

Joann. 13. DIvinus orbis Redemptor in ultimo cœnaculo inter alia præcepta suis Apostolis relicta singulariter inculcavit illud: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.* Itáne mandatum hoc novum est? nunquid & veteris testamenti præceptionibus diligere jubemur? Nonne charitatis legem ipsa natura in cordibus nostris descripsit, dicente Eccl. 13. ecclesiastico: *Omne animal diligit simile sibi?* Quaîgitur ratione novum præceptum dicitur, quod ipsa naturali propensione intimatur? Verùm audi responsionem Doctissimi cujusdam moderni: Hôc ipso, inquit, mandatum novum est, quòd non propter naturæ stimulos, sed propter divinæ voluntatis beneplacitum diligere præcipimur: hinc addit cœlistis Magister: *Sicut dilexi vos.* Quemadmodùm Christus Dominus non Barz. serm. 26. n. 44. meritorum nostrorum intuitu non propter carnem, & sanguinem, non lucri aut commodi studiô humanum genus amavit: ita alterum ab altero inter nos diligi cupiebat, non prout natura, sed divini mandati præceptio dictat: *Sicut dilexi vos.*

Hoc revera motivum erat, quod animum venerabilis Antonii ita ardenti charitate erga proximum inflammabat, ut pluris illius, quàm sua commoda quæreret, pluris illius quàm sua pericula averteretur. Vis hujus rei aliqua exempla?

Ante omnia hìc dilaudanda venit profusa illius liberalitas in egenos: alienam inopiam ut piè sublevaret, non unâ tantummodò vice seipsum inopem fecit: præterquam enim, quòd singulis omninò annis ultrà centenos florenos propria manu in pauperes, adeóque per quadragin-

draginta sex annos ultrà quater mille ac sexcentos profuderit; illud profectò memorabile est, quòd siquis tenuioris fortunæ è suis Parochianis æger decumberet, victum illi è propria culina toto ægritudinis tempore, subductis etiam sibi delicatioribus esculentis, parare sit solitus. Ita miserellæ hæ animæ, quamvis gravissimos morbi dolores paterentur, de egestate tamen & rerum penuria conqueri non poterant, quas mitissimi Samaritani pietas egere non sinebat.

Neque corpora solùm, sed & animas ægrorum quotidie pavit, illud Ecclesiastici sibi dictum putans: *Non te pigeat visitare infirmum; ex hoc enim in dilectione firmaberis.* Singulis diebus, si per urgentiora negotia licuit, in sua parochia circuibat, ægros, siqui essent, invisens, & ad patientiæ virtutem, ad Passionis Dominicæ memoriam efficaciter adhortans, denique, ubi opus erat, liberali eleemosyna subveniens. Non semel iterumque factum est, cùm pauperculi quidam crura, aut brachia fregissent, vel ex aliis id genus infortuniis vulnera gravésque infirmitates conscivissent, suo ipse ære aut ex toto aut saltem dimidia ex parte chyrurgos, & archiatros conduxerit malo remedium laturos; ita verè cum sancto Jobo dicere poterat: *Oculus eram cæco, pes claudo*, pauperi adjumento, omnibus solatio. Eccl. 7. Job. 29.

Maximè verò propensa illius charitas eluxit funesta bellorum tempestate: expeculatæ erant crumenæ, direptæ privatorum fortunæ, ubique calamitosa paupertas. Nec tamen acquievit hostilis avaritiæ: Biberbacensi Parochiæ flammas, & excidium minitabatur, ni intra unam alterámve diem ingens summa pecuniaria penderetur: quid agant miseri? de lytro solvendo conclamatum erat: igitur intra paucas horas exspectabant ædium suarum luctuosum & crudele incendium. In his rerum angustiis novus ecce Paulinus prodiit, nempe venerabilis Antonius, qui se hostibus pignori dedit, & contracto ære alieno aliquot centenorum suos ab impendente excidio liberavit.

Recordor hìc divini illius sermonis, qua Christus Dominus olim discipulos suos allocutus quæsivit: *Quando misi vos sine sacculo, & pera & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? Et dixerunt illi: Nihil.* Profectò tametsi liberalissimus hic Dei Famulus magno in numero peregrinos hospitio exciperet, nudos operiret, esurientes pasceret, inopes largis donationibus remuneraretur, nunquam tamen de rei alicujus defectu conqueri auditus est, quin imò non obstante sua largitate affluentiùs possidebat, quàm alii, qui opes avara tenacitate corradunt: quo facto luculenter expertus est illam divi Cyrilli promissionem: *Quantò plura dabis liberaliter, tantò tibi plura largiùs confluent.* Luc. 22. 35.

§. XV.

De patientia in morbis, & beata illius morte.

Apocal. 14. APocalypticus Vates mysterioſam dicendi methodum uſurpat, dum de morte juſtorum enuntiat: *Beati mortui, qui in Domino mortui.* Quid enim? An mortui moriuntur? nonne vita per mortem eliditur? qua de cauſa igitur aſſeverat mortuos mori? Adverte reſponſionem doctiſſimi Speranzæ: Per mortuos, inquit, homines juſtos denotari, qui terrenis omnibus jam dudum emortui *nullo ſenſu, nullo labore, aut difficultate moriuntur.* Qemadmodum arbuſcula, quæ altas radices in terram nondum demerſit, facili plantatione in aliud ſolum transfertur, ita animæ juſtæ, quæ rebus his terrenis nullo affectu adhærent, ex hoc orbe lætabundæ emigrant.

Speranz. punct. 129.

Cùm lethalis ægritudo venerabilem Antonium affligere cœpit, omnes alios, non ipſum luctus invaſit: alacri animo ſe ſubmiſit Dei diſponentis nutui, identidem ſuſpirans: *Cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.*

Integris quinque menſibus hærebat lecto affixus, quo tempore viribus omnibus exhauſtus, toto corpore conſumptus, ac plenus doloribus jacuit, ita ut nec manum, nec pedem, nec ullam corporis partem abſque alieno auxilio commovere potuerit. Et tamen de aliis ſolicitior, qui ſibi ægro inſervierunt, quàm de ſe ipſo invicta æquanimitate, ac hilari ſemper vultu admiranda prorſus dedit Chriſtianæ patientiæ ſpecimina. Unum præmille aliis juvat in medium producere.

Audivimus ſuprà, quòd ancillas, & ſequioris ſexûs perſonas omnes averſatus ſuos ſacerdotes enixè rogaverit, ut in infirmitate ſibi obſequioſa charitate aſſiſterent: Factum eſt igitur, quòd morbi diuturnitate decumbentis tergum omne inflammaretur, & ad vivam usque carnem cutis recederet, tanto dolorum augmento, ut vix horæ quadrante uno eodémque corporis ſitu quietus jacere poſſet, ſed in aliam partem ope dictorum ſacerdotum devolvi deberet: Verùm contigit aliquando, ut hi de nocte altùm indormiſcerent, & ad aliquot horas ſomnum protraherent, ægrô interim tanquam in ardentibus prunis decumbente. Poſtliminiò evigilantes ſibi ipſis indignabantur, quòd partibus ſuis defuiſſent, veniam etiam precari, & quærere ægrum cœperunt, cur nullo edito ſonitu, aut clamore laſſos excitaſſet? Nolui, ajebat, vos ſomni beneficiô privare. En! amice Lector, & admirare magnam planè patientiam, & majorem charitatem, quæ alienam commoditatem pluris, quàm ſuos dolores & miſeriam ponderabat.

Tandem illuxit illa dies, qua, prout per omnem vitæ decurſum in votis habuit, dicere poterat cum Apoſtolo: *Chriſto confixus ſum cruci.* Gal. 2. 19.

De

De Patriarcha Jacobo memoratur, quòd decussatis manibus ac pedibus mortuus sit, nempe, ait Dionysius Carthusianus ex habitu vitæ anteactæ: ita planè beata mors venerabilis Antonii, sicut tota illius vita, insigniter ad crucem collimabat.

In extremis doloribus sacrosanctam Crucis effigiem semper oculis, semper manibus, ore & corde habebat: ultimam luctam inchoavit hora decima, illa videlicet hora, quæ teste sancto Eucherio signum est, & figura crucis, cùm numerus denarius in formam crucis (X.) scribatur. Ultima agonizantis verba erant invocatio Crucifixi: *O JEsu adiuva me!* Animam Deo reddidit feria quinta ea nimirum die, qua Christus Dominus ad passionem crucis iter aggressus est. Sepulturam elegit directè sub umbra, & facie suæ SS. Crucis, quin imò non ille sed Crucifixus elegisse videtur, juxta promissum divinum: *Ubi ego sum, ibi & minister meus erit.* S. Eucher. in Gen. 18.

Verè coronatus Psaltes enuntiat: *In memoria æterna erit justus*, id est, prout Eminentissimus Bellarminus declarat: Etiamsi homo justus inevitabili mortis decreto orbi eripiatur, nihilominùs in hominum cordibus inextinguibili caractere scriptus *vivat per memoriam gloriosam*: Fama illius non unà emoritur cum corpore; tunc enim vel maximè in hominum animis vivit, cùm videre desiit: Tunc omnium ora diserta sunt, tunc nemo non dilaudat defuncti insignia facta, & omnes sibi dictum putant illud divi Maximi: *Lauda post vitam, magnifica post consummationem.* Incredibile dictu est, quantus fuerit confluxus populi ex omni regione ad exequias concurrentis: Milleni fuerunt oculi, qui expositum publicè cadaver intuebantur, sed pauci absque lacrymis. Certè ad has lacrymas dicere fas erat, quod olim à Judæis de Christo Lazarum resuscitante dictum est: *Ecce quomodo amabat eum!* Et si homines taceant, vel ipsi lapides clamabunt, videlicet insignis Ecclesia, & peregrinatio Biberbacensis, quæ, quoad stabit, venerabilem Antonium Auctorem, ac fundatorem suum immortali præconio celebrabit. Psal. 111. Bellarm. in hunc Psalm. S. Max. Epis. hom. 59. de S. Eusseb. Verc. Joan. 11. 36.

Altera felicitas, quam sacer Psalmographus de homine justo commemorat, hac quasi infinitis parasangis major est: *Ab auditione mala non timebit*, id est, prout iterum purpuratus Bellarminus explicat: Non timebit à sententia formidolosa Judicis æterni. O beatus planè homo, qui scutum habet securum contra tremendum hoc fulmen divini Judicis: hoc scutô fretus venerabilis noster Antonius mortem non unà tantùm, sed repetitis vicibus generosè provocabat: solabatur illum sententia divi Jacobi? *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam suam.* Ubi addit venerabilis Beda, talis peccata sua ab aspectu Judicis per animam salvatam contegit. Etenim peccata sua contegere pote- Bellarm. ubi suprà. Jac. 5. 10.

poterat non per unam tantùm, ſed plures ſalvatas animas, quas zelosa Verbi divini prædicatione, exhortationibus in ſacro tribunali, exemplo virtutum, amore, & timore à via perditionis ad ſemitam mandatorum Dei reduxit, ut credere nobis pronum ſit, venerabilem noſtrum Antonium integrum animarum exercitum ſecum triumphô duxiſſe, & nunc cum illis tanquam totidem zeli ſui teſtimoniis in cœleſti patria gloriosè lætari.

Tu verò amice Lector, dum has paginas avido, & admirabundo oculo percurris, certum tene, ea omnia, quæ de venerabili Antonio hìc enarrata ſunt, non exaggerationis, aut aſſentationis ſtudio ſcripta, quin potiùs plura, quæ ad ſingularem defuncti commendationem, legentiúmque admirationem facere poterant, brevitatis ſtudiô fuiſſe omiſſa. Si eorum omnium compendioſam notitiam deſideras, pluribus opus non eſt, quàm ut Apoſtolum Paulum inſpicias, ubi Epiſcopi, aut Sacerdotis dotes deſcribens breviter, & graphicè hunc Dei Famulum depingit his verbis: *Oportet igitur Epiſcopum* (Sacerdotem) *ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum: Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem: Amplectentem eum, qui ſecundùm doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.*

Ep. ad Tit. 1.

Denique ſupremum illum, ac providiſſimum Patremfamilias impenſis laudibus mecum celebra, qui nullo non ſæculo, nulla non ætate in vineam ſuam operarios conducit, excitátque inſignes aliquos, qui admota operi manu evellere Zizania, eliminare ſcelera, plantare virtutes, totis viribus, & indefeſſa induſtriâ allaborant: Sunt lupi rapaces, qui inſidiantur gregi, eſt ſtygius veterator, qui tanquâ leo rugiens circuit quærens quem devoret: Laudetur igitur providiſſima Dei bonitas, quæ è contrario nunquam non excitat, adjuvátque ſuos cooperatores, & adminiſtros; qui inſatiabili animarum zelo, exquiſita vitæ probitate, verbo, & exemplo, diu noctúque deſudant, ut animæ pretioſo Dei ſanguine redemptæ è ſcelerum veterno erutæ in viam ſalutis reducantur, &

1. Petr. 5.

In omnibus glorificetur DEus.

INDEX

INDEX
Rerum & Verborum,

In quo primus numerus considerationem, alter numerum considerationis significat.

A.

Aaron stans inter mortuos, & viventes typus Christi crucifixi Mediatoris inter Deum & hominem. Consid. 96. num. 3

Abagarus Rex Christum Dominum depingi postulat. 49. 6

Abel gratum Deo holocaustum obtulit, & cur? 4. 1

Abel à fratre occisus typus Christi crucifixi. 4. 4

Abraham filium immolans figura æterni Patris Christum in mortem tradentis. 9. 2

Abraham excipiens tres Angelos hospitiô, cur sub arbore steterit? 156. 5

Acetum & fel cur Christo propinatum fuerit ante mortem. 45. 5

Adam per peccatum destruit orbem, Christus reparat. 3. 2

Adam quare se in medio ligni paradisi à facie Dei absconderit? 162. 5

Adami nomen demonstrat quatuor orbis plagas. 3. 1

Adami caput in monte Calvariæ fuit sepultum. 3. 8 & 59. 4

Acus, per cujus foramen divites intrare possunt in cœlum, est Christus Crucifixus. 162. 3

Adimplere ea, quæ desunt passionibus Christi, quid significet? 95. 4

Admirationem quantam in nobis excitare debeat opus redemptionis. 125. 1

Adonis filius Cynaræ à mulieribus deploratus. 106. 3

Adoranda est SS. Crux cultu adorationis respectivo. 161. 2

Adversitates sunt signum distinctivum hominis Christiani. 32. 7

Adversitates æquo animo tolerari debent intuitu Christi crucifixi. 95. 1

Adversitatum solamen maximum est Christus crucifixus. 96. 1

Adversitates sunt pignus cœlestium gratiarum. 96. 5

Adversitates ducunt ad cœlum. 96. 6

Adversitates dulcescunt intuitu cœlestis retributionis. 97. 5

INDEX

Adversitates leniuntur per Christum crucifixum. Consid. 118. n. 2
in Adversis non minùs, quàm prosperis laudandus Deus. 139. 5
Adversitates sunt via recta in cœlum. 144. 7
Adulterium quare solùm in adultera fœmina punitum à Judæis, non etiam in viro? 62. 4
Ægros quare Christus plerumque post solis occasum curare sit solitus? 144. 4
Æthiopissam cur Moyses duxerit? 159. 2
Affectus præcipuarum Virtutum erga Christum crucifixum. 38. 6
Agar sub arbore quiescens docet nos confugere ad SS. crucem. 8. 1
Agnus Apocalypticus, cur à S. Joanne simul occisus, & simul stans dicatur. 15. 6
Agnus Paschalis præfigurat Christum crucifixum. 15. 1
Agnus Paschalis typus SS. Eucharistiæ. 41. 1
Agnum Paschalem cur Judæi debebant manducare cum lactucis agrestibus? 156. 6
Agnus ab Isaia visus misericordiam simul & justitiam designat. 70. 2
Alapa Christo Domino impacta Angelos cohorrescere fecit. 49. 1
Alauda cantat articulatè hæc verba: *JEsus Christus Crucifixus.* 36. 4
S. Albertus ex Ord. Carmelitarum inter horas Canonicas elevatur in aëra. 113. 7
Amaritudines hujus mundi dulcorantur per Christum crucifixum. 140. 8
Amictus sacerdotalis sub sacrificio quid significet? 112. 2
Amicus fidelis in adversitate probatur. 51. 3
Amicus fidelis, qui nostris succurrit necessitatibus, est Christus crucifixus. 88. 1
Amor æterni Patris erga genus humanum patet ex morte Filii. 43. 3
Amor ingens Moysis erga populum. 122. 1
Amor Christi explicatur per parabolam Regis filium unigenitum occidentis. 122. 4
Amor Christi erga animam hominis. 131. 3
Amor filium Dei in cruce peremit. 26. 2. & 29. 1
Amor erga Crucifixum est signum prædestinationis. 123. 3
S. Andreas Apostolus glorioſus Martyr Crucis. 144. 7
B. Angela in tentationibus recurrit ad Christum crucifixum. 24. 5
B. Angelæ Christus suadet cultum SS. Vulnerum. 16. 4
Angeli sepeliunt Martyrum corpora. 143. 8
Angelus apud sepulchrum Christi, quare de Crucifixo mentionem fecerit? 146. 2
Anima nostra quantum à Christo crucifixo ametur. 65. 2
Anima humana quàm pretiosa. 99. 2
Animæ pretium colligitur ex passione Christi Domini. 131. 1.
Anima unica pretiosior est mundo universo. 131. 5
Anima est pretiosa margarita à cœlesti Mercatore carò empta. 135. 3
Animæ purgantes juvantur per sanguinem Christi. 160. 1

Antipater perduellionis accusatus se excusat ostensione vulnerum. 142. 4
S. Antoninus Archiep. Florentinus ingens cultor SS. Vulnerum. 136. 7
Apamæa civitas per SS. Crucis particulam ab obsidione mirabiliter liberatur. 147. 4
Apis, ne ventô abripiatur, lapillum pedibus apprehendit. 120. 7
Aqua è latere Christi quare fluxerit? 79. 7
Aquila provocans ad volandum pullos suos typus Christi crucifixi. 52. 1
Aquila solicitè nutrit pullos. 52. 2
Aquila inimica est serpentum. 52. 3
Aquila ad solis radios probat sobolem suam. 66. 5
Arbor Nabuchodonosoris in somno visa est figura SS. Crucis. 2. 2.
Arbor sub qua Agar requievit, figura SS. Crucis. 2. 4
Arbores pretiosæ variæ. 2. 3
Arca Noëmi salvans ex diluvio virtutem SS. Crucis designat. 5. 2 & 74. 1
Arca prodigiosa figura SS. Crucis. 147. 8. & 161. 1
Aries inter spinas hærens in sacrificio Abrahæ Christum spinis coronatum repræsentat. 44. 2
Asinus S. Reguli Ep. crucem pede format contra dæmonem. 124. 9
Aspectus Crucifixi maximum in adversitatibus solatium. 30. 5
Aspectus Crucifixi movet animum ad pœnitentiam. 37. 5
Aspectus Crucifixi dedocet superbiam. 75. 1
Athenienses quandô, & cur altare struxerint *Ignoto Deo.* 56. 5
Avaritia Christum in crucem egit. 62. 1
Avarus comparatur porco. 62. 2
Avari sunt prædatores, qui exspoliant pauperes. 67. 4
S. Aventinus Ep. dæmonem sub specie fœminæ plorantem signô crucis abigit. 32. 5

B.

Baculus Jacobi typus SS. Crucis. 12. 1
Baculus Davidis ad victoriam contra Goliath conducit. 12. 2
Baculus Elisæi se solo non sufficit ad resuscitandum puerum. Cur? 12. 4
Baculus S. Petri resuscitat à mortuis Maternum. 12. 6
Baculus S. Martialis contra incendium valet. 12. 7
Baculus S. Magni Abbatis efficax contra serpentes, mures, & glires. 12. 7
Barlaam manum potiùs inter prunas comburit, quàm idolis thus offerat. 17. 5. & 139. 10
Barliarius Nigromanta coram Crucifixi imagine veniam impetrat. 11. 5
Beatitudo cælestis venalis est pro crucibus & adversitatibus. 97. 1
Benedictiones omnes Ecclesiæ fiunt per crucem. 54. 5
Benedictiones omnes, & gratiæ à cruce proveniunt. 150. 1
S. Benedictus suum spiritum haurit ex vulnere Christi crucifixi. 150. 6
S. Bernardinus Senensis à Christo crucifixo vocatur in Ordinem Seraphicum. 5. 7
S. Bernardus à Christo crucifixo amplexu stringitur. 150. 7

Bibliothecæ celebres. 158. 2
S. Birgitta videt JEsum recenti sanguine perfusum, & multa de sua passione revelantem. 114. 7
S. Birgittæ Christus explicat suum amorem erga genus humanum. 122. 2
Blasphemia maximè inter ludos frequentari solet. 68. 5
pro Blasphemis Christus non oravit in cruce, & cur? 85. 2
Blasphemia quantum sit malum. 85. 3
Blasphemi variis pœnis puniti. 85. 6
S. Bonaventuræ pectus mirabiliter aperitur ad sumendam SS. Eucharistiam. 41. 8.
B. Bonifacius Martyr pro tormentis gratias agit. 17. 4
Bos aliquis è terra eruit Crucem à sancto Sigismundo erectam, & postea collapsam. 127. 7
Botrus ex terra promissionis allatus figura SS. Crucis. 19. 1
Breviarium in honorem Christi patientis institutum. 110. 1
Breviarium, qua attentione recitandum sit? 110. 5
Breviarium recitat Christus Dominus cum beata Catharina Senensi. 110. 6
Bruta animantia honorant Christum crucifixum. 127. 1
Bruta serviunt hominibus. 127. 7

C.

Caro cum concupiscentiis suis frænatur per confugium ad crucem Christi. 109. 1
Carnis tentationes superantur intuitu Christi patientis. 22. 4
Calicem passionis recusat Christus in monte oliveti propter præviſam multorum ingratitudinem. 138. 2
Calumnia ab animo etiam generoso difficulter sustinetur. 63. 1
Canis olim Romæ singulis annis crucifigi solitus. 128. 3
Canutus Angliæ Rex, qua ratione laudatorum adulationes eluserit. 78 7
Carolus V. Imp. Crucifixum pro Generalissimo sui exercitûs constituit. 23. 6
Carolus V. Duce Crucifixo multas obtinet victorias. 23. 6. & 36. 6
S. Carolus Borromæus pro populo suo se victimam offert. 27. 6
Casula sacerdotalis sub sacrificio quid significet? 112 2
S Catharina Senensis desperabundis latronibus pœnitentiam à Christo crucifixo exorat. 88. 7
S. Catharina Sen. ex fœtenti ulcere saniem exsugit. 92. 8
S. Catharina Sen. bibit ex Vulneribus Christi crucifixi. 141. 7
Centurio ex quo agnoverit Christum esse Filium Dei. 84. 5
Centurio ille confitens Christum Martyrii palmâ coronatur. 125. 5
Cerva Pollingana crucem Thaumaturgam è terra eruit. 127. 5
Cervus saucius ad fontes aquarum properans docet nos in tribulationibus confugere ad Christum crucifixum. 121. 1
Cervus non læditur veneno serpentis. 121. 3
Cervus delectatur musicâ. 121. 4
Cervus fugâ magis, quàm pugnâ valet. 121. 4
Cervus febribus medetur. 121. 5

Cer-

Cervus S. Huberto in venatione apparet inter cornua habens Christum crucifixum. 121. 7
Charitas Christi tanta est, ut paratus sit adhuc semel mori pro homine. 122. 2
Charitas Christi explicatur per parabolam Regis, filium unigenitum occidentis. 122. 4
Charitas Christi quanta sit erga humanam animam. 159. 4
Choreæ dedocentur à Christo crucifixo. 142. 8.
Christiani omnes deplorare debent amarissimam passionem Christi. 106. 2.
Christiani peccatores renovant Christo patienti sua vulnera. 141. 3
Christianissimus quare tantoperè tepescere incipiat? 99. 4
Christus reparat in cruce, quod Adam in arbore destruxit. 3. 2
Christus non invenitur, nisi in cruce. 8. 4
Christus cur à cruce descendere ad exprobrationem Judæorum noluerit. 10. 4
Christus crucifixus in aëre apparet Regi Alphonso, eúmque ad pugnam animat. 16. 3
Christus in cruce moriens quale testamentum fecerit. 28. 2
Christi crucifixi aspectus movet animum ad pœnitentiam. 34. 4 & 36. 5
Christus crucifixus ardentissimè desiderat nostram redemptionem. 39. 1
Christus Dominus cur noluerit ab Herode in infantia occidi: 40. 4
Christus cur fabrum lignarium pro patre suo elegerit? 40. 6
Christus crucem ferens ad sui sequelam nos animat. 47. 1
Christus crucem ferens figuratus per Gedeonem. 47. 4
Christus sub ponderosa cruce corruit. 50. 1
Christi crucem bajulantis exemplô, & nos debemus crucem nostram alacriter ferre. 51. 1
Christus obstinato peccatori sanguinem suum in faciem projicit. 50. 6
Christus simul misericors & justus figuratur per aquilam bicipitem palmam, & fulmen ferentem. 52. 6
Christus cur mortem crucis eligerit. 54. 1
Christo crucifigendo cur facies atro velo fuerit contecta? 56. 1
Christus crucifixus est mediator inter Deum & hominem. 57. 2
Christus crucifixus cur in aëre mori voluerit? 57. 3. & 7
Christus crucifixus faciem in cruce versùs occidentem obvertit. Et cur? 57. 4
Christus crucifixus probabiliter circa verenda linteolô contectus fuit. 58. 3
Christus crucifixus cur in medio terræ nostram salutem operari voluerit? 59 1
Christus per omnem vitam fuit pauperrimus. 60. 1
Christus crucifixus in sua morte consolationem capit à peccatoribus conversis. 65. 6.
Christus in cruce misericordiam simul, & justitiam suam demonstrat. 66. 1
Christus crucifixus docet nos liberalitatem in pauperes. 67. 1

Christus in cruce exaltatus omnia trahit ad se. Quomodò? 69. 4
Christus in cruce verè vir dolorum. 72. 1
Christus moriens quare fleverit? 76. 1
Christus moriens quare caput inclinârit? 80. 3. & 83. 6
Christus in cruce quare magna voce clamans exspiraverit? 100. 4
Christus in cruce quare inclinato capite mortuus sit? 100. 5
Christus crucifixus est liber, in quo omnes legere possumus. 142. 5
Christus crucifixus est caput Martyrum. 143. 3
Christus in cruce exaltatus qua ratione omnia ad se traxerit! 107. 3
Christus crucifixus est lapis angularis Ecclesiæ. 120. 1
Christus cur in monte Thabor tantùm coram tribus discipulis clarificatus, in monte Calvariæ autem coram toto mundo passus sit? 129. 1
Christus crucifixus est liber, in quo omnes legere possumus. 158. 4
Christus Dominus quid, & quanta fecerit pro anima humana? 159. 4
Cithara Davidis est figura crucis. 35. 1
Cives Jabes Galaad laudantur à Davide, quòd sepelierint Saulem. 108. 4
Civitates refugii sunt SS. Vulnera. 145. 2
Clavi quatuor fuerunt, quibus Christus affixus est cruci. 104. 1
Clavi isti quorsum devenerint? 104. 4
Clavis ad aperiendum cœlum est sancta crux. 105. 2
S. Clemens sitientibus Christianis è petra aquam elicit. 20. 3
Clypeus Josue typus SS. crucis. 23. 1
Cœlestis gloria non obtinetur sine labore. 97. 4
Codrus Rex suo sanguine, ac morte patriam ab interitu conservat. 29. 4
S. Coleta Religiosissima cultrix Passionis Christi semper flet sub elevatione SS. Hostiæ. 106. 5
Columba ex ore S. Aventini Episcopi morientis evolare visa. 32. 6
Columba rediens ad arcam symbolum est gratitudinis. 137. 6
Columba habitans in foraminibus petræ est pia anima habitans in vulneribus Christi. 120. 6
Columbæ proprietates moraliter exponuntur. 155. 4
Columna nubis & ignis ducens Israelitas præfigurat crucem Christi. 16. 1 & 123. 1
Communicantium optima præparatio, est meditatio crucis. 41. 5
Consalvus Sylveira S. J. glorioſus pro Christo Martyr. 125. 6
Consolatio nostra omnis à Christo crucifixo provenit. 92. 1
Constantino Magno crux in aëre apparens victoriæ fiduciam facit. 1. 3 & 18. 4
Coronam spineam cur Christus usque ad mortem ferre voluerit. 44. 1
Coronam spineam B. V. à capite Christi mortui revellit. 44. 4
Coronatio Christi, quàm fuerit crudelis. 44. 6
Crucifixio Christi à cœlo, & terra promovetur. 46. 2
Crucifixio cur non accuratè à sacris Evangelistis fuerit descripta? 55. 1

Crucifixio qua ratione fuerit peracta ? 55. 3
SS. Crux juxta aliquorum opinionem ex oliva fuit fabricata. 6. 2
SS. Crux in multas particulas sciſſa non decreſcit. 6. 4
Crux dux noſter eſt inter pericula, & ærumnas hujus mundi. 16. 2
Crux amaritudines mundi dulceſcere facit. 17. 2
Crux Caravacæ qua ratione originem ſumpſerit. 22. 4
Crux cur pro inſtrumento mortis à Chriſto fuerit electa ? 54. 1
Crux cur in Dominica Paſſionis velo contegatur ? 56. 1
Crux Chriſti tribunal fuit judicantis. 66. 1
Crux Chriſti clavis eſt cœli. 105. 1
Crux afflictis rebus unicum ſolamen. 118. 1.
Crux Sanctis & electis Dei in teſſeram prædeſtinationis data. 123. 4. & 5
Crux potens contra dæmonem. 124. 1
Crux ignominioſa ſummam Chriſto Domino peperit gloriam. 146 1
Crucis imagines è cœlo allatæ. 147. 6. & 7.
Crux Chriſti cur in judicio ſit comparitura ? 149. 1
Crux Chriſti ex quercu fuit fabricata. 156. 5
Crux non minùs honoranda, quàm arca veteris teſtamenti. 161. 1
Crux Dominica ab Helena Imperatrice inventa. 149. 4

D.

Dæmon S. Regnaldo apparet in ſpecie Chriſti Domini. 24. 6.
Dæmon fugatur ſignô crucis. 124. 1
Dæmon expellitur citharâ Davidis. Quare hoc ? 124. 2
Dæmon fugam arripere debet viſo ſigno crucis. 124. 6. & 147. 1
Dæmon ſuam vim maximè exerit in articulo mortis. 148. 5
David jam tum in ſuis neceſſitatibus confugit ad crucem. 8. 2
David contra Goliathum pugnans typus Chriſti crucifixi. 27. 1
David in lacum miſſus figura Chriſti crucifixi. 32. 4
David in adverſitatibus invocat crucem Chriſti. 35. 2
Delitiæ Filii Dei quare eſſe cum filiis hominum ? 96. 4
Depoſitio corporis Chriſti de cruce quomodo fuerit peracta ? 108. 3
Deſcendere de cruce Chriſtus noluit, ut doceret patientiam. 129. 4
Derelictio filii Dei in cruce quid nos edoceat ? 72. 3
Deſperatio eſt peccatum injurioſiſſimum Chriſto. 116. 5
Deſperavit Judas, quia nomen JEſu non invocavit. 135. 1
Detractio Filium Dei in crucem egit. 82. 1
Detractio patienter ſuſtinenda. 82. 5
DEus cur paradiſum obambulaverit poſt lapſum Adami ? 39. 1
Deo ignoto, quando, & cur Athenienſes altare ſtruxerint ? 56. 5
Deus olim ſeverus per crucem factus eſt manſuetus. 88. 4
Deus benedicendus tam in proſperis, quàm adverſis. 139. 2
Deus ſemper ad benefaciendum pronus. 154. 4

S. Di-

S. Didacus in amplexu crucis moritur. 140. 9
S. Dionysius Martyr abscissum caput ipse ad sepulturam defert. 139. 11
Divitiæ sunt diaboli compedes. 62. 2
S. Dominicus mortuum juvenem signo crucis resuscitat. 140. 6

E.

Ecclesia ex latere Christi progenita. 103. 5
Ecclesia cur campanarum pulsu abstineat in die Parasceves? 106. 3
Effigies Crucifixi invenitur in corde Martyris Anonymi. 106. 6
Elephas sanguine uvæ animatur ad pugnam. 19. 4
Elias confortatus à cibo cœlesti communicantes significat. 112. 4
B. Elisabetha Wansia quocunque vadit, Christum crucifixum præambulonem habet. 16. 5
S. Elisabetha intuitu Christi crucifixi discit mundana omnia contemnere. 106. 6
Elisæus mortuus mortuum ad vitam suscitans typus Christi crucifixi. 140. 2
Elogia SS. crucis. 144. 3
S. Elzearius comes in iræ motibus ad Christum crucifixum confugit. 77. 3
S. Ephysius Martyr inter flammas illæsus virtute crucis. 33. 5
SS. Eucharistia optimè sumitur cum memoria crucis. 41. 3
SS. Eucharistia animat ad persecutiones & martyria ferenda. 41. 7
SS. Eucharistiam sumentes se præparent per meditationem passionis Christi. 112. 4
SS. Eucharistia est cibus confortans animas nostras. 112. 4
Europa est illa orbis pars, ad quam Christus in cruce faciem convertit. 154. 6
S. Eusebiæ funus crux lucidissima in aëre comitatur. 16. 6
S. Eustachius invictæ patientiæ exemplar. 129. 7
Eunuchus Reginæ Candacis convertitur per meditationem Christi patientis. 158. 1
Exempla Sanctorum pro inimicis orantium. 84. 4
Exemplum Christi patientis nos animat ad sequelam. 152. 2

F.

Fel, & acetum cur Christo propinatum fuerit ante mortem? 45. 5
S. Felicitas unà cum sociabus generoso Martyrio defungitur. 10. 5
Ferrum natans Elisæi figura peccatoris è profundo per crucem extracti. 51. 1
Fiducia in DEum concipienda ex contemplatione Christi crucifixi. 116. 1
Fiduciam quantam collocare possit quilibet peccator in Christo crucifixo. 159. 3
Finalis gratia speranda, & exoranda est per crucem Christi. 163. 1
Flagellatio Christi fuit crudelissima. 43. 1
Fontes saluberrimi ad restinguendam animæ sitim sunt SS. Vulnera. 136. 2
S. Forannanus Episcopus mare transnavigat cruce. 97. 6
S. Franciscus de Paula in amplexu SS. crucis emoritur. 107 5

S. Fran-

S. Franciſcus Seraphicus amarè deplorat oblivionem Paſſionis Dominicæ. 106. 4
Funiculi Adam ſunt beneficia Chriſti crucifixi nobis collata. 22. 3
Funiculus coccineus Rahab typus crucifixi JEſu. 22. 1

G.

Gallina ſolicita pro pullis ſymbolum Chriſti Domini. 70. 5
Gedeon animans milites ad ſequelam figura Chriſti crucem bajulantis. 47. 4
Gedeon in pluribus figuravit Chriſtum. 51. 5
Gilimer ab hoſtibus obſeſſus quale ſolatium petierit? 35. 5
Gloriam maximam conſecutus eſt Chriſtus ex cruce. 146. 1
S. Glyceria Martyr inter Saxa, & flammas illæſa. 33. 6
Goliath provocans ad ſingulare certamen ſignificat dæmonem in articulo mortis tentantem. 163. 2
Goliath gladiô occiſus figura dæmonis victi per crucem. 147. 2
Gratitudinem quantam debeamus Chriſto crucifixo pro redemptione noſtra. 137. 1
Gratitudo in quo conſiſtat? 137. 4
Gratia finalis ſperanda, & exoranda eſt per crucem. 163. 1
S. Gregorius Thaumaturgus baculô Lycum fluvium coërcet. 12. 7
S. Gregorius Turonenſis incendium extinguit particulâ crucis. 14. 7
Gregorius Pontifex VII. fabri filius in juventute per lignum pontificatûs augurium capit. 40. 6
Gula qua ratione victa fuerit à S. Jocopono? 106. 8

H.

Hæretici imprudenter averſantur effigiem crucis. 161. 8
S. Helena crucem Domini inventam in multas partes dividit. 6. 4
S. Helena Imperatrix inventrix SS. crucis. 140. 4
S. Henricus in tentationibus recurrit ad SS. Chriſti Vulnera. 24. 5
B. Henricus Suſo quàm patienter calumnias tolerârit. 63. 6
Holofernes à Juditha occiſus figura dæmonis per crucem victi. 147. 3
Homo creatus eſt ad formam crucis. 1. 3
Homo cur non ſit creatus ex auro, ſed ex luto? 75. 3
S. Homobonus magnus cultor Chriſti crucifixi. 29. 5
Horæ Canonicæ in honorem Chriſti patientis inſtitutæ. 110. 5
Horæ Canonicæ negligenter recitatæ quam pœnam poſt ſe traxerint. 110. 6
Horæ Canonicæ qua attentione recitandæ ſint. 110. 5
Horis ſingulis quid Chriſtus paſſus ſit. 126. 3
Horologium Achaz retrogradiens ad decem lineas figura Chriſti crucifixi. 126. 1
Horologia artificioſa. 126. 5
Hoſtia in ſacrificio Miſſæ in tres partes dividitur, quare? 160. 7
S. Hubertus in venatione cervum obvium habet inter cornua Chriſtum crucifixum ferentem. 121. 7

Humilitas Christi vermiculo se comparantis. 128. 1
Humilitas virtutum omnium custos. 128. 1
Humilitas Christi summam illi peperit gloriam. 128. 6
Humilitas virtus est Deo gratissima. 128. 7

I.

S. Jacoponus amore Christi à mundo vult pro stulto haberi. 106. 8
Jephtias innocens victima figura Christi crucifixi. 25. 1
Jeremias figura Christi crucifixi. 31. 1
JESU nomen devotè adorandum. 102. 1
JEsu nomen pronuntiari non debet ab immundo. 102. 4
JEsu nomen efficacissimum contra animi pusillanimitatem, & desperationem. 135. 1
S. Ignatius fundator Societatis JESU Christum cruce oneratum apparentem habet. 51. 6
Ignis in fornace Babylonica non nocet pueris virtute crucis. 33. 2
Imago Crucifixi plumbeâ glande trajecta sanguinem fundit. 5. 5
Imago Crucifixi pauperi cuidam argenteum calceum donat. 7. 6
Imago Crucifixi in petris à natura expressa. 20. 4
Imago Crucifixi cultrô sauciata sanguinat. 20. 5
Imago Crucifixi B. Peregrinum periculoso pedis ulcere sanat. 21. 3
Imago Crucifixi testem agit numeratæ pecuniæ. 21. 5
Imagine crucis extinguitur immanis leo. 26. 5
Imago Crucifixi à Judæis vulnerata copiosum emittit sanguinem. 53. 6
Imago Crucifixi pauperi panem largitur. 60. 5
Imago Crucifixi morientem amanter amplexatur. 65. 8
Imago Crucifixi sacrum sanguinem in os peccatoris obstinati projicit. 65. 9
Imago Crucifixi aures obturat ad fusas preces pro avaro mortuo. 67. 7
Imago Crucifixi alapam infringit dormienti inter orationem. 70. 7
Imago Crucifixi invenitur in corde S. Julianæ post mortem. 71. 7
Imago Crucifixi lacrymas fundit. 76. 5. & 6
Imago Crucifixi à Nicodemo elaborata asservatur Lucæ. 108. 6
Imago Crucifixi venenô infecta pedem retrahit, dum Pius V. Pont. Max. eam vult osculari. 115. 7
Imago Crucifixi Religiosos admonet de ruina templi. 118. 6
Imago Crucifixi ab impio milite sauciata sanguinem copiosum fundit. 138. 8
Imago Crucifixi in templo spectante omni populo manum de cruce solvit, & erigit minitantis in morem. 149. 5
Imago Crucifixi benedicit S. Hedwigi. 150. 5
Imago Crucifixi colloquitur S. Henrico. 150. 8
Imagines Christi & Sanctorum ad quid in Ecclesia adhibeantur. 161. 5
Inclinatio capitis Christi in cruce quid significet? 100. 5

Infernus non metuendus confugientibus ad ſacra vulnera. 24. 7
Infernus ut evitetur confugiendum ad Chriſtum crucifixum. 117. 2
Infernus uret animas, quæ nunquam, aut rarò fuerunt memores Paſſionis Dominicæ. 148. 4
Infirmi à Chriſto magnô numerô ſanati. 157. 4
Ingratitudo erga Chriſtum Redemptorem, quantum ſit ſcelus. 138. 1
Ingratitudo eſt Chriſto Domino præ cæteris vitiis exoſa. 138. 4
Inimicitias cum proximo quantùm Deus averſetur. 81. 6
Inimicis ignoſcere docemur à Chriſto crucifixo. 83. 2
Injurias condonare inimicis res ſancta, & prorsùs divina. 84. 5
Invidia eſt vitium diabolicum. 81. 1
Invidus pejor diabolo. 81. 4
Intereſſe proprium quanta mala poſt ſe trahat. 62. 3
B. Joanna à Maria Virgine docetur cultum SS. Vulnerum. 113. 6
S. Joannes Silentiarius ſtellam cruce ſignatam pro viæ duce habet. 1. 4
Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roſſenſis ad mortem damnatus canit: *Te Deum Laudamus.* 17. 6
S. Joanni Gualberto Chriſtus è cruce caput inclinat, quia inimico pepercit. 83. 7
S. Joanni à Deo Chriſtus Dominus dono dat crucem. 113. 7
Joannes Capiſtranus ope crucis inſignem reportat victoriam. 147. 5
Job vulneribus plenus typus Chriſti patientis. 30. 1
Job utut patientiſſimus tamen de calumniis conqueritur, quare? 63. 3
Job in pluribus fuit typus & ſymbolum Chriſti crucifixi. 94. 2
Jonas Propheta typus Chriſti Domini. 34. 2
Jonas Propheta tempore mortis Chriſti reſurrexit à mortuis. 34. 2
Jonathas ſicut Davidem, ita Chriſtus animas amat. 28. 1
S. Jordani cadaver rutilantibus crucibus deſignatur. 123. 6
S. Joſeph faber ligarius cur fuerit à Chriſto in patrem electus. 40. 6
Joſephus Arimathæus, & Nicodemus quàm generoſum opus peregerint in ſepeliendo Chriſto. 107. 5
Joſephi Arimathæi vita, & mors. 108. 5
Joſephus Ægyptiacus in Proregem inauguratur per ſignum crucis. 118. 3
Joſias in curru regio occiſus præfigurat Chriſtum crucifixum. 106. 1
Iracundia ſedatur aſpectu Chriſti crucifixi. 77. 1
Iracundia quàm malos effectus poſt ſe trahat. 77. 5
Iris typus Chriſti crucifixi. 7. 1
Iris ſignum eſt manſuetudinis divinæ. 90. 3
Irreverentia in templo quàm abominabilis coram Deo. 86. 5
Irriſiones mirum in modum augent dolores afflicti hominis. 86. 3
Iſaac in monte immolandus figura Chriſti crucifixi. 9. 1
Iſaac eodem loco immolandus erat, ubi Chriſtus crucifixus eſt. 154. 1
Iſaiæ obedientia erga Deum typus eſt obedientiæ Chriſti erga Patrem divinum. 130. 3

Judæ Iscarioti Christus pedes lavat, ut animam ejus lucrifaceret. 131. 5
Judas desperavit, quia nomen JEsu non invocavit. 135. 1
Judæi Turcarum tyranno 500. milliones offerunt, si destruat sepulchrum Christi. 107. 4
Judæus aliquis contra diaboli insidias signo crucis se munit. 124. 7
Judex divinus in die judicii diversissimum habebit aspectum à justis, & à peccatoribus. 148. 1
Judicii die quare crux Christi sit comparitura? 149. 5
Julius Cæsar ab inimicis occisus præcipuè conqueritur contra Brutum filium adoptivum. 141. 4
Juniperus sub qua Elias quievit, figura SS. Crucis. 144. 3
S. Justina impuras præstigiatoris faces crucis signo extinguit. 124. 7
Justitia Christi crucifixi non minùs timenda quàm illius misericordia amanda. 66. 1
Justitia DEI olim placari non poterat per sacrificia veteris legis. 151. 2. & 3

L.

Labores quantos Christus Dominus sustinuerit pro anima. 80. 1.
Labores immensi Christi Domini pro nostra Redemptione exantlati. 91. 1
Lacrymæ fusæ super peccata commissa quàm Christo grata. 48. 2
S. Lambertus Martyr abscissum suum caput ad sepulturam deportat. 137. 8
Lancea quare *dira*, & clavi *dulces* vocentur. 104. 2
Lancea, qua Longinus latus Christi aperuit, quò devenerit. 104. 4
Lapis confringens statuam Nabuchodonosoris figura Christi crucifixi. 32. 2
Lapis angularis Ecclesiæ est Christus crucifixus. 120. 1
Lapis, quò David Goliathum stravit est Christus crucifixus. 120. 4
Lapidari cur Christus Dominus noluerit à Judæis. 128. 2
Latro dexter cur tam subitò in cruce fuerit conversus? 8. 6
Latro ex quo agnoverit Christum esse Dei Filium? 64. 3
Latro in cruce conversus est propter umbram Christi obumbrantem. 64. 3
Latro quàm insignem actum fidei in cruce exercuerit. 64. 6
Latro agnovit innocentiam Christi ex judicio Pilati. 69. 8
Latrones duo quare cum Christo Domino fuerint crucifixi? 109. 2
Latrones desperabundi à Christo invitantur ad pœnitentiam. 88. 7
Latro sinister quare non fuerit conversus ad pœnitentiam? 69. 4.
S. Laurentius Justinianus deliberans à Christo audit: *Me sequere.* 29. 5
Lepusculus à S. Anselmo è canum venaticorum faucibus liberatur. 148. 6
Leo Samsonis Dei misericordiam simul ac justitiam significat. 70. 1
Leo Samsonis est symbolum Christi Domini crucifixi. 88. 3
Leo per totam vitam famulatur S. Gerasino Abbati. 127. 2
Lepram peccati ab Adamo contractam Christus in se transtulit. 94. 1
Leprosorum specie Christus Dominus sæpiùs apparet. 94. 4

Liber est Christus crucifixus, in quo omnes legere possumus. 158. 3
Liberalitas maxima nobis exhibita fuit à Christo in cruce. 67. 1
S Lidwina sanguineas lacrymas pœnitens fundit. 48. 7
S. Lidwina à Christo impressionem SS. Vulnerum recipit. 98. 4
Lignum dulcorans aquas in solitudine typus SS. Crucis. 17. 1
Lignum cur pro instrumento mortis à Christo fuerit electum. 54. 1
Lignum quo Moyses dulcoravit aquas est SS. Crux. 143. 4
Lignum vitæ in paradiso fuit figura SS. crucis. 162. 5
Lingua Jobi cur à diabolo intacta fuerit relicta? 153. 1
Longinus per sanguinem lateris Christi visum recipit. 28. 5
Lucerna super candelabrum posita est crux Chtisti. 162. 11
S. Lucianus Martyr abscissum caput ipsemet ad sepulturam defert. 29. 6
S. Ludovicus Bertrandus sclopetum sui hostis in imaginem crucifixi convertit. 77. 8
Luna repræsentat in medio sui orbe crucem. 1. 3
Lupus piscis instrumenta Passionis in capite gerit. 1. 6
Lusus immoderatus quanta mala post se trahat. 68. 1
Lusus plerumque est causa blasphemiarum. 68. 5. & 6
Lusu fuerunt divisa vestimenta Christi Domini, & cur? 68. 4
S. Lutgardis à Christo Domino ad suum amorem invitatur. 117. 7
S. Lutgardis bibit ex vulneribus Christi. 150. 8
Luxuriæ peccatum superatur per confugium ad Christum crucifixum. 109. 3

M.

B. Magdalena Ursina Ord. S. Dominici in suis afflictionibus consolationem à Christo accipit. 87. 6
Malus nautica crucem repræsentat. 1. 6
Malum punicum figura Christi. 8. 5
Manibus expansis orare Deo gratum. 61. 3
Manipulus Joseph figurat Christum crucifixum. 13. 1
Manus arida sanatur à Christo, ut doceamur liberalitatem in pauperes. 67. 3
Manlius Romanus perduellionis accusatus se excusat per ostensionem vulnerum. 114. 4
Mansuetudo Christi maxima. 90. 4
SS. Marcus & Marcellianus inter tormenta exultant. 13. 5
Margaritæ quanto labore in mari quærantur. 91. 4
S. Margaritha de Cordona coram crucifixo pœnitens in filiam adoptatur. 118. 5
Maria Virgo bonum latronem salvavit sua intercessione. 69. 8
Maria V. sub cruce quantos dolores in divisione vestimentorum passa sit. 68. 2
Maria V. stans sub cruce acerbissimos dolores sustinuit. 71. 4
Maria V. docet beatam Joannam cultum SS. Vulnerum. 113. 6
Mariæ patrocinium potens ad obtinendam æternam salutem. 142. 1

S. Martialis baculo ignem domat. 12. 7
S. Martinus dæmonem sub specie Christi comparentem in fugam agit. 47. 9
SS. Martyres pro Christo crucifixi. 13. 5
SS. Martyres inter tormentâ animantur à cruce. 17. 4
SS. Martyres Japonenses Paulus Miqui, Joannes Gotho, & Jacobus Chisai crucifixi. 17. 6
SS. Martyres ad pugnam animantur intuitu Christi crucifixi. 143. 5
Martyrum omnium numerus quantus? 135. 5
Martyrum ductor, & coryphæus est Christus crucifixus. 143. 1
Martyrum decem millia simul crucifixa. 143. 8
S. Mauritii martyrium inter vesparum, & cyniphum aculeos. 133. 5
Maximilianus Imp. per arborem servatur à morte. 2. 5
Maximilianus Imp. à montanis rupibus ope Angeli deducitur. 2. 5
Medicus maxim' Christus est, qui ægrotum sanavit genus humanum. 128. 5
Medicus optimus tam corporum, quàm animarum est Christus crucifixus. 157. 2
Meditatio Christi crucifixi summè proficua. 37. 1
Meditatio quomodò instituenda. 38. 4
Meditatio unica de Christo crucifixo quid, & quantum valeat? 122. 6
Medium in omnibus eligit Deus. 59. 1 & 69. 1
Milites cur vestimenta Christi inter se diviserint. 68. 4
Miraculum Christi in sanatione auriculæ abscissæ cur per totam passionem non commemoratum? 81. 5
Misericordia Dei ita amanda, ut tamen timeatur justitia ejus. 70. 1
Misericordia Christi amanter recipit peccatores. 65. 5
Misericordia Dei semper spem nostram erigere debet. 116. 5
Misericordia Christi omnes quantumvis graves peccatores recipit. 134. 3
Misericordia Dei nobis propitiata fuit per Christum crucifixum. 151. 5
Misericordia Dei quàm magna sit erga peccatores. 159. 3
Monachus inter psalmodiam dormiens à Crucifixi imagine alapâ percutitur. 133. 7
Monialis desperabunda per crucem in spem erigitur. 105. 3
Morientes, ut feliciter decedant, SS. Eucharistia, & unctione muniuntur. 112. 5
Mors felix in amplexu crucis. 105. 5 & 144. 1
Mortis hora quàm periculosa propter tentationes dæmonis. 148. 5
Mortificatio necessaria est ad meditationem Christi crucifixi. 38. 3
Moyses cur calceos exuere jussus fuerit in visione rubi ardentis. 14. 2
Moyses quare in ignoto loco sepultus sit? 107. 6
Mundus totus ingerit nobis memoriam crucis. 1. 2
Mundus suis promissionibus decipit. 69. 6
Mundum universum non tanti æstimat Deus ut unicam animam. 131. 5
Muliebris sexûs conversatio quàm periculosa sit castitati. 109. 6
Mysteria maxima fidei nostræ plerumque in montibus peraguntur. 59. 5

N.

Negligentia in recitandis horis Canonicis quomodò à Deo punita. 110. 7
Nicodemi, qui Christi corpus è cruce depositi, vita, & mors. 108. 6
Nobilitas quid, & quantum ad honorem Dei valeat. 108. 2
Nobilitas habet præclarum exemplum in Joſepho, & Nicodemo nobilibus. 108. 7
Nobiles Viri cur à Christo electi ſint ad ſepeliendum corpus ſuum? 108. 4
Nocticorax cur Christo Domino comparatus? 86. 1
Noëmus à filiis irriſus typus Christi crucifixi. 5. 4
Nomen JESU devotè adorandum. 102. 1
Nomen JEſu pronuntiari non debet ab immundo. 102. 14
Nomen JEſu efficaciſſimum contra animi puſillanimitatem, & deſperationem. 135. 1
Numerus ſeptimus myſticus eſt, & Deo conſecratus. 110. 2
Numerus quinarius ad ſignificanda fidei myſteria frequenter uſurpatus. 113. 5
Nux effigiem Christi crucifixi repræſentat. 1. 7

O.

Obedientiam docetur homo ex ſua creatione. 130. 1
Obedientiæ exemplar Chriſtus crucifixus. 130. 1
Obediens aptiſſimus eſt, qui portet crucem poſt Chriſtum. 130. 5
Obeliſci miranda opera Romæ erecta. 131. 2
Oculorum curioſitas quomodo cohibenda. 109. 6
Oliva columbæ Noëmiticæ typus SS. crucis. 6. 1
Oratio qualem requirat attentionem. 110. 5
S. Oreſtes miles inter gentiles ſignum crucis in pectore portat. 39. 5
Ovicula innocens animal ſymbolum eſt plurimarum virtutum. 15. 5
Ovicula Chriſti quas dotes habere debeat. 80. 9

P.

Palmæ aſſimilatur SS. Crux. 88. 6
Parallela inter Chriſtum & David. 90. 2
Participatio crucis & Paſſionis Chriſti omnibus nobis convenit. 146. 6
Particulæ SS. Crucis in igne manent illæſæ. 14. 3
Particulæ SS. Crucis extinguunt incendia. 14. 7
Paſſio Chriſti conſiderata movet animum ad pœnitentiam. 19. 5
Paſſio Chriſti fuit voluntaria, & ex amore ſuſcepta. 25. 2
Paſſio Chriſti ſimul dulcis, ac amara. 98. 3
Paſſio Chriſti animabus purgantibus proficua. 160. 5
Paſſio Chriſti à nobis frequenter cum luctu, & lacrymis recoli debet. 106. 1
Paſſio Chriſti in toto mundo in oblivione eſt. 106. 4
Paſtor bonus quas dotes habere debeat. 80. 4
Pater cœleſtis, cur Christo in cruce non acclamarit ſicut in monte Thabor: *Hic eſt Filius meus.* 130. 6

Patientia docetur insigniter à Christo crucifixo. 129. 3
S. Paulinus Episcopus incendium extinguit particulâ crucis. 14. 7
S. Paulus Apostolus gloriatur in cruce. 1. 1
Pauperes pro solatio habent Christum. 60. 1
Peccata Christianorum sunt Christo durior crux, quàm illa, in qua mortuus est. 114. 4
Peccatorum gravitas elucet ex passione Christi. 132. 1
Peccatum separat à Christo & ejus amore. 132. 4
Peccatum post Passionem Christi gravius. 133. 1
Peccatum veniale vehementer affligit amantissimum JEsum. 133. 2
Peccator sub arbore crucis refugium quærat. 2. 1
Peccatores, qui Christum pedibus calcant, quinam sint? 50. 5
Peccator obstinatus frustra à Christo ad conversionem invitatur. 50. 6
Peccator renovat Passionem, ac mortem Christi. 53. 1
Peccator à sua malitia corrigitur per aspectum Christi crucifixi. 109. 5
Peccator ad pedes crucifixi JEsu speret remissionem suorum peccatorum. 134. 2
Peccator quantam spem collocare debeat in misericordia Christi crucifixi. 159. 7
Pelicanus figura Christi crucifixi. 111. 1
Pelicanus suo sanguine vivificans pullos Christum in cruce vulneratum repræsentat. 111. 3
B. Peregrinus periculoso pedis ulcere à crucifixi imagine sanatur. 21. 3
Perseverantia docetur à Christo nolente descendere de cruce. 87. 1
Perseverantia necessaria est ad coronam cœli. 87. 4
Perseverantiam in vita spirituali præcipit Christus Novitio fugere volenti. 118. 7
Petræ in morte Christi scissæ adhuc hodie in variis locis conspiciuntur. 101. 6
Petra, in cujus foraminibus salutem quærere debemus, sunt vulnera Christi. 116. 4
Petra in deserto significat Christum crucifixum. 20. 1
Petræ aliquæ à natura impressam habent imaginem crucifixi. 20. 4
S. Petrus cur à Christo vocatus Sathanas. 10. 2 & 39. 4
S. Pettus animatur à Christo ad ferendam mortem crucis. 154. 7
S. Petrus Martyr animatur à Christo ad ferendas injurias, & persecutiones. 25. 3
S. Philippus Nerius quantam erga seipsum diffidentiam habuerit. 93. 5
S. Philippus Nerius desperabundam monialem cruce in spem erigit. 105. 3
S. Philippus Benitius à Christo crucifixo in religionem vocatur. 158. 6
Pilat' propter interesse proprium Christum damnavit ad mortem. 46. 5
Pilat' quis fuerit, & quò devenerit. 46. 7
Pincerna Pharaonis cur liberatus, & pistor damnatus ad mortem. 19. 3
Pincerna ille oblivioſus symbolum est ingratorum. 138. 3
Piscina probatica typus Passionis Christi. 70. 3
Piscina probatica languentium erat totus

tus mundus ante Passionem Christi. 103 1
Pœnitentia promovetur ab aspectu Christi crucifixi. 34. 4
Pœnitentia peccatoris avidè exspectatur à Christo. 65. 4
S. Porphyrius à Christo crucifixo osculum recipit. 32. 6
Praxis pulcherrima Passionem Dominicam recolendi per totam diem. 126. 4
Prædestinationis signum est amor Christi crucifixi. 123. 3
Præparatio optima ad sacram Communionem, est meditatio crucis. 41. 5 & 112. 4
Prodigia in morte Christi facta expenduntur. 101. 1
Providentia Dei in conservando sepulchro Christi usque in hodiernam diem. 107. 4
Purgantes animæ juvantur per sanguinem & Passionem Christi. 160. 5

Q.

Quatuor flumina paradisi mysticè quid significent? 113. 2
Quinarius numerus ad significanda redemptionis mysteria frequenter usurpatus. 113. 5
Quinque sensus triumphantur à Christo crucifixo. 24. 1
Quinque siclis olim primogenita debebant redimi cur? 113. 1
Quinque civitates refugii. figura SS. Vulnerum Christi. 145. 2

R.

S. Raynaldus apparentem habet dæmonem sub specie Christi. 24. 6
Redemptio nostra quanti steterit Filio Dei. 89. 1
Redemptio nostra quantum sit amoris prodigium declaratur eleganti similitudine. 89. 3
Redemptio Israelis ex Ægypto figura redemptionis generis humani. 89. 5
Redemptio nostra quàm admirandum divinæ bonitatis opus? 125. 1
Reges Portugalliæ cur SS. Vulnera in suis insignibus gerant? 16. 3
Regnum cœlorum venale est pro crucibus & adversitatibus. 67. 1
Rhamnus in regem arborum electus figura spineæ coronæ Christi. 44. 6
Rubus ardens præfigurat Christum crucifixum. 14. 1.
Rudolphus Habspurgicus cruce pro sceptro utitur. 18. 7. & 36. 5

S.

Sacerdos sacrificans Christum patientem repræsentat. 112. 2
Sacerdotes quantum habere debeant zelum animarum. 99. 3
Sacramenta fluxerunt ex latere Christi. 114. 5
Sacrificium Missæ quàm religiosè à sanctis fuerit auditum. 106. 4
Sacrificium Missæ idem est cum sacrificio crucis. 112. 1. & 156. 3
Sacrificia antiquæ legis quot, & quàm diversa fuerint. 156. 1
Samson cum leone congrediens typus Christi crucifixi. 26. 1
Samson duas columnas domûs evertens figurat Christum brachia ad duo ligna crucis extendentem. 26. 3
Sancti à mundo pro stultis haberi amant amore Christi. 106 8

Sanctorum exempla animant nos ad generosam sequelam. 152. 7
Sancti pro inimicis orant. 84. 4
Sanguis Christi validiùs clamat in cœlum, quàm sanguis Abel. 4. 4
Sanguis Christi à peccatoribus effunditur, & contemnitur. 79. 1
Sanguis Christi in ampulla asservatus in die Parasceves ebullit. 79. 3
Sanguis Christi immensi pretii. 135. 1
S. Satyrus Martyr idolum flatu oris frangit. 32. 6
Scabellum pedum Dei est crux Christi. 162. 1
Scala Jacob figura SS. Crucis. 10. 1
Scala in cœlum pertingens à pluribus Sanctis visa. 10. 5
Sensus hominis debellantur à Christo crucifixo. 24. 1
Sensus hominem in vitia præcipitem agunt. 24. 3
Sepulchrum Christi inter medios barbaros illæsum perdurat. 107. 4
Sepultura Christi describitur. 107. 2
Sepultura Christi quare in horto facta. 107. 2
Sepultura Christi cur per viros nobiles peracta? 108 1
Sepelire mortuos, opus misericordiæ valdè laudabile. 107. 1
Sequela Christi ab initio amara, in fine dulcis. 47. 8
Serpens æneus figura SS. Crucis. 21. 1
Serpentis proprietates. 155. 3
S. Severinus Archiep. Colonienſis purgatorio adjudicatur propter inordinatam recitationem Breviarii. 110. 7
Signum Tau in fronte notatum liberavit à mortis decreto. 123. 2
Signum prædestinationis amor crucifixi. 123. 3
Signum crucis sanctis & electis Dei in tesseram prædestinationis imprimitur. 123. 4
S. Silanus Musicus abscissum pro Christo caput manibus portat. 13. 5 & 3. 6
Simon Cyrenæus ad Christum conversus fit Episcopus Dertosæ in Hispania. 47. 2
Sitis Christi in cruce à nemine potatur. 73. 1
Sitis Christi in cruce non tam potum, quàm salutem nostram desideravit. 73. 4
Sol cum suis radiis repræsentat crucem. 1. 3
Sol quare obscuratus in morte Christi. 101. 2
Solitudo interdum ad tempus eligenda. 111. 1
Spei nostræ optimum fundamentum est Christus crucifixus. 116. 2
Sponsa invenit Christum nisi in cruce. 8. 4
Sudarium, quo Christus in monte oliveti sudorem absterſit, ubi asservetur? 42. 5
Sudarium S. Veronicæ Romæ visitur. 48. 2
Sudor sanguineus cur Christo in monte oliveti expressus? 42. 1
Statera justitiæ est crux Christi pendentis inter duos latrones. 162. 4
Stellæ repræsentant crucem. 7. 4
Stolla sacerdotalis sub sacrificio quid significet? 112. 2
Superbia illudebat Christo patienti. 75. 5

T.

Tau signum salutiferum eximens à mortis decreto. 123 2
Tau signum defendit contra Angelum exterminatorem. 124. 1
Tentationes carnis vincuntur intuitu Christi crucifixi, & patientis. 22. 4
Tentationes compescuntur per confugium ad crucem Christi. 109. 1
Ter de die orare solebant Judæi. 32. 3
Terebinthus typus SS. crucis. 11. 1
Terebinthus umbram salutiferam spargit. 11. 3
Terrena omnia vilescunt intuitu Christi. 78. 1
Terræ motus cur in morte Christi excitatus. 29. 3. & 131. 4
Testamentum Christi in cruce. 29. 3
Theatra Romæ, & ferarum spectacula. 71. 2
Theodoricus libidinosus juvenis signô crucis à dæmone se liberat. 124. 4
S. Theodorus Martyr inter tormenta jubilat. 17. 4
S. Theodorus Martyr cruce draconem interficit. 32. 6
S. Theresia insignis cultrix SS. Vulnerum. 113. 8
Thesaurus omnium gratiarum, & beneficiorum est Christus crucifixus. 115 1
Thesaurus ingens Romæ quo indicio inventus. 115. 3
Thesaurus noster inæstimabilis sunt SS. Vulnera. 142. 4
S. Thomas Aquinas à S. Bonaventura edocetur librum optimum esse Christum crucifixum. 158. 3
S. Thomas de Villa Nova solatium accipit à crucifixi imagine articulatis verbis loquente. 60. 6
Thymiama gratissima Deo oblatio quid significet. 84. 3
Timor salutaris nobis incutitur à Christo crucifixo. 93. 1
Timor Domini initium nostræ salutis. 93. 3
Timor Domini semper in corde retinendus. 117. 1
Titulus crucis rubris litteris scriptus adhuc hodie Romæ visitur. 102. 2
Titulum regium quare acceptârit Christus in cruce. 102. 5
Transfiguratio Christi paucos habuit spectatores, passio plurimos, cur? 129 1
Tres pueri in fornace salvantur virtute crucis. 33. 2
Tribulationes sunt signum Christiani hominis. 32. 7
Tribulationis solatium unicum Christus crucifixus. 118. 2
Tribulationis tempore non minùs laudandus DEus, quàm prosperitatis. 139. 7
Tribulationes sunt via in cœlum. 144. 6
Tribunal fuit crux Christi alterum latronem salvantis, alterum damnantis. 148. 3
Tristitia, & pusillanimitas animi pellitur intuitu Christi crucifixi. 92. 2
Turris armata fortissima SS. Crux. 162 2

V.

Vanitas terrenarum rerum quanta. 78. 4
Vas alabastrinum fractum protendit humanitatem Christi. 157. 6

Vaticinia Prophetarum omnia impleta sunt, cùm Christus in cruce dixit : *Consummatum est.* 74 3
S. Udalricus ope crucis insignem reportat victoriam. 147. 6
Velum templi cur scissum in morte Christi? 101. 5
Venia inimicis danda propter exemplum Christi crucifixi. 84. 1
Veritas in mundo fortissimum. 45. 1
Veritas odiosa est. 45. 3
Vermis & Christi analogiæ. 128. 1
Vestimenta abjiciunt pugnaturi. 60. 4
Vestimenta Christi quæ, & qualia fuerint. 68. 3
Vestimenta Christi à militibus diversa. 68. 4
Vexillum crucis à 50. vexilliferis in exercitu Constantini Magni præfertur. 108. 6
Via in cœlum non alia, quàm via crucis. 10. 2
Viator Jerichuntinus ab omnibus derelictus figura fuit Christi crucifixi. 109. 1
Victoria hominis Christiani non obtinetur sine prælio. 143. 3
Vinum consecratum visibiliter mutatur in sanguinem. 112. 3
Virga Aaronica præsignat SS. Crucem. 18. 1
Virga Moysis figura SS. Crucis. 20. 1 & 36. 1
Virtus sine humilitate nulla est. 128. 1
Vita Christi Domini fuit mera passio, & Martyrium. 40. 1
Vitis progerminat imaginem crucifixi. 1. 7
Vitis visa in somnio cur salvaverit pincernam Pharaonis. 19. 3
Vitis fructifera Christus crucifixus. 119. 1
Vitis & Christi crucifixi analogiæ. 119. 2
Vitis S. Bonfilii die 25. Martii botrum progerminat. 119. 9
Vitulus à Job oblatus figura Christi. 36. 3
Umbra retrogrediens in horologio Achaz figura Christi crucifixi. 126. 1
Voluptates carnis optimè superantur intuitu SS. Vulnerum. 125. 3
Volucres volitando per aëra crucem repræsentant. 1. 5
Voluntas Dei super omnia quærenda. 42. 6
S. Ursus Episcopus incendium baculô extinguit. 12. 7
Uva à duobus viris in vecte portata sanguinis Christi in sacrificio figura. 112. 3
SS. Vulnera Reges Portugalliæ in suis insignibus gerunt, cur? 16. 3
SS. Vulnera venerari docetur ab ipso Christo, beata Angela Fulginas. 16. 4
SS. Vulnera refugium in tentationibus. 4. 52
SS. Vulnera significantur per quinque lapides Davidis. 27. 2. & 136. 4
SS. Vulnera sunt ignis accendens mundum amore divino. 33. 3
SS. Vulnera cur quinque? 38. 7
SS. Vulnera sunt porta cœlestis Paradisi. 105. 4
SS. Vulnera remedium efficax contra tentationes carnis. 109. 3
SS. Vulnera sunt fons irrigans totam terram. 113. 2

SS. Vulnera colere quàm Deo gratum. 113. 6
SS. Vulnera totidem ſunt ora ad nos clamantia. 114. 3
SS. Vulnera ſunt fontes ſaluberrimi ad reſtinguendam animæ ſitim. 136. 2
SS. Vulnera ſunt refugium peccatorum. 136. 3
SS. Vulnera ſunt foramina petræ in aſylum animæ aperta. 136. 5
SS. Vulnera ſunt theſaurus incomparabilis Eccleſiæ. 136. 6
SS. Vulnera ſunt fontes, ex quibus Eccleſiæ omnis gratia fluit 142. 3
SS. Vulnera cur Chriſtus poſt glorioſam reſurrectionem retinuerit. 145. 1
SS. Vulnera vàlent apud divinum Patrem ad impetrandam nobis gratiam. 145. 5
SS. Vulnera ſunt regius ornatus Chriſti in cœlum aſcendentis. 155. 6
Vulnera Judæ Machabæi ad compaſſionem movent populum. 114. 1
Vulnus lateris quare Chriſto poſt mortem impactum. 103. 2
Vulnus lateris apertum peccatoris refugium. 103. 6
Vulnus lateris cuidam pio religioſo, locò luminis coruſcat. 145. 2

Z.

Zachæus cur à Chriſto juſſus ab arbore deſcendere. 39. 3
Zachæus quos cibos oppoſuerit Chriſto convivæ. 67. 4
Zelum animarum quantum habuerit Chriſtus in cruce. 99. 2
Zona Sacerdotalis ſub ſacrificio quid ſignificet. 112. 2